

BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE



THEOLOGIA MORALIS QUADRIPARTITA,

Incipientibus accommodata,

ET

In Aula Theologica S. J. Treviris publicè exposita



à R. P. JOANNE REUTER Ejusdem Societatis, SS. Theologiæ Doctore in Universitate Trevirensi, & Professore publico,

NUNC

IN USUM ET UTILITATEM Plurium Typis data

Cum prævia Analysi

DOCTRINÆ MORALIS à SEDE APOSTOLICA REPROBATÆ.

PARS IV.



Editio Secunda Auctior & Emendatior.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Ex Officina METTERNICHIANA

Sub Signo Gryphi Anno MDCCLVI.

Cum Privilegio Sac. Cæs. Majestatis Speciali & Permissu Superiorum.



THEOLOGIÆ MORALIS
PARS IV.

DE

Sacramentis novæ Legis tum in genere, tum in ſpecie.

PROLEGOMENA.

De Sacramentis in Statu Legis tum naturæ, tum ſcriptæ veteris.

STatus naturæ humanæ varius conſiderari poteſt 1. Status naturæ puræ, in quo homo, non elevatus ad gratiam, & finem ſupernaturalem; habuiſſet perfectiones, auxiliaque tantùm naturalia. 2. Status innocentiæ, ſeu juſtitiæ originalis, qui importat gratiam ſanctificantem, immunitatem ab omni peccato, morte, aliiſque pœnalitatibus, & perfectam ſubjectionem appetitûs ſenſitivi ad rationalem, & eatenus dicitur Status naturæ integræ. In hoc fuit Adam, priuſquam peccavit. 3. Status naturæ lapſæ, ſcilicet à ſublimi ſtatu naturæ integræ, & juſtitiæ originalis, per peccatum Adæ. 4. Status legis naturæ, in quo Adam poſt lapſum, ejuſque poſteri ſine lege ſcripta, ſine lege publicè promulgata, vixe-

vixerunt ſecundùm dictamina rectæ rationis, auxiliis divinæ gratiæ adjuti. Hic duravit à lapſu Adæ uſque ad legem ſcriptam, per Moyſen promulgatam, vel, ùt volunt alii, uſque ad circumciſionem, Abrahæ præceptam, per bis mille circiter annos. 5. Status legis ſcriptæ veteris, in quo vivendum erat ſecundùm legem etiam ſcriptam. Hic à lege in tabulis lapideis divinitus conſcripta, vel ùt putant alii, à circumciſione Abrahæ duravit per alios bis mille circiter annos uſque ad legem Chriſti. Quamvis enim lex ſcripta in tabulis Moyſi tradita, & per eum promulgata fuerit quadringentis annis poſt inſtitutionem circumciſionis, præceptæ Abrahamo, putant tamen hi ſtatum legis ſcriptæ incepiſſe ab inſtitutâ circumciſione; eò quòd illa præcipuè fuerit inſtituta, & præcepta Abrahæ, ejuſque poſteris, ut tanquam populus Dei electus illâ, ùt proteſtatione in Chriſtum venturum, à reliquis populis diſcernerentur. 6. Status gratiæ,ſeu legis Evangelicæ, in quo gratia per JEſum Chriſtum facta eſt, & vivendum eſt ſecundùm leges à Chriſto latas. Hic perſeverabit uſque ad finem mundi.

Quòd nulla Sacramenta futura fuiſſent in ſtatu puræ naturæ, ex eo colligitur; quia in eo nulli hominum collata fuiſſet gratia. Quòd etiam nullum fuerit in ſtatu innocentiæ primorum parentum brevi illo, quo duravit, tempore, convenit inter T.T. quia id nec ratio, nec authoritas ſuadet. An autem futura aliqua fuiſſent, ſi ſtatus ille diu perſeveràſſet, incertum eſt. Quæritur itaque tantùm de Sacramentis in ſtatu naturæ lapſæ.

QUÆS-

QUÆSTIO I.

An in Statu Legis Naturæ fuerint Sacramenta?

Resp. In eo statu fuit saltem unum, quod remedium parvulorum dicitur, eosque mundabat à peccato originali, ùt habet communis sententia T.T. & P.P. Inter quos S. Aug. contra Julianum Cap. 9. ait: *Neque ideo credendum est, ante datam circumcisionem famulos Dei (quando quidem inerat eis fides mediatoris in carne venturi) nullo Sacramento opitulatos fuisse parvulis suis, quamvis, quod illud esset, aliquâ necessariâ causâ scriptura latere voluerit.* Similia habet S. Greg. L. 4. Mor. Cap. 2. & alii PP. Et ratio est; quia Sacramentum in genere est signum stabile, sensibile gratiæ sanctificantis, à Deo institutum ad sanctificationem hominis viatoris; credibile autem non est in illo statu non fuisse remedium pro parvulis ab originali mundandis: aliàs enim omnes parvuli, ante usum rationis defuncti, intra duo ferè annorum millia fuissent à spe beatitudinis exclusi, quod videtur alienum à bonitate Dei, seriò, & efficaciter, quantùm est de se, omnes cupientis salvos fieri. Hoc autem remedium fuit verum Sacramentum; quia signum erat stabile sensibile gratiæ sanctificantis, à Deo institutum ad parvulos sanctificandos tum verâ internâ sanctitate, tum legali, seu deputatione ad Dei cultum, & adunatione Ecclesiæ Fidelium. Signum quidem gratiæ sanctificantis; quia figurabat gratiam, per Baptismum in lege Christi dandam;

quæ erat conditio, quâ positâ, Deus ex prævisis Christi meritis conferebat parvulis justificationis gratiam, eos mundans à peccato originali.

Dixi in responsione: *Fuit saltem unum:* An autem plura fuerint, controvertitur. Suar. & alii quidam putant oblationem panis, & vini à Melchisedech factam, fuisse Sacramentum: sed alii id negant; quia non fuit signum stabile pro Ecclesia, sed cœpit in Melchisedech, & in eo desiit. Alii probabiliter putant fuisse duo, unum pro parvulis, alterum pro adultis in remedium publicum peccatorum actualium, faventque aliqui P. P. de quo videri possunt Scholastici.

QUÆSTIO II.

Quæ, & quot fuerint Sacramenta in lege scripta veteri.

Resp. In lege veteri scripta vera fuerunt Sacramenta, eaque varia. Ità communis P.P. & T.T. sententia: erant enim ritus sacri sensibiles, præfigurantes gratiam, per Christum dandam, à Deo instituti stabiliter ad sanctificandos homines.

Tale Sacramentum erat 1mò remedium legis naturæ, quod in lege scripta perseveravit non tantùm pro femellis parvulis, sed etiam pro masculis, qui ante diem octavum, quo priùs masculi circumcidebantur, de vita periclitabantur. Item pro iis, qui non descendebant ex Abrahamo per Jacob: his enim solis præcepta erat circumcisio. 2. Circumcisio, quæ fiebat in carne præputii, tum, uti notat

S. Thomas, ad ostendendum, quod Christus nasciturus esset ex semine Abrahæ; tum quia instituta, vel assumpta fuit ad tollendum originale, quod per generationem transmittitur; tum demum, quia ordinabatur ad imminutionem carnalis concupiscentiæ, quæ præcipuè in ea parte viget. 3. Et alia fuerunt Sacramenta, ùt videre est in libro Levitici, & Numerorum, in quibus ritus describuntur.

Omnia ad 4. classes commodè revocari possunt.

1ma complectebatur ea, per quæ quisque primò Deo consecrabatur, & cooptabatur in membrum illius Ecclesiæ, & populi à Deo electi, quæ nostrum Baptismum, & gratiam, vi illius dandam, præfigurabant. Tale erat remedium legis naturæ, & circumcisio.

2da classis complectebatur ea, quibus consecrabantur Pontifices, Sacerdotes, Levitæ, & Nazaræi, de quibus habetur Exod. C. 29. Nrum 8. & Levit. 8. Et hæc præfigurabant nostrum Ordinis Sacramentum, gratiamque per illud dandam.

In 3tia classe erant variæ tum expiationes à peccato, de quibus habetur Num. C. 19 tum purificationes ab immunditia legali: nam apud Judæos leprosi, puerperæ, menstruatæ, &c. censebantur immundi in se; qui verò rem immundam tangebant, immundi ex contactu: ùt si quis attigisset cadaver, aliamve rem immundam. Immundi autem arcebantur ab ingressu templi, vel ab esu Agni Paschalis, participatione sacrificiorum, consortio aliorum, oblationibus, &c. donec mundarentur per expiationes, & purificationes præscriptas. Hæc præfigurabant nostrum Sacramentum pœnitentiæ,

tentiæ, & gratiam, virtute illius conferendam.

In 4ta classe erant, quæ fuerunt instituta ad recolenda Dei beneficia, & quorum usu Judæi magis consecrabantur, Deoque arctiùs jungebantur. Talia erant esus Agni Paschalis, & panum propositionis. Hæc præfigurabant nostrum Eucharistiæ Sacramentum, gratiæque augmentum per illam dandum. De quibus omnibus videri potest S. Th. P. 3. Q. 102. A. 5. Cæterùm, quot vera fuerint Sacramenta in illa lege, omninò incertum est. Tot enim in ea fuerunt ceremoniæ, signa, & sacrificia; ut difficile sit statuere, quæ habuerint veram rationem Sacramenti.

Moderni Judæi, teste Soto in 4. D. 2. Q. 1. A. 4. nihil quidem sciunt de remedio legis naturæ. Verùm, cùm ità cæci & indurati sint, ut Christum, & ejus doctrinam, toties in eorum lege prædictam, & postmodum tot signis, & miraculis confirmatam, non agnoscant; mirum non est, quòd circa ritum, non scripto, sed solâ traditione acceptum, hallucinentur, præsertim postquam jam tot sæculis sine Sacerdote, & Doctore per omnes terræ plagas dispersi vagantur.

QUÆSTIO III.

Quid Sacramenta veteris legis ea suscipientibus contulerint?

Resp. 1. In circumcisione, & usu remedii parvulorum conferebatur gratia sanctificans parvulis, ut habet communis P. P. & T. T. sententia; erant enim instituta ad eos mun-

dandos à macula peccati originalis: in hac autem Dei providentia nemo mundatur à peccato mortali sine infusione sanctificantis gratiæ.

2. Nullum Sacramentum antiquæ legis conferebat gratiam ex opere operato. Probatur tum ex Apostolo *ad Galatas Cap.* 4. ubi Sacramenta legis antiquæ vocat *egena elementa*, *& infirma*. Et *ad Hebr.* 7. ait: *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem*, *& inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex.* Tum ex *Conc. Florentino in Decreto Eug. IV.* ubi signanter dicit de Sacramentis veteris legis: *Illa non causabant gratiam*, *sed solùm per Passionem Christi dandam præfigurabant. Hæc verò* (novæ legis) *continent gratiam*, *& dignè suscipientibus conferunt.* Denique ex *Trid. Sess.* 7. *Can.* 2. ubi ait: *Si quis dixerit ipsa novæ legis Sacramenta à Sacramentis antiquæ legis non differre*, *nisi quod cæremoniæ sint aliæ*, *& alii ritus externi*, *anathema sit.* Quæ omnia satis ostendunt, quòd illa Sacramenta ex opere operato, seu vi operis, secundùm institutionem positi, ob ejus excellentiam gratiam non contulerint. Atque in hoc unanimis est P. P. consensus utì videre est apud *Bellarminum L.* 2. *de Sacramentis Cap.* 15. *& alios.*

3. Circumcisio, & remedium parvulorum non conferebant gratiam etiam ex opere operantis, id est, intuitu meriti, seu de condigno, seu de congruo illa applicantis; sed erant mera conditio, qua posita ex prævisis Christi meritis conferebatur parvulis justificationis gratia. *Ratio est*; quia, ut ex opere operantis contulissent gratiam, debuisset illa Sacramenta administrantis operatio fuisse libera, &

ex

ex omni parte honesta, & supernaturalis: id quod valde incertam, innumerisque periculis obnoxiam reddidisset parvulorum justificationem. Dicere autem eam fuisse valde incertam, & tot periculis expositam, est minùs convenienter sentire de misericordia Dei, volentis omnes salvos fieri. Itaque sicut Deus non voluit ideo Baptismi effectum pendere à sanctitate, & merito ministri: sic nec justificationem parvulorum per usum remedii legis naturæ, & circumcisionis inde dependere voluit. Cùm itaque nec ratione suæ dignitatis moverint Deum, nec ratione meriti ministri ad conferendam justificationis gratiam; sequitur, quòd fuerint mera conditio.

4 Reliqua Sacramenta legis veteris pro adultis instituta, etsi non contulerint gratiam ex opere operato; potuerunt tamen conferre ex opere operantis augmentum ejus, & reipsâ contulerunt iis, qui ex motivo virtutis, & in statu gratiæ ea debitè suscipiebant; idque secundùm eorum dispositionem majus, vel minus.

5. Circumcisio se solâ nec ùt mera conditio in adultis tollebat peccatum originale; sed requirebatur actus perfectæ charitatis, vel contritionis de personalibus, cùm adultis non conferatur gratia sanctificans, nisi ritè dispositis. Quare per circumcisionem adulti consecrabantur consecratione legali, & jungebantur Ecclesiæ populi electi. Quem unicum fuisse circumcisionis finem putant aliqui, negantes eam fuisse institutam ad justificandos parvulos, etsi ex usu assumpta fuerit ad profitendam fidem in Christum venturum, & sic subierit rationem remedii parvulorum, in lege naturæ adhibiti. Plura de his videri possunt apud Scholasticos.

DIVI-



DIVISIO & SERIES IV. PARTIS.

TRACTATUS I.

De Sacramentis novæ Legis in Genere.

CAPUT I.

De Essentia, & Constitutivis, quasi Physicis, Sacramentorum novæ Legis.

Quæstio I. Quid, & quotuplex sit novæ legis Sacramentum? N. 1

Quæstio II. Quibus Sacramenta novæ legis perficiantur? 5

Quæstio III. Quomodo materia, & forma coëxistere debeant? 10

Quæstio IV. Quæ eorum mutatio obsit valori Sacramenti? 11

Quæstio V. Quale sit peccatum ea mutare? 14



CAPUT

CAPUT II.

De Ministro Sacramentorum.

Quæstio I. Quis sit Sacramentorum Minister? N. 15.
Quæstio II. Quæ in eo requiratur intentio? 16
Quæstio III. Quando obsit valori intentio duplex, dum una illi contraria est? 21
Quæstio IV. An in Ministro requiratur fides, & gratia? 23
Quæstio V. An peccet graviter administrans Sacramentum indignè? 24
Quæstio VI. An liceat administrationem Sacramenti simulare? 30
Quæstio VII. Quomodo peccet administrans illud indignè? 34
Quæstio VIII. An teneatur sub peccato ritus Ecclesiæ observare? 41
Quæstio IX. An teneatur sequi sententiam tutiorem? 43
Quæstio X. An, & quando teneatur Sacramenta ministrare? 57
Quæstio XI. Quando teneatur iterare Sacramenta? 59

CAPUT III.

De Subjecto Sacramentorum.

Quæstio I. Quis sit subjectum capax suscipiendi Sacramentum novæ legis? N. 61
Quæstio II. Quæ requiratur dispositio in suscipiente Sacramentum ad validam ejus susceptionem? 62

Qua-

Quæstio III. Quæ dispositio requiratur in adulto ad recipiendum Sacramentum licitè, & cum fructu? 64
Quæstio IV. An suscepturus Sacramentum possit id licitè petere à Ministro indigno? 66

CAPUT IV.

De Effectibus Sacramentorum novæ Legis, & Sacramentalibus.

Quæstio I. Quid conferant Sacramenta novæ legis illa dignè suscipientibus? N. 72
Quæstio II. Quæ Sacramenta characterem imprimant? 76
Quæstio III. Quid sint Sacramentalia, & qui eorum effectus, & decens usus? 79

TRACTATUS II.

De Sacramento Baptismi.

CAPUT I.

De Quidditate, Materia, Forma, & Necessitate Sacramenti Baptismi.

Quæstio I. Quid sit Sacramentum Baptismi? N. 85
Quæstio II. Quæ sit materia remota certa, & quæ dubia Baptismi? 87
Quæstio III. Quæ sit materia proxima? 88
Quæstio IV. Quæ sit forma essentialis? 90

Quæstio V. An, & quomodo Baptiſmus ſit neceſſarius ad ſalutem? 92

CAPUT II.

De Miniſtro Baptiſmi.

Quæſtio I. Quis validè poſſit baptizare? N. 95
Quæſtio II. Quis validè ſimul, & licitè? 96
Quæſtio III. Quis teneatur baptizare? 98
Quæſtio IV. An Catholicis, inter Hæreticos habitantibus, liceat ſuos infantes ad Miniſtellum hæreticum deferre baptizandos? 105

CAPUT III.

De ſubjecto Sacramenti Baptiſmi?

Quæstio I. Quinam validè baptizari poſſint? N. 106
Quæſtio II. An fœtus abortivos, & monſtra oporteat baptizare? 107
Quæſtio III. An plures ſimul ab alio baptizari poſſint? 108
Quæstio IV. An infantes hæreticorum parentum, his invitis, licitè poſſint baptizari? 109
Quæstio V. An infantes Infidelium, qui nulli Principi Catholico ſunt ſubjecti, iis invitis, poſſint licitè baptizari? 110
Quæſtio VI. Quid, ſi ſint Principi Catholico politicè ſubjecti, ùt Judæi? 111
Quæſtio VII. Quinam poſſint, & debeant rebaptizari? 114

CAPUT

CAPUT IV.

De Effectibus, Patrinis, aliisque Ceremoniis Baptismi.

Quæstio I. Qui sint effectus Baptismi? N. 119
Quæstio II. Quid tenendum de Patrinis? 120
Quæstio III. Quid circa ritus Baptismi sit observandum? 126

TRACTATUS III.

De Sacramento Confirmationis.

Quæstio I. Quid sit Confirmatio, ejus materia, & forma? N. 133
Quæstio II. Quis sit Minister, quis subjectum, quique effectus Confirmationis? 136
Quæstio III. An, & quæ sit obligatio suscipiendi Sacramentum Confirmationis? 140
Quæstio IV. Quæ sint Ceremoniæ Confirmationis? 142

TRACTATUS IV.

De Sacramento Eucharistiæ, & Sacrificio Missæ.

CAPUT I.

De Essentia, Materia, & Forma Eucharistiæ.

Quæstio I. Quid sit Eucharistiæ Sacramentum?

tum? N. 143
Quæstio II. Quæ sit materia necessaria, & sufficiens, quâ hoc Sacramentum conficitur? 144
Quæstio III. An, & quantum aquæ vino consecrando admisceri debeat? 149
Quæstio IV. An, & quomodo, ut valeat Consecratio, materia consecranda Consecranti debeat esse præsens, & determinabilis? 150
Quæstio V. An, ut valeat Consecratio, materia per intentionem Sacerdotis determinari debeat? 153
Quæstio VI. Quæ sit forma Sacramenti Eucharistiæ, & quomodo pronuntianda? 156

CAPUT II.

De Ministro Eucharistiæ.

Quæstio I. Quis Sacramentum Eucharistiæ conficere, & dispensare possit? N. 159
Quæstio II. Quæ in Ministro requirantur, ut licitè dispenset Eucharistiam? 168
Quæstio III. Quæ præterea circa Eucharistiæ dispensationem, & asservationem sint observanda? 169

CAPUT III.

De Subjecto, Effectibus, & Necessitate Eucharistiæ.

Quæstio I. Cui cum fructu, & licitè possit administrari Eucharistia? N. 170
Quæstio II. Qui sint effectus Sacramenti Eucharistiæ? 171

Quæstio III. Quæ dispositio in suscipiente ex parte corporis requiratur ad dignam Eucharistiæ sumptionem? 172
Quæstio IV. Quæ ex parte animæ? 177
Quæstio V. An, & quando Christi Fideles teneantur sumere Eucharistiam? 180

CAPUT IV.

De Ritu Eucharistiæ, & Sacrificio Missæ.

Quæstio I. Quid sit Sacrificium in genere? N. 185
Quæstio II. An, & quale in lege nova offeratur Deo in Missa Sacrificium? 186
Quæstio III. Quis, quotuplex, & quantus sit valor Sacrificii Missæ? 188
Quæstio IV. Qui sint effectus, & fructus Sacrificii Missæ? 190
Quæstio V. Pro quibus Sacrificium Missæ offerri possit? 193
Quæstio VI. Quando Sacrificium Missæ majorem, & quando minorem fructum conferat? 195
Quæstio VII. An Sacerdotes teneantur aliquando vi Ordinis celebrare Missam? 198
Quæstio VIII. Quâ die, horâ, & quoties celebrare liceat? 199
Quæstio IX. An locus, in quo celebratur, debeat esse sacer, & hic quomodo polluatur, vel profanetur? 202
Quæstio X. Quæ præterea requirantur ad licitè celebrandum? 207
Quæstio XI. Quæ observanda Sacerdoti tum ante, tum in, & post Missam? 218
Quæstio XII. Quæ quotidie Missâ sit legenda? 224.

Quæstio XIII. Quomodo commissi in Missa defectus sint corrigendi, vel supplendi? 230
Quæstio XIV. Quæ de applicatione, stipendio, & reductione Missarum sint observanda? 231

TRACTATUS V.

De Sacramento Pœnitentiæ.

CAPUT I.

De Institutione, Essentia, & Constitutivis Sacramenti Pœnitentiæ.

Quæstio I. Quando, & quomodo sit institutum? N. 237
Quæstio II. Quid sit Sacramentum Pœnitentiæ? 240
Quæstio III. Quæ sint partes ejus essentiales quasi physicæ? 241

CAPUT II.

De Contritione, prima ejus parte materiali.

Quæstio I. Quid, & quotuplex sit contritio, & quo ordine ad eam procedatur? N. 243
Quæstio II. Qualis universim debeat esse dolor ad Sacramentum Pœnitentiæ requisitus? 247
Quæstio III. An contritio procedens ex motivo universali detestetur omnia peccata, & quomodo? 251

Quæstio IV. An omnis contritio charitate perfecta justificet extra Sacramentum sine certa intensione, & duratione? 259

Quæstio V. An ad id requiratur, ut extendat se ad omnia venialia? 260

Quæstio VI. An ad Sacramentum Pœnitentiæ requiratur perfecta contritio? 261

Quæstio VII. An attritio concepta ex consideratione turpitudinis peccati, vel amore honestatis, aut spe beatitudinis sufficiat ad valorem, & fructum Sacramenti Pœnitentiæ? 262

Quæstio VIII. An attritio concepta ex gehennæ, & pœnarum metu sufficiat ad justificationem in Sacramento? 263

Quæstio IX. An sententia de sufficientia attritionis sic explicata sit in praxi tuta, & moraliter certa? 278

Quæstio X. An ad Sacramentum Pœnitentiæ sufficiat etiam attritio, concepta ex metu pœnarum temporalium, à Deo in hac vita infligendarum? 280

Quæstio XI. Quomodo dolor, ac detestatio de peccatis se habere debeat ad Confessionem? 285

Quæstio XII. An idem dolor possit sufficere pro pluribus absolutionibus? 287

Quæstio XIII. Quandonam censeatur dolor per peccatum subsequens revocari, & tolli moralis ejus perseverantia? 288

Quæstio XIV. Quale propositum requiratur ad Sacramentum Pœnitentiæ? 289

Quæstio XV. An, & quomodo elici possit propositum deinceps vitandi omnia venialia? 293

CAPUT

CAPUT III.

De Confessione Sacramentali, altera parte materiali, essentiali Sacramenti Pœnitentiæ.

Quæstio I. Quæ sit materia sufficiens, & libera, & quæ necessaria Confessionis? N. 297

Quæstio II. An materia sufficiens Sacramenti Pœnitentiæ sit peccatum in communi? 302

Quæstio III. An peccata mortalia dubia sint materia necessaria Confessionis? 304

Quæstio IV. Quomodo peccata mortalia in Confessione sint explicanda? 310

Quæstio V. An circumstantiæ, intra eandem speciem notabiliter aggravantes, sint sub obligatione in Confessione exponendæ? 314

Quæstio VI. An actus externus, effectus peccati, consuetudo in Confessione sub obligatione explicari debeant? 317

Quæstio VII. An pœnitens licitè possit, & teneatur aliquando detegere in Confessione complicem sui peccati? 320

Quæstio VIII. Qualis debeat esse Confessio? 323

Quæstio IX. Quæ excuseat ab integritate materiali Confessionis? 330

Quæstio X. An, qui bonâ fide confessus est peccatum mortale dubium, ùt dubium, postea deprehendens, ùt certum, teneatur illud denuò confiteri, ùt certum? 332

Quæstio XI. An, & quando Confessio sit repetenda, dum in ea error ex parte Confessarii, vel pœnitentis est commissus? 333

CAPUT IV.

De Sacramentali absolutione, parte formali, essentiali Sacramenti pœnitentiæ.

Quæstio I. An, & quibus verbis constare debeat forma Sacramenti Pœnitentiæ? N. 334

Quæstio II. Quem sensum habeant verba Sacramentalis absolutionis? 335

Quæstio III. Quando danda, vel neganda, aut differenda sit absolutio? 336

CAPUT V.

De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ, seu Confessario.

Quæstio I. Quis sit Minister hujus Sacramenti? N. 337

Quæstio II. Quæ requirantur in eo, ut Sacramentum validè administret? 338

Quæstio III. Quæ requirantur, ut administret licitè? 339

CAPUT VI.

De Ministri Sacramenti Pœnitentiæ, seu Confessarii Jurisdictione, & Approbatione.

Quæstio I. Quid, & quotuplex sit Jurisdictio? N. 340

Quæstio II. Quando, à quo, & quibus modis conferatur illi Jurisdictio? 341

Quæstio III. An omnibus necessaria sit approbatio? 345.

Quæstio IV. A quo Episcopo ea haberi debeat? 347
Quæstio V. An Religiosus, approbatus in Diœcesi una, possit in alia subditum Episcopi, à quo approbatus est, absolvere? 349
Quæstio VI. An Parochus vi beneficii Parochialis sit approbatus pro tota Ecclesia? 350
Quæstio VII. An approbatus pro Diœcesi censeatur approbatus pro Monialibus? 352
Quæstio VIII. Quando Episcopus approbationem negare, limitare, & revocare possit? 353
Quæstio IX. Quibus modis cesset approbatio, & Jurisdictio? 356
Quæstio X. An liceat uti Jurisdictione dubiâ, vel tantùm probabili? 357

CAPUT VII.

De Jurisdictionis, & Approbationis restrictione, seu de casibus reservatis.

Quæstio I. Quid sit Reservatio? N. 358
Quæstio II. Quæ requirantur, ut peccatum sit reservatum? 359
Quæstio III. An peccatum reservatum incurrant ignorantes reservationem? 360
Quæstio IV. An valeat reservatio, facta sine justa causa? 362
Quæstio V. Quinam sint casus reservati tum Papæ, tum Episcopis? 363
Quæstio VI. Quis possit absolvere à reservatis? 365
Quæstio VII. Quomodo intelligenda facultas absolvendi à reservatis delegata? 366

Quæstio VIII. Quæ præterea circa absolutionem à reservatis sint observanda? 367

CAPUT VIII.

De Sigillo, aliisque obligationibus Confessarii.

Quæstio I. Quid sit Sigillum Confessionis Sacramentalis? N. 372

Quæstio II. Quo jure inducta sit gravissima illa obligatio Sigilli? 374

Quæstio III. Quæ cadant sub Sigillum Sacramentale? 377

Quæstio IV. Quinam præter Confessarium teneantur ad Sigillum Sacramentale? 379

Quæstio V. An, & quomodo Confessarius aliquando uti possit scientia ex Confessione ad avertenda mala? 380

Quæstio VI. Quomodo se geret Confessarius, si interrogetur de materia Sigilli? 382

Quæstio VII. Quæ sint aliæ Confessarii obligationes? 383

CAPUT IX.

De satisfactione Sacramentali, parte integrali Sacramenti Pœnitentiæ.

Quæstio I. An Confessarius teneatur Pœnitenti satisfactionem injungere, & hic eam acceptare? N. 388

Quæstio II. Quæ satisfactio pœnitenti sit injungenda? 390

Quæstio III. Quæ opera pœnitentibus injungi possint, & utiliùs injungantur? 392

Quæstio IV. An aliquando imponi possit satisfactio, seu pœnitentia publica? 395

Quæstio V. Quem effectum habeat satisfactio Sacramentalis ex opere operato? 397

Quæstio VI. Quando pœnitentia injuncta sit implenda? 399

Quæstio VII. Quâ intentione, in quo statu sit implenda, & quæ ab ea excusent? 401

Quæstio VIII. An pœnitentia possit impleri per alium? 404

Quæstio IX. An, & quis pœnitentiam injunctam possit mutare? 405

CAPUT X.

De Satisfactione per Indulgentias.

Quæstio I. Quid, & quotuplex sit Indulgentia? N.409

Quæstio II. Quis possit concedere Indulgentias? 411

Quæstio III. Quænam requirantur ex parte operantis ad lucrandas Indulgentias? 413

Quæstio IV. Quænam requirantur ex parte operum, & quæ præscribuntur? 414

Quæstio V. Quæ requirantur, ut Indulgentia prosit Fidelibus Defunctis? 415

Quæstio VI. Quando Indulgentiæ concessæ exspirent? 416

Quæstio VII. Quæ vis, & sensus sit clausulæ: *Volumus autem, ut præsentes literæ sint nullæ si alia Indulgentia concessa sit eandem Ecclesiam visitantibus?* 417

Quæstio VIII. An quis possit eâdem die diversas, aut bis easdem Indulgentias lucrari? 418

Quæstio IX. Quæ præterea sint observanda de Indulgentiis tempore Jubilæi? 419

CAPUT XI.

De necessitate, & effectibus Pœnitentiæ.

Quæstio I. An, & quomodo Pœnitentia sit necessaria ad salutem? N. 420.
Quæstio II. Quo tempore pœnitendi præceptum obliget? 421
Quæstio III. An, quomodo, & quibus Sacramentum Pœnitentiæ sit necessarium ad salutem? 423
Quæstio IV. Quando obliget præceptum divinum ad suscipiendum Sacramentum Pœnitentiæ? 424
Quæstio V. Quando, & quos ad id obliget præceptum Ecclesiæ? 425
Quæstio VI. Qui sint effectus Sacramenti Pœnitentiæ? 427

TRACTATUS VI.

De Sacramento extremæ Unctionis.

Quæstio I. Quid sit extrema Unctio, quæ ejus materia, & forma? N. 429
Quæstio II. An de essentia hujus Sacramenti sint inunctiones omnium quinque sensuum? 430
Quæstio III. A quo, & quibus possit, ac debeat conferri Extrema Unctio? 432
Quæstio IV. Qui sint effectus Extremæ Unctionis? 435
Quæstio V. An, & qualis sit obligatio suscipiendi Extremam Unctionem? 437

TRACTA-

TRACTATUS VII.

De Sacramento Ordinis.

Quæstio I. Quid, & quotuplex sit Ordo? N. 439

Quæstio II. Quæ sit materia, & forma Ordinum? 444

Quæstio III. Quis sit Minister Ordinis? 449

Quæstio IV. Quæ requirantur ex parte suscipientis ad ordinationem validam? 451

Quæstio V. Quæ requirantur in ordinando, ut licitè Ordinem suscipiat? 452

Quæstio VI. Qualis titulus ad Ordinis majoris susceptionem requiratur, & quæ de illo observanda? 453

Quæstio VII. A quo Episcopo tum sæculares, tum regulares debeant, & possint ordinari? 456

Quæstio VIII. Quid de literis dimissionis sit notandum? 457

Quæstio IX. Quæ sit obligatio ad preces, quas in ordinatione solet Episcopus ordinatis injungere? 458

TRACTATUS VIII.

De Sacramento Matrimonii.

CAPUT I.

De Sponsalibus, seu promissione futuri Matrimonii?

Quæstio I. Quid sint Sponsalia, & quæ ad eorum valorem requirantur? N.459

Quæstio

Quæstio II. An persona Catholica validè possit contrahere Sponsalia cum persona hæretica? 465

Quæstio III. An valida, & licita sint Sponsalia, inita sine consensu parentum, & clandestina? 466

Quæstio IV. An valeant Sponsalia, metu injusto extorta? 468

Quæstio V. An contrahens Sponsalia, occultum, quo laborat, defectum teneatur aperire? 469

Quæstio VI. Quinam possint validè contrahere Sponsalia? 470

Quæstio VII. An Sponsalibus licitè apponantur arrhæ, vel pœnæ? 473

Quæstio VIII. An Sponsalibus rectè addi possit conditio? 475

Quæstio IX. Quibus verbis, vel signis perficiantur Sponsalia? 478

Quæstio X. Qui sint effectus Sponsalium, & quando implenda? 482

Quæstio XI. Ad quid teneatur, qui fictè, vel habens impedimentum Matrimonii, contraxit Sponsalia? 489

Quæstio XII. Quomodo, & ex quibus causis Sponsalia dissolvi possint? 489

CAPUT II.

De Natura, vel Proprietatibus Matrimonii.

Quæstio I. Quid, quotuplex, & quando institutum Matrimonium? N. 500

Quæstio II. Quæ sit materia, forma, & quis Minister Sacramenti Matrimonii? 504

Quæ-

Quæstio III. Qualis consensus requiratur ad valorem Matrimonii? 507
Quæstio IV. An ad Matrimonii valorem sufficiat consensus conditionatus? 509
Quæstio V. In quale objectum ferri debeat consensus contrahentium Matrimonium? 513
Quæstio VI. An Matrimonium contrahi possit per Procuratorem, & quomodo? 515
Quæstio VII. An omne Matrimonium validum sit indissolubile quoad vinculum? 516
Quæstio VIII. An, & quâ authoritate sit, manente vinculo Matrimonii, licitum divortium, seu separatio conjugum quoad torum? 522

CAPUT III.

De impedimentis Matrimonii, & Dispensatione in illis.

Quæstio I. Quæ sint impedimenta Matrimonii tantùm impedientia? N. 526
Quæstio II. Quæ, & quotuplicia sint impedimenta Matrimonium dirimentia? 527
Quæstio III. Qualis error, conditio, votum Matrimonium dirimat? 528
Quæstio IV. Quotuplex sit cognatio, dirimens Matrimonium? 533
Quæstio V. Inter quas personas cognatio naturalis dirimat? 534
Quæstio VI. Inter quas cognatio spiritualis? 540
Quæstio VII. Inter quas cognatio legalis? 541
Quæstio VIII. Quale crimen, ligamen, & quæ disparitas cultus dirimat? 542

Quæ-

Quæstio IX. Quæ vis, seu metus, & raptus dirimat Matrimonium? 546

Quæstio X. Quid sit impedimentum publicæ honestatis, & inter quas personas dirimat? 548

Quæstio XI. Quid sit impedimentum affinitatis, & inter quas personas dirimat? 552

Quæstio XII. Quæ ætas, & impotentia sit impedimentum dirimens Matrimonium, & quid in dubio. 557

Quæstio XIII. Quæ Matrimonia sint clandestina, ideoque invalida? 562

Quæstio XIV. Quis possit dispensare in impedimentis Matrimonii? 565

Quæstio XV. An, & quæ causæ requirantur ad validam, & licitam dispensationem in impedimentis Matrimonii? 574

Quæstio XVI. Quæ sint exprimenda in petitione dispensationis? 579

Quæstio XVII. Quæ in dubio sint tenenda circa prædicta? 590

CAPUT IV.

De solennitate Matrimonii, ejusdemque invalidi revalidatione.

Quæstio I. In quo consistat solennitas Matrimonii? N. 591

Quæstio II. Qui, & ubi Parochus, & quibuscum testibus debeat assistere Matrimonio 592

Quæstio III. Quæ requirantur in assistente loco Parochi? 597

Quæstio IV. Coram quo possint vagi, peregrini, & milites contrahere Matrimonium? 600

Quæstio V. Quæ circa denuntiationes Matrimonii contrahendi sint observanda? 603

Quæ-

Quæstio VI. Quæ sit obligatio scientis impedimentum inter sponsos denuntiatos? 604

Quæstio VII. Quomodo Matrimonium, ob impedimentum dirimens contractum invalidè, sit revalidandum? 608

CAPUT V.

De Matrimoniis Hæreticorum tum inter se, tum cum Catholicis.

Quæstio I. An ejusmodi Matrimonia contracta sine præsentia Parochi valeant? N. 613

Quæstio II. An Matrimonia, inter Hæreticos cum alio impedimento Juris Ecclesiastici contracta, habenda sint valida? 632

Quæstio III. An valeant Matrimonia illorum, contracta cum intentione illa dissolvendi, si altera pars fidem violet? 633

Quæstio IV. An valeat Matrimonium, inter personam Hæreticam, & Catholicam initum cum pacto, ut pars prolium educetur Acatholicè. 634

Quæstio V. An Matrimonium personæ Catholicæ, cum Hæretico sine tali pacto initum, sit aliquando licitum? 635

Quæstio VI. An Parochus Catholicus possit licitè assistere Matrimonio, inter personas, Catholicam unam, Hæreticam alteram, contrahendo? 636


CAPUT VI.

De usu Matrimonii, & debito conjugali?

Quæstio I. Ex quo fine liceat usus Matrimonii? N. 639

Quæstio II. Quid, & quale sit debitum conjugale? 640

Quæstio III. Ex quibus causis id negari possit; 641
Quæstio IV. Quid si Matrimonium sit contractum cum dubio de valore? 647
Quæstio V. Aut bonâ fide contracto dubium superveniat? 651
Quæstio VI. Quæ Parocho circa ista sint observanda? 654



TRACTATUS I.

De Sacramentis Novæ Legis in Genere.

CAPUT I.

De Sacramentorum Novæ Legis Quidditate, & constitutivis.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit Sacramentum Novæ Legis?

1. *Definitio.* RESP. 1. Sacramentum novæ Legis est signum sensibile, practicum gratiæ sanctificantis, à Christo Domino permanenter institutum ad nostram justificationem. Vel: signum sensibile practicum gratiæ sanctificantis stabiliter à Christo Domino institutum ad homines per legitimum illius usum sanctificandos.

Dicitur 1mò. *Signum sensibile;* quia, cùm Sacramenta sint pro hominibus, qui non cognoscunt,

noscunt, nisi dependenter à sensibus; oportebat esse signa sensu perceptibilia.

Dicitur 2. *Signum practicum gratiæ;* quia Sacramenta novæ legis verè causant gratiam, quam significant, & verâ sanctitate interna sanctificant, per quod maximè differunt à Sacramentis veteris legis, quæ erant tantùm signa speculativa gratiæ nobis per Christum conferendæ vi Sacramentorum nostrorum, & per se non sanctificabant, nisi sanctitate aliquâ legali, seu deputatione ad cultum Dei, & aggregatione ad veram Ecclesiam.

Dicitur 3. *A Christo Domino institutum;* quia is etiam, quâ homo, Author est Sacramentorum nostrorum.

Resp. 2. Septem sunt novæ legis Sacramenta, non plura, nec pauciora: videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, Matrimonium. Constat ex Conc. Flor. & Trid. ac unanimi, constantique consensu Ecclesiæ. *2. Numerus.*

Pro ratione est voluntas Christi, cui hæc congruentia assignatur: nam, sicut in naturalibus naturaliter, sic in supernaturalibus debet homo 1mò nasci spiritualiter, quod fit per Baptismum. 2. Debet roborari, ut vitam tueatur, quod fit per Confirmationem. 3. Debet nutriri in virum perfectum, quod fit per Eucharistiam. 4. Debet lapsus posse erigi, æger sanari, quod fit per Sacramentum Pœnitentiæ. 5. Debet armari contra hostem in periculis maximis, quod fit per Extremam Unctionem. 6. Debent aliqui constitui, ut spiritualia dispensent cæteris; constituuntur autem per Sacramentum Ordinis. 7. Debent aliqui adjuvari, ut sanctè, & secundùm Deum humanum genus propagent, & onera fe- *3. Congruentia, cur septem Sacramenta.*

rant statûs conjugalis. Hoc autem confert Sacramentum Matrimonii.

4. Porro, licèt plures sint Ordines sacri, quia tamen tendunt in eundem finem, nempe Eucharistiam, moraliter, & unitate finis sunt unum Sacramentum: sicut species panis, & vini consecrati unum constituunt, quia ad unum convivium pertinent spirituale.

4. *Divisio.* Resp. 3. Sacramenta novæ legis 1mò alia dicuntur Sacramenta mortuorum, quæ per se, seu ex primaria sua institutione causant primam gratiam, & non necessariò in suscipiente supponunt vitam spiritualem, seu sanctificantem gratiam: Talia sunt Baptismus, & Pœnitentia. Alia sunt vivorum, quæ per se, & ex primaria sua institutione tantùm causant augmentum gratiæ, supponuntque in suscipiente vitam spiritualem, seu gratiam sanctificantem. Talia sunt reliqua à Baptismo, & Pœnitentia distincta.

2. Alia sunt characteristica, quæ characterem, seu signaculum spirituale animæ imprimunt. Talia sunt Baptismus, Confirmatio, & Ordo, quæ & ideo iterari non possunt. Alia sunt non characteristica, quæ characterem nullum imprimunt, & iterari possunt, utì reliqua quatuor.

3. Alia sunt transeuntia, quæ consistunt in actionibus physicè transeuntibus, ùt Baptismus, Confirmatio, & reliqua ab Eucharistia distincta. Aliud est permanens, quod confectum physicè permanet, ùt S.S. Eucharistia. Denique alia dicuntur formata, quæ dum suscipiuntur, causant in suscipiente gratiam; alia informia, quæ suscipiuntur quidem validè, sed ob indispositionem suscipientis non causant gratiam: ùt, si quis peccator adultus sine dolore de peccatis baptizetur, vel ordinetur, &c.

QUÆS-

QUÆSTIO II.

Quibus Sacramenta novæ Legis perficiantur?

Resp. Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, & personâ Ministri conficientis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia; quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum. Ità Concilium Florentinum in Decreto de Sacram. Constat ex traditione, & perpetua praxi Ecclesiæ. 5. *Rebus, verbis, & persona Ministri &c.*

Dixi: *Tribus perficiuntur:* nam, an omnia, prædicta sint intrinseca Sacramentorum constitutiva, non convenit inter Doctores. Affirmant multi, alii probabiliter negant, tenentque Sacramenta intrinsecè, & essentialiter constitui solis rebus tanquam materiâ, & verbis tanquam formâ, & aliquâ horum unione. Scotus essentiam Sacramenti Pœnitentiæ ponit in sola forma: sed hæc ad praxin non faciunt. Certum enim est, prædicta requiri, ut perficiatur Sacramentum, pro cujus meliore intelligentia juvat hæc pauca notare.

1mò. Materia Sacramenti dicitur, quod determinatè non significat effectum Sacramenti, sed per formam ad eum significandum determinatur: forma verò dicitur id, quod est pars determinans, clariusque effectum Sacramenti indicat, & determinat, perficitque significationem ejus, aliàs obscuram, & indeterminatam. 6. *Materia.*

7. *Duplex.* 2. Materia Sacramentorum duplex est, nempe remota, & proxima: Remota est res, quæ applicatur, traditur, vel destruitur. Proxima in Sacramentis transeuntibus est usus, seu applicatio talis rei, v. g. Baptismi materia remota est aqua elementaris; proxima est ablutio. Confirmationis remota est chrisma ab Episcopo benedictum: proxima est Unctio facta per manum Episcopi. Pœnitentiæ materia remota sunt peccata post Baptismum commissa: proxima sunt actus pœnitentis. Ordinis remota sunt instrumenta, quæ traduntur, vel manus Episcopi: proxima est instrumentorum traditio, aut manuum impositio. Extremæ Unctionis remota est oleum infirmorum, proxima est inunctio. Matrimonii materia remota sunt corpora contrahentium: proxima sunt eorum, seu juris in ea traditio. Dixi: *In Sacramentis transeuntibus*: nam Eucharistiæ, quæ est Sacramentum permanens, materia proxima sunt corpus, & sanguis Christi cum speciebus; remota est substantia panis, & vini. Hæc magis explicabuntur, ubi de singulis Sacramentis agetur.

8. *Forma.* 3. Forma Sacramenti quoque duplex est: Partialis una, Totalis altera. Partialis sunt verba respectu rerum, v. g. hæc: *Ego te baptizo*, respectu affusionis aquæ: hanc enim indifferentem ad significandum ablutionem, & refrigerationem determinant ad indicandam ablutionem. Forma totalis est institutio Christi, assumentis res, & verba ad significandum effectum Sacramenti, seu gratiam, respectu cujus institutionis etiam verba se habent instar materiæ: licèt enim verba ex institutione huma-

na

na habeant aliquam significationem, non habent tamen vim significandi collationem gratiæ, nisi ex institutione Christi. Cæterùm, quando quæritur, quæ sit materia, & quæ forma Sacramenti, quæstio est de materia & forma partiali.

4. Omnia Sacramenta transeuntia, ùt declarat sensus communis, & universalis Ecclesiæ praxis, constant intrinsecè verbis formalibus, excepto tamen Matrimonio, ad quod sufficiunt verba æquivalentia, seu signa, ùt nutus, scripturæ &c. quibus consensus internus significatur; quia, cùm hoc Sacramentum adæquatè consistat in contractu matrimoniali, quem Christus evexit ad rationem Sacramenti, nihil ad ejus valorem requisivit, nisi quod ad legitimum contractum necessarium est; aliàs multi Matrimonii essent incapaces. Hinc in citato Flor. Decreto Matrimonium dicitur effici mutuo contrahentium consensu *regulariter* per verba de præsenti expresso. 9. *Regulariter constant verbis formalibus.*

An Sacramentum Eucharistiæ simul per verba moraliter perseverantia constituatur, controvertunt Scholastici. Alii cum Lugone affirmant, alii negant. De his, ubi de Sacramentis singulis, quid dicendum, determinabitur.

QUÆSTIO III.

Qualis unio inter formam, & materiam Sacramenti ad ejus valorem requiratur, & sufficiat?

Resp. Requiritur, & sufficit utriusque coëxistentia moralis, quæ, spectatâ formæ verbalis vi significativâ, & actionis sacramentalis qua- 10. *Coexistentia moralis.*

qualitate, sufficiat, ut verba sint vera, & cadere censeantur super talem materiam, cumque illâ unum totum morale constituere. *Ratio est*; quia Sacramenta sunt composita moralia; proin requiritur, & sufficit, quòd ejus partes uniantur moraliter, ità, ut forma sit vera, & cadat super materiam in æstimatione morali. Dein alia major unio sæpe non est possibilis, aut nimis difficilis: hinc Christus, qui Sacramenta voluit esse salutis instrumenta, aliam non requisivit, ne homines essent nimiis anxietatibus, & salutis periculis expositi.

Non requiritur tamen eadem unio respectu omnium Sacramentorum: nam major, seu propinquior coëxistentia requiritur in Baptismo, Confirmatione, Eucharistiâ, Extremâ Unctione, & Ordine; quia formæ exprimunt materiam præsentem v. g. ablutionem, inunctionem, traditionem: forma autem Eucharistiæ demonstrat Corpus & Sanguinem Christi sub speciebus panis & vini, quorum substantiam destruit. Ad Sacramentum Pœnitentiæ verò non requiritur tam stricta unio; quia institutum est per modum judicii, quod non exigit, ut post accusationem, & examen statim feratur sententia. Similiter in Matrimonio, cùm sit contractus, potest unius consensus diutiùs separari ab alio, tamdiu nempe, quamdiu prior moraliter perseverat. In aliis Sacramentis curandum, ut materia & forma saltem ex parte coëxistant realiter.



QUÆS-

QUÆSTIO IV.

Quæ mutatio materiæ, vel formæ Sacramenti hoc reddat invalidum?

Resp. Mutatio quævis Theologicè substantialis in materia, vel forma Sacramentorum, Sacramentum reddit invalidum, non tamen mutatio Theologicè accidentalis. Est communis, & certa. *Ratio 1ma partis est:* quia mutatio substantialis in materia fit, quando juxta communem usum, & æstimationem hominum non est re, & nomine eadem res cum illa, quam Christus pro Sacramento instituit, & Ecclesia usurpat: uti, si in Baptismo adhiberetur loco aquæ vinum, in Extrema Unctione oleum non benedictum. Mutatio autem substantialis in forma fit, quando ità mutatur, ut non retineat sensum à Christo intentum. Atqui talis mutatio Sacramentum reddit invalidum; quia tollit vim significativam gratiæ, quam solis rebus & verbis sacramentalibus Christus Author Sacramentorum tribuit, & pro omnibus Sacramentis, excepto Matrimonio, ad quod sufficiunt quævis signa externa, consensum contrahentium sufficienter exprimentia, verba formalia determinavit, non quidem materialiter, & secundùm sonum, sed formaliter, seu secundùm significationem, sic exigente bono Ecclesiæ, ut in quovis idiomate Sacramenta conferri possent. Determinavit quoque materiam, etsi non eodem modo pro omnibus: nam pro Ordine determinavit in genere signum externum significativum gratiæ, & potestatis conferendæ, ulteriorem determinationem

11. *Mutatio substantialis, non verò accidentalis.*

in specie relinquendo Ecclesiæ. Pro Baptismo determinavit aquam elementarem, aptam abluere: pro Confirmatione Chrisma benedictum ab Episcopo; pro Sacramento Pœnitentiæ dolorem supernaturalem efficacem &c. & Confessionem, per voces, aut alia signa sufficientia faciendam; pro Euchatistia panem, & vinum de vite &c. Et hæc quidem ità determinavit; ut, salvo valore Sacramenti, mutari non possint ab Ecclesia secundùm prædicata, quæ Christus ipse determinavit. Constat ex *Trid. Sess. 21. Cap. 2.* dicente: *Ecclesiam posse mutare aliqua circa Sacramentorum administrationem, attamen salvâ eorum substantiâ.* Ubi exceptio argumentum firmat in contrarium. Atque hoc exigebat Sacramentorum dignitas, & perpetua uniformitas in Ecclesia. *Ratio 2da partis*; quia mutatio Theologicè accidentalis est in materia Sacramenti, quando ea inter homines adhuc retinet eundem usum, & nomen; in forma autem, si, non obstante mutatione, maneat adhuc sensus à Christo intentus; atqui talis mutatio non reddit Sacramentum invalidum; quia non tollitur vis significativa, quam Christus instituit: utì, si quis in Baptismo utatur aquâ calidâ, vel non benedictâ, aut loco vocis; *Baptizo*, dicat; *Abluo*. Christus enim essentiæ Sacramenti tribuit vim illam; materiâ autem, & formâ tantùm accidentaliter mutatis, manet essentia Sacramenti. Quæ autem materia, & forma requiratur ad essentiam Sacramentorum, cognoscitur ex usu & doctrinâ Ecclesiæ; quæ, cùm sit columna, & firmamentum veritatis, non potest errare in iis, quæ ad fidem, bonos mores, ad Sacramenta, & generalem disciplinam, cultumque

Dei

Dei pertinent. Circa hæc notanda sunt sequentia.

1. Materia Sacramenti mutatur substantialiter non tantùm, quando amittit prædicatum physicum ; sed etiam morale, à Christo requisitum : sic mutatio est substantialis in materia Extremæ Unctionis, non tantùm, quando deficit ratio olei olivarum ; sed etiam, quando deficit benedictio : uti, si affunderetur benedicto oleo unâ vice quantitas illo major de non benedicto ; quia periret prædicatum sacri, quod Christus requisivit. 12. *Mutatio materiæ.*

2. In forma verbali Sacramentorum mutatio fieri potest variis modis.

1. Per positionem unius vocis pro alia ejusdem, vel diversi idiomatis : ut, si pro voce *Absolve*, dicatur : *Te libero à peccatis.* 13. *Forma varia mutatio.*

2. Per transpositionem, v. g. dicendo : Hoc est meum Corpus.

3. Per additionem, vel detractionem alicujus vocis.

4. Per vocis alicujus corruptionem, detrahendo, vel mutando aliquam ejus syllabam, v. g. dicendo : Hoc est Corpus meus, hic est Calix Sanguis mei.

5. Per interruptionem ; nempe pronuntiando unam partem formæ, & dein cessando per aliquod tempus, & tum alteram ejus partem addendo.

6. Per usum verborum æquivocorum. His modis si sic mutentur verba, ut nec per se, nec in circumstantiis ingenerare audientibus, & intelligentibus apta sint sensum à Christo intentum, mutatio erit substantialis, & Sacramentum invalidum ; secùs, si sensus à Christo intentus maneat. Quare, si verba corruptè

ruptè pronunciata ex imperitia, balbutie, linguæ præcipitantiâ &c. sensum illum retineant, quem ingenerant rectè prolata, Sacramentum erit validum ; secùs, si contrarium fiat. Sic corruptio verborum : *Baptizo te in nomine Patria, & Filia, & spiritu sancta* : non tollit sensum verum ; quia ex circumstantiâ non intelligentis idioma satis intelligitur, quid verbis illis intenderit significare, & efficere. Unde Zacharias Papa *Cap. Detulerunt.* 18. *De Consecratione Dist.* 4. declaravit Baptismum, ab ignaro linguæ latinæ sic collatum, fuisse validum : addidit tamen, si processerit ex ignorantia, sine intentione inducendi errorem, vel novum ritum ; quia tunc, intendendo sensum alium, deesse potuisset mens faciendi, quod facit Ecclesia. Vide Suar. hîc *Disp.* 2. *sess.* 5.

Similiter, si interruptio talis fiat, ut adhuc morali judicio verba constituant unam orationem, non oberit valori Sacramenti : ùt, si baptizans, postquam dixit: *Ego te baptizo* : tussiat, vel dicat pueris : Silete, & deinde addat : *In nomine Patris &c.* Si autem interruptio tollat unitatem orationis in forma, utì, si dicat : *Ego te baptizo*, & non, nisi recitato uno Psalmo, addat reliqua, oberit valòri ob defectum sensûs substantialis. Quæ autem interruptio tollat unitatem moralem orationis, prudenti judicio, ex circumstantiis, modo, duratione interruptionis, determinandum est.

Cæterùm sine necessitate interruptio repugnat usui Ecclesiæ, & reverentiæ Sacramenti, ob quam curandum, ut forma distinctè, integrè, rectèque pronuntietur.

Denique, si quis verbis æquivocis uteretur, determinando ea ad sensum falsum, mutatio esset

esset substantialis, obstaretque valori Sacramenti: sensus enim verborum in æquivocis pendet ab intentione proferentis; quia, cùm tales voces sint indifferentes ad utrumque sensum, debent aliunde determinari ad unum: quod fieri non potest, nisi per intentionem loquentis, vel, hac deficiente, per circumstantias. Unde, si minister, utens verbis æquivocis, habeat rectam intentionem, faciet Sacramentum validum, si verba possint habere sensum à Christo intentum; invalidum verò, si intentio adsit utendi verbis in alio sensu: ut, si Sacerdos in Consecratione Calicis per tò, *Hic* intenderet designare locum; quia sensus à Christo intentus est, ut significetur transitus substantiæ vini in substantiam Sanguinis Christi. At verò extra æquivocationem sensus verborum non pendet ab intentione loquentis. Hinc valebat Baptismus Arianorum, quamvis circa formam malè sentirent, tenendo, Filium esse Patre minorem; quia formam rectè pronuntiabant. Econtra non baptizaret validè, qui adhiberet verba, vel nihil, vel quid aliud significantia, licèt per illa verum sensum intenderet; quia significatio vocum ab ipso non provenit; sed illæ in actione communi, ùt est Baptismus, significant, ad quod significandum institutæ sunt. Vide dicenda de Baptismo Num. 91.

QUÆSTIO V.

Quale peccatum sit in Sacramentis mutare materiam, & formam?

14. *Est grave mutare substantialiter.*

Resp. Mutare materiam, vel formam substan-

ſtantialiter, eſt mortale. 1. Contra Religionem; eſt enim quodammodo illudere Chriſto, Sacramentorum Authori contra ejus inſtitutionem adhibere ſigna ad gratiam, ejus nomine conferendam, quæ ipſe ad hoc non aſſumpſit. 2. Sæpe contra charitatem; quia proximus privatur magno bono ſpirituali. 3. Etiam contra Juſtitiam, ſaltem, ſi à Paſtore id fiat; quia hic ex Juſtitia tenetur ſubditis ſuis, quoties rationabiliter petunt, Sacramenta vera adminiſtrare. Id quod probabiliter etiam extenditur ad alios, non Paſtores; quia hoc ipſo, quòd quis ſe ad ſuſcipiendum Sacramentum ſubmittat, & Sacerdos adminiſtrare velit, hic ſe tacitè obligat ad conferendum hoc, quod petitur, Sacramentum, nempe certò validum; alioquin alius quæreretur, qui conferret validè.

Eſt quoque mortale extra caſum neceſſitatis materiam, vel formam Sacramenti mutare mutatione accidentali notabili; quia in materia gravi, ad Religionem pertinente, eſt gravis deordinatio contra præceptum Eccleſiæ, & uſum, vim legis habentem, ùt conſtat tum ex ſenſu communi, tum ex *Trid ſeſſ. 7. Can. 13.* & *Miſſali Romano de defectibus* dicente, graviſſimè peccaturum, qui aliquid formæ Euchariſtiæ adderet, etſi ſignificationem non mutaret. Unde, per ſe loquendò, peccat mortaliter, qui in Eccleſia Latina conſecrat panem fermentatum, vel utitur in Conſecratione aliâ linguâ, quàm latinâ; qui in Extrema Unctione utitur oleo antiquo loco novi extra caſum neceſſitatis. Secùs tamen eſt, ſi mutatio accidentalis non ſit notabilis; tunc enim, cùm deordinatio tantùm ſit levis, veniale non exce-

excedit: ùt, si quis in forma latina Baptismi, vel Pœnitentiæ omittat tò *Ego*, vel in forma Consecrationis tò *Enim*: ùt habet communis contra Vasquez, modò absit contemptus, periculum errandi in substantialibus, scandalum, aliaque prava intentio. An in confectione Sacramenti liceat aliquando uti materiâ dubiâ, & sequi sententiam tantùm probabilem de valore Sacramenti, dicetur Cap. sequenti Num. 45.

CAPUT II.

De Ministro Sacramentorum.

Minister Sacramentorum novæ Legis, de quo nobis hîc est sermo, est is, qui, nomine Christi operans, Sacramentum conficit. Unde nec dispensans Eucharistiam, nec pœnitens, ponens Confessionem, & dolorem, est minister Sacramenti; quia non conficiunt nomine Christi, omnium Sacramentorum principalis Ministri.

QUÆSTIO I.

Quis sit Minister Sacramentorum novæ Legis?

Resp. Solus homo viator, ratione utens, in hac Dei providentia est Minister ordinarius Sacramentorum novæ Legis, non tamen quilibet omnium. *Ratio 1mæ partis est*; quia, sicut Christus solis hominibus viatoribus dixit Matthæi 18. *Euntes docete omnes gentes, bapti-* 15. *Solus homo viator.*

ptizantes eos &c. Et Joannis 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis &c.* Sic illis solis potestatem conferendi illa Sacramenta tradidit. Et idem de aliis Sacramentis habetur ex Scriptura, & traditione Apostolorum. Hinc *Concil. Florent. in Decreto Eugenii*, non nisi homines viatores pro singulis Sacramentis Ministros assignat. *Ratio 2dæ partis est*; quia, licèt Baptismum omnis homo viator, mas & fœmina, ratione utens, conferre validè possit, & Matrimonii Ministri sint omnes contrahentes, seu ejus capaces contrahendi, juxta sententiam communissimam: Pœnitentiæ tamen, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis Ministri sunt Sacerdotes soli: Confirmationis verò & Ordinis soli Episcopi de potestate ordinaria. Constant hæc ex perpetua traditione Ecclesiæ, quæ in hujusmodi errare non potest, utpote ex quibus, ùt Trid. sub initium Sess. 7mæ loquitur, omnis vera Justitia vel incepit, vel incepta augetur, vel perdita recuperatur. Hinc, licèt Angeli possint ministrare Sacramentum Eucharistiæ jàm confectum; nec tamen hi, nec animæ beatæ de potentia ordinaria conficere Sacramentum possunt, à Christo institutum.

QUÆSTIO II.

Qualis intentio requiratur in Ministro ad validè, & licitè conficiendum Sacramentum?

Certum est, quòd aliqua in eo ad id requiratur intentio, quia agere debet humano modo nomine Christi, qui principalis est Sacramen-

mentorum Minister, uti fide certum est, constatque ex Scriptura; nam Joan. 1. v. 33. dicitur de Christo: *Ille est, qui baptizat.* Et Joan. 4. dicitur Christus baptizans per Discipulos. Et Apostolus 2. Cor. C. 2. v. 10. de aliis etiam Sacramentis ait: *Ego donavi, si quid donavi, in persona Christi.* Quæritur, qualis debeat illa esse intentio. Ad quod

Resp. 1. In Ministro, per se conficiente Sacramentum, requiritur intentio actualis, libera, eaque directa, agendi nomine Christi; sufficit tamen confusa & implicita; etsi coacta (excepto Matrimonio) quia & hæc est simpliciter libera; non verò sufficit intentio ponendi purè materialiter actiones, & verba, seu ritum. Est communis & certa. 16. *Requiritur intentio actualis.*

Ratio 1mæ partis est; quia materia proxima Sacramentorum debet esse actio humana, & forma humana locutio, ut Mysteria divina prudenter dispensentur, ùt admittunt omnes; atqui ad id requiritur intentio actualis libera, & directa, quâ intenditur in se, quod agitur, ùt patet, eundo per omnes actus humanos. Unde non sufficit intentio habitualis, id est, habita, & non retractata, multò minùs interpretativa, seu, quæ nec est, nec fuit, præsumitur tamen adfore, si cogitatio de illa incideret, eò quòd homo sit ità comparatus animo, ut illam haberet, si de ea cogitaret. Hinc non valet Baptismus, collatus ab amente, ebrio, dormiente v. g. noctambulone, etsi antè adfuisset intentio, eum conferendi. *Nec juvat*, quòd, ut offeram pro altero Sacrificium Missæ, non requiratur actualis applicatio, dum fit Sacrificium, sed sufficiat præterita non retractata: nam applicatio Missæ non est confectio

Sacri-

Sacrificii, sed quædam donatio in diem, quæ statim acceptatur à Deo, & valet, dum advenit tempus, quamvis non accedat nova donatio. Neque sufficit intentio indirecta, quâ aliquid intenditur in sua causa, vel alio, ex quo sine libertate immediata prævidetur secuturum: ùt, si quis prævidens, se in ebrietate Sacramentum certum collaturum, eò quòd aliàs id attentaverit, se inebriaret, ut id in ebrietate conferret: talis enim intentio non sufficit, ut agat humano modo conferendo Sacramentum; quia ad hoc requiritur, ut actio pendeat ab actuali intentione influente.

Ratio 2dæ partis est; quia, ut quis operetur, ùt Minister, debet operari ex intentione operandi, quod vult principalis, & nomine ejus; sed in conficiendis Sacramentis homo operatur; ùt Minister Christi: ergo debet operari ex intentione illius, quod ipse vult, & nomine ejus. *Minor* constat ex Apostolo dicente: *Sic nos existimet homo, ùt Ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum Dei. Major* probatur; quia, ùt habet S. Thomas 3. p. q. 64. a. 8. *Quando aliquid se habet ad multa, debet ab operante determinari ad id, quod vult efficere*; actiones autem & verba, in Sacramentis adhiberi solita, habent se ad multa, v. g. ablutio potest ordinari ad mundandum, refrigerandum corpus: verba possunt proferri, docendi, imò jocandi causâ: ergo debent determinari ad id, quod efficiendum est, nempe Sacramentum nomine Christi ponendum. Et aliàs, qui sine intentione agendi nomine Christi, proferret verba Consecrationis super panes in mensa positos, hos omnes consecraret, quod falsum est.

Ratio

Ratio 3tiæ partis est ; quia juxta omnes sufficit intentio 1mò conferendi effectum sacramentalem, seu gratiam : 2dò faciendi, quod facit Ecclesia : 3tiò faciendi Sacramentum : 4tò, quod Christus instituit, seu voluit fieri : 5tò, faciendi, quod faciunt alii legitimi Sacramentorum Ministri : sic enim adest intentio agendi nomine Christi exercita & implicita.

Quarta pars (quæ est contra Paludanum, Catharinum, Sylvestrum, Scribonium & quosdam recentiores Lovanistas, contendentes sufficere intentionem ponendi præcisè ritum externum absque ulteriori intentione) constat partim ex dictis ; quia per hoc præcisè non agitur nomine Christi : partim ex Conciliis, & declaratione Papæ. Nam 1. Concilium *Florentin.* supra in *Decreto Eugenii* ; & *Trid. Sess.* 7. *Can.* 11. in Ministro requirunt intentionem faciendi, quod facit Ecclesia : sed Ecclesia non tantùm ponit ritum externum, sed intendit Sacramentum ; ergo requiritur intentio faciendi Sacramentum, seu signum practicum gratiæ.

Deinde *Trid. Sess.* 14. *Cap.* 6. declarat, pœnitentem non esse verè absolutum, si Sacerdoti desit animus verè absolvendi ; ergo ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ non sufficit animus pronuntiandi verba, sed requiritur intentio verè absolvendi, seu conferendi Sacramentum.

Eadem est ratio de omnibus aliis Sacramentis ; ergo in omnibus requiritur intentio faciendi Sacramentum. 2. Alexander VIII. damnavit hanc propositionem : *Valet Baptismus, collatus à Ministro, qui omnem ritum*

externum, formamque baptizandi observat, intus verò in corde suo apud se resolvit : non intendo facere, quod facit Ecclesia; atqui valeret Baptismus, si sufficeret intentio ponendi ritum externum; quia excludendo intentionem faciendi per actiones sacramentales, & formam, quod facit Ecclesia, nihil excluderetur, necessariò requisitum ad valorem Sacramenti.

Et *Ratio est*; tum quia Minister Sacramenti non utitur potestate ministeriali, nisi eâ velit uti; at non vult eâ uti, nisi per eam velit producere effectum Sacramento illi proprium: tum quia ex mente Christi actiones sacramentales debent esse actus morales, ità, ut Ministri verè dicantur absolvere, consecrare &c. humano modo, actio autem moralis sacramentalis debet esse intenta, ùt talis. Unde sub mortali tenetur Minister Sacramenti habere intentionem operandi nomine Christi, saltem confusam, & implicitam. Cæterùm, ùt sufficiat intentio faciendi, quod facit Ecclesia, non necessariò debet esse intentio faciendi, quod facit Ecclesia Romana, etsi sola sit vera Ecclesia; sed sufficit intentio faciendi, quod facit vera Christi Ecclesia, quæcunque illa sit, imò faciendi, quod facit Ecclesia particularis, quæ putatur vera, etsi reipsâ sit falsa, modò in illa adhibeatur recta intentio; quia tunc adest intentio virtualis faciendi, quod Christus instituit, facitque vera Ecclesia, neque error speculativus circa Ecclesiam, vel efficaciam, aut effectum Sacramenti impedit hujus valorem ex parte Ministri : hinc validè baptizat Hæreticus, negans Ecclesiam Romanam esse veram Ecclesiam, aut per Sacramentum conferri gratiam, modò debitè ponat materiam,

& formam Sacramenti, quod cùm sit causa necessaria gratiæ, sufficit id applicari; etsi effectus non cognoscatur, aut intendatur explicitè.

Dixi in responsione: *In Ministro per se conficiente Sacramentum*: nam ad Matrimonium, quod contrahitur per Procuratorem, sufficit in principali, contrahente per Procuratorem, intentio habitualis, dum pars altera consentit, quanquam in eo requiratur intentio actualis, dum ponit actiones ex parte sua requisitas: uti & requiritur in Procuratore intentio actualis contrahendi nomine sui principalis. Atque hoc speciale est Matrimonio, quod, quia est contractus, per Procuratorem celebrari potest.

Resp. 2. Ut validè conficiatur Sacramen- 17.
tum, intentio id conficiendi 1mò debet esse determinata respectu materiæ, & personæ, id est, ferri in personam, & materiam determinatam. 2. Debet esse de præsenti. 3. Quamvis formalis explicita magis consulat reverentiæ Sacramenti, sicque optima sit, non est tamen ad valorem Sacramenti necessaria, sed sufficit virtualis, seu formalis implicita.

Ferri debet in personã, & materiam determinatam.

Ratio 1mæ partis est; quia aliàs forma, utpote continens pronomina, non erit vera, ùt patet expendenti singulas; dein actiones sunt circa singularia, nec se extendunt ultra intentionem agentis. Unde, si Sacerdos, habens ante se duas hostias, vellet tantùm unam consecrare, & nullam determinaret, neutra consecraretur; quia intentio non foret determinata quoad materiam, & forma esset falsa: diceret enim demonstrari materiam, & nulla demonstraretur. Non est tamen necesse, imò perperàm foret, intentionem restringere ad cer-

tum individuum formaliter, & explicitè ab aliis discretum v. g. ad Petrum, Catharinam; sed dirigenda est intentio ad personam præsentem. Quodsi fiat, Sacramentum, si Matrimonium excipias, valebit, etiamsi alia sit persona præsens, quàm existimet Sacramentum administrans: error enim ille speculativus intentioni verè conferendi Sacramentum præsenti non obest.

Dixi: *Si Matrimonium excipias*: cùm enim plurimùm intersit, cum qua persona individua vitæ societas ineatur, intentio contrahentium Matrimonium est restricta ad personam, cum qua contrahere statuerunt.

Ratio 2dæ partis est; quia, ùt habet communis sententia PP. & TT. Christus Dominus Ministris Sacramentorum potestatem non dedit eorum valorem, vel effectum suspendendi in adventum conditionis de futuro, saltem, si Matrimonium excipiatur. Cujus *Ratio est*; quia conditio apposita vel fuisset impertinens, v. g. *Absolvo te, si cras pluerit*; & jam non poterat rationabiliter concedi facultas tali eventui affigendi valorem, vel effectum Sacramenti; vel non fuisset impertinens, v. g. *Absolvo te, ubi aliena restitueris*; & in tali casu vel prudenter credita fuisset tempestivè conditio purificanda, vel non. Si primum; pœnitens absolutè est absolvendus. Si secundùm; absolutio tanquam indisposito, nisi aliunde excusatio legitima adsit, est neganda, aut jubendus pœnitens redire ad confessionem, ubi obligationi suæ satisfecerit. Unde tentans suspendere valorem vel effectum Sacramenti, non conficit Sacramentum de præsenti, cùm ad id requisita desit intentio: nec de futuro; quia tunc

tunc deest materia & forma. Potest tamen aliunde non conferri effectus Sacramenti, positâ ejus essentiâ: utì, si Sacramentum Baptismi conferatur adulto peccatori indispositо ad effectum. Pro ratione est voluntas Christi.

Hinc 1. Conditio de præsenti, vel præterito non irritat Sacramentum, si sit posita; quià tunc voluntas æquivalet absolutæ, cùm existat, nec suspensa maneat. Econtra, si conditio non sit posita, irritum est Sacramentum, sive jam conditio sit intrinseca, & ex natura, id est, requisita necessariò ad valorem Sacramenti: utì, si es ritè dispositus, si baptizatus, te absolvo; sive sit extrinseca, seu non requisita ad valorem ejus, quod intenditur, v. g. Sacramenti: ùt, si restituisti aliena, te absolvo; quia tunc intentio deest. Unde

2. Conditio de futuro semper irritat Sacramentum; quia suspendit præsentem intentionem, facitque, ut Minister hìc & nunc non habeat voluntatem absolutam conficiendi Sacramentum: modò tamen non sit æquivalenter de præsenti, ùt est secundùm aliquos, si dicatur: Absolvo te, si cras Sol oriatur; quia sensus est: si nunc verum est, quod cras Sol orietur.

Dixi: *Si Matrimonium excipias*: hoc enim, sicut alii contractus, valet sub conditione de futuro, quando illa ponitur: neque in tali casu suspenditur effectus Sacramenti, quia contractus is non est materia Sacramenti, nisi impletâ conditione evadat absolutus, & tunc statim causat gratiam in subjecto disposito: ergo non suspenditur effectus Sacramenti, cùm hoc ante nòn sit, sed sit postea.

Ratio 3tia partis est; quia intentio formalis

malis explicita est, quâ aliquid clarè cognitum intenditur, seu quæ perceptibiliter advertitur ab eo, qui illam habet: ùt, si quis animo dicat: *Volo hunc baptizare, absolvere*, &c. Hâc magis consulitur reverentiæ Sacramenti; virtualis verò, quæ rectè formalis implicita dicitur, est vis à formali intentione relicta, vi cujus actio, per formalem intentionem cœpta, continuatur, etsi ad illam non reflectamus: ùt, si quis positâ intentione formali explicitâ eundi Treviros, colloquens in via cum sociis iter prosequatur, non reflectens ad terminum, quò tendit: similiter, si quis præmissâ intentione audiendi Confessiones, legendi Missam, postea absolvat, vel consecret distractus. Talem autem intentionem sufficere ad validè conficiendum Sacramentum extra controversiam est, declaratque satis Ecclesiæ praxis, & sensus, quæ Sacramenta sic collata approbat ùt vera, nec immeritò: nam talis intentio sufficit, ut actiones fiant humano modo, & morales sint; sicut sufficit, ut contractus, oratio, aliaque opera sint actus humani, & meritorii in suî continuatione. Et sanè, nisi intentio istâ sufficeret, Ministri Sacramentorum, hæcque suscipientes essent infinitis anxietatibus expositi; cùm facillimè propter instabilitatem imaginationis labamur in distractiones sæpe inevitabiles: atque ità Christus suis Ministris imposuisset difficultatem insuperabilem cum evidenti animarum periculo indeclinabili, ob quæ omnes fugerent officium Ministri: quis autem id de Christo vel imaginari sibi audeat.

18. *In quo* Dubium tamen est, in quo consistat virtualis ista intentio. Suar. Sotus, & alii tenent, illam

illam esse actionem externam ab actuali formali intentione inchoatam, & vi illius adhuc perseverantem, quam volunt sæpe perseverare sine cogitatione, & volitione ejus: ubi cogitatio & volitio præcessit, inquiunt, continuatur naturaliter, sufficitque ad augmentum meriti libertas mediata. Pallavicinus putat, actionem continuari dependenter ab appetitu sensitivo; Côning dependenter ab impressione quadam in imaginatione, nata ex intentione prima actuali. *consistat intentio virtualis?*

At nunc communior, & meo judicio vera sententia cum Card. Lugone docet, virtualem intentionem esse actum voluntatis remissum. *Ratio est.* 1. Quia actiones externæ continuatæ fiunt humano modo: sicut autem inchoari non possunt humano modo, sic nec continuari, nisi à præsente actu voluntatis: aliàs actiones liberè cœptæ adhuc in suî continuatione essent humanæ & liberæ, etsi Deus ad illas necessitaret. 2. Continuando actus bonos augemus merita, etiam dum inculpabiliter distracti pergimus cum intentione virtuali, ùt communiter admittitur; atqui, nisi adesset actus voluntatis, saltem tenuis, non augeremus merita; quia tota bonitas formalis, & vis meritoria ab actu libero voluntatis est. *Nec juvat*, quòd actus imperatus voluntatis probabiliter sit meritorius, etsi tantùm foret mediatè liber; quia is tendit nihilominus in objectivam honestatem, directus ab actu voluntatis libero existente; at homo continuans actum bonum, per Adversarios actum voluntatis non ampliùs habet, quo prosequatur honestatem. 3. Contingit, ut actiones externas omittamus ad breve tempus, & iterum resu-

resumamus sine expressa intentione; hoc autem non fit sine actu voluntatis tenui; quia secundùm omnes humano modo inchoare non possumus sine actu voluntatis libero. 4. Experientia docet, quòd sæpe operemur ex tenui actu voluntatis: nam, dum accedimus Sacramenta; adoramus Eucharistiam, Crucifixi imagini detegimus caput; credimus: noncredimus autem sine actu voluntatis, & tamen hunc non advertimus. Rusticus, dum frumenta seminat, sperat messem: aliàs frumenta non projiceret in terram, & tamen de messe signatè sæpe non cogitat, nec actum spei advertit: quæ ergo ratio negandi, nos continuare actiones nostras externas ex tenui actu voluntatis, inque hoc consistere intentionem virtualem? 5. Experimur, nos longè aliter operari, dum ad alia etiam fortiter abstracti ambulamus, quàm experimur in somno: ergo signum est, non solùm fieri actionem externam ex sensu appetitivo, vel imaginatione phantasiæ, sed adesse actum voluntatis, consequenter cognitionem intellectûs, quia nihil volitum, nisi ab intellectu præcognitum.

19. *Ordinariè absoluta requiritur* Resp. 3. Intentio Ministri, ut licitè conferat Sacramentum, ordinariè debet quoque esse absoluta, potest tamen, &, quando adest prudens ratio, aliquando debet esse conditionata, adjectâ conditione intrinsecâ de præsenti, uti, si dubium sit de Baptismo, vel Ordine, vel an pœnitens, in necessitate constitutus, sit ritè dispositus &c. *Ratio 1mæ partis est*; quia voluit Christus, & ritus Ecclesiæ habet, ut Sacramenta conferantur absolutè sine restrictione ad conditionem, nisi ratio prudens suadeat contrarium. *Ratio 2dæ partis est*; quia & saluti

luti proximi, quoad fieri potest, & reverentiæ Sacramenti consulendum; hoc autem fit per appositam conditionem, si Sacramentum ex justa causa conferendum est, & prudens sit dubium de capacitate, vel dispositione subjecti: nam si desit conditio intrinseca; seu requisita ad valorem, Sacramentum non conficitur, & irreverentia non committitur.

Dixi: *Adjectâ conditione intrinsecâ*: nam illicitum est, saltem, si Matrimonium excipias, conferre Sacramenta sub conditione extrinsecâ, seu non necessariâ ad valorem, v.g. *Baptizo te, si habes consensum patris tui*: *Absolvo te, si sis virgo &c.*

Quæres. An, si quis sub conditione sit baptizandus, vel absolvendus &c. conditio sit verbis exprimenda, vel sufficiat mente adjici? 20. *An conditio exprimenda verbis?*
Resp. Imprimis ad valorem Sacramenti non requiritur, ut verbis exprimatur; quia forma satis restringitur per intentionem mente retentam, cùm verba formæ non operentur ultra intentionem loquentis: dein non videtur esse obligatio, ut ore exprimatur, ùt tenet Castrop. Gormaz, aliique plures cum Gobat, dicente, satis esse, quòd implicitè mente adjiciatur: utì, si animum habeat absolvendi v.g. juxta institutionem Christi, vel solos dispositos &c. *Ratio est;* quia, licèt verba in formis sint absoluta, consignificant tamen conditiones intrinsecas, omnique legitimæ intentioni inest conditio intrinseca, solumque exprimitur, ut minister indicet, se nolle transgredi præceptum Dei prohibentis, Sacramenta conferre indispositis. Unde verba, etsi conditio ore non addatur, manent conformia menti. Consultius tamen est, & praxi con-

formius, ut conditio verbis aliis exprimatur; quæ tamen non erunt pars formæ.

QUÆSTIO III.

An, vel quando valori Sacramenti obsit, si Minister habeat duas intentiones contrarias, quarum una repugnat ejus valori?

21. *Spectanda intentio prævalens.* Resp. Non obest valori Sacramenti, si intentio illud conficiendi sit appretiativè major, & prævaleat intentioni, quæ valori Sacramenti repugnat; quia intentio conficiendi Sacramentum tunc est efficax, altera verò inefficax. Si verò intentio repugnans valori prævaleat, & sit appretiativè major, tum obest valori; quia tunc intentio non conficiendi est efficax, intentio verò id conficiendi est inefficax, adeoque nihil efficit.

Quæ sit intentio prævalens; Porro illa intentio prævalet, & est efficax, quæ est magìs absoluta; seu vi cujus operans sic est animo comparatus, ut, si reflecteret, alteram posse obesse, eam expelleret. In exemplo: Hæreticus contrahit Matrimonium, ità tamen, ut velit esse dissolubile, si uxor frangat adulterando fidem conjugalem; quia putat sic Matrimonium esse institutum; is, si sic animo est constitutus, ut adhuc contraheret, etsi sciret esse indissolubile; prævalet intentio contrahendi, valetque Matrimonium: secùs, si ità est animo comparatus, ut non contraheret, si sciret, eo etiam casu esse indissolubile; quia Matrimonium saltem jure divino est indissolubile. Proin qui intendit dissolubile, Matrimonium non intendit. Idem est in aliis Sacra-

cramentis. V. N. 633. Quodsi utraque intentio esset æqualis, nihil operaretur; quia neutra esset efficax. Unde si Titius antè noluit contrahere Matrimonium cum Caja, nunc autem contrahit cum præsente, quæ est Caja, ab ipso non agnita, & ità sit animo comparatus, ut nesciat, quid facturus fuisset, si scivisset esse Cajam, nullum erit Matrimonium; quia neutra intentio prævalebat.

Sed, quid dicendum, si Episcopus ante ordinationem, ùt facere solent aliqui, per suum Archi-Diaconum protestetur suæ intentionis non esse ordinare eum, qui per fraudem se ingesserit, v g. non admissus in examine, vel sine titulo, ætate, examine, &c. an talis validè ordinatur? Resp. Si illa generalis intentio non ordinandi ejusmodi prævaleat, invàlidè ordinatur; secùs, si prævaleat intentio, singulos, dum materiam Ordinis illis applicat, & formam pronuntiat, ordinandi, de quo, si cui dubium rationabile oriatur, Episcopus interrogandus est, & interim abstinendum à ministerio talis Ordinis, vi cujus conferendum esset Sacramentum. Quodsi interrogari non posset; Ordo Presbyteratus sub conditione repetendus esset, ob gravia incommoda consecutura, si ordinatio fuisset invalida. 22. *De intentione non ordinandi impeditos.*

Majus dubium est, an Episcopus possit licitè intendere, non ordinare accedentem cum simili defectu? Nam Navar. Gobat Tr. 8. N. 316. & alii Episcopum ajunt peccaturum mortaliter, si id intendat; quia gravissima inde sequerentur incommoda: publicè enim haberetur talis tanquam validè ordinatus, & tamen non esset, ideoque invalidè, deficiente Sacerdotio, consecraret, & absolveret. Hinc Lugo

hic

hìc Disp. 8. N. 119. illam protestationem non probat, utpote quæ fundamentum non habeat in ritibus Ecclesiasticis: & quamvis fiat, plus significare non debet, quàm Episcopum nolle quemquam, sic accedentem, scienter ordinare, & optare, ut talis emaneat, repellendumque esse, si sciretur. Arriaga non audet quidem improbare etiam protestandi consuetudinem; putat tamen certum, ritè ordinari cum defectu bonâ fide accedentes; quia Episcopus, priusquam ordinet, ab impedimentis, à quibus potest, absolvit in ordine ad effectum ordinationis, & protestatio facta est ad repellendos malâ fide accedentes; cùm accedentes bonâ fide non possint eâ deterreri, adeoque ad eos non dirigatur. Accedit, quòd aliàs innumeris exponerentur anxietatibus bonâ fide ordinati. Tenent quoque A. A. communiter, teste La Croix, etiam malâ fide accedentem, ordinariè loquendo, validè ordinatum censeri; at id non semper verum est. Nam cùm Anno 1747. mense Septembri Treviris quidam in examine rejectus, se cum aliis ordinandum stitisset, seque ordinatum putans, petiisset testimonium Presbyteratûs, hocque negaretur, eò quòd non fuisset in examine admissus; res delata est ad Episcopum: hic autem edixit, talem non esse ordinatum, se non habere, nec habiturum intentionem, tales ordinandi; ne scientes, se nihilominus ordinari validè, plures se per fraudem ingerant. Quæ ratio an aliis incommodis præponderet, relinquo sapientioribus expendendum. Scienter sic ordinatus suspensionem incurrit, sique in hac Ordinem exerceat, est irregularis, peccatque graviter, quoties eum exercet. Hæc, si

ſi non deterreant à ſuſcipiendo ordine per fraudem, vix aliud impediet; quò minùs ſe gerat, ùt Sacerdotem, & invalidè conficiat Sacramenta, cum gravi fidelium incommodo.

QUÆSTIO IV.

An ad valorem Sacramenti in Miniſtro requiratur Fides, & Sanctitas, ſeu ſtatus gratiæ?

Reſp. Negativè. Eſt de fide tum ex perpe- 23.
tua traditione, & uſu Eccleſiæ Romanæ, quæ *Nec fi-*
nunquam rebaptizavit Baptizatos ab Hæreti- *des, nec*
cis, fide, & ſanctitate deſtitutis; tum ex *probitas*
C. C. *Lateran.* 4. *C.* 1. *Trid. Seſſ.* 7. *Can.* 4. *de Baptiſmo*, in quibus definitur, Baptiſmum, ab Infidelibus, Hæreticis, Judæis in forma Eccleſiæ collatum, eſſe validum. Præterea Trid. ibid. Can. 12. de Sacramentis in genere anathema dicit ei, qui dixerit Miniſtrum, in peccato mortali exiſtentem, ſi neceſſaria ſervet, non conficere Sacramentum. Et ratio eſt tum; quia principalis Miniſter Sacramentorum eſt Chriſtus, à cujus meritis vim habent independenter à fide, & probitate Miniſtri inferioris; tum quia, ſi effectus Sacramentorum penderet à fide, & probitate Miniſtri, Chriſtus fideles reliquiſſet innumeris periculis, dubiis, & anxietatibus, quod ab ejus providentia alienum eſt.



QUÆS-

QUÆSTIO V.

Quomodo peccet Sacramentum administrans, vel exercens aliam actionem sacram in peccato mortali?

24. *Minister duplex.* *Nota.* Minister Sacramenti alius est specialiter ad id deputatus, & consecratus, ùt Episcopus respectu Confirmationis, & Ordinis, Sacerdos respectu Eucharistiæ, & Sacramenti Pœnitentiæ; alius ad id non consecratus specialiter, ùt Laicus respectu Matrimonii, & Baptismi non solennis Deinde actiones sacræ, quas Minister specialiter consecratus quà tales exercet, aliæ sunt substantialiter Sacramentales, utì consecratio, ablutio, absolutio, inunctio, &c. aliæ tales non sunt, sed vel disponunt ad Sacramentum conficiendum, vel cum eo aliquo modo sunt connexæ, aut sunt Sacramenti jam confecti dispensatio: ùt consecratio Chrismatis, Altaris, Calicis, benedictio vestium, aquæ, salis, actiones Diaconi, & Subdiaconi, quibus ministrant Sacerdoti celebranti, distributio Eucharistiæ. His notatis

25. *Qui existens in mortali conficit Sacramentũ, peccat graviter.* Resp. 1. Minister, conficiens Sacramentum in statu peccati mortalis, per se loquendo, peccat mortaliter peccato sacrilegii, non tantùm, qui ad id specialiter est consecratus, utì tenent omnes; sed etiam ad id non consecratus specialiter, utì tenent cum S. Thoma Lugo, Vasq. Castrop. aliique multi contra Suar. aliosque non paucos, probabiliter dissentientes. *Ratio 1ma partis est;* quia recta ratio dictat gravem irreverentiam committi ab eo, qui actiones

ones sanctissimas Christi immediatè, & totaliter ordinatas ad animas sanctificandas, Deoque conjungendas, ponit nomine vel in personâ Christi, ipse hostis ejus, & mancipium Diaboli; atque ità immediatè per actiones, à se positas influit in Sacramentum, & cooperatur Deo in sanctificatione animarum, pessimè se difformans à sanctitate rei peragendæ, & illius, cui specialiter cooperatur, vel cujus personam sustinet, dum ad id est specialiter ordinatus. *Ratio 2dæ partis est eadem*; quia etiam, qui non est consecratus specialiter ad Sacramentum conficiendum, nomine Christi agit, & immediatè ei cooperatur in actionibus illis sanctissimis; nec ideo consecratus ad id graviter peccat, quia specialiter ad id est deputatus: aliàs Diaconus solenniter cantans Evangelium, ipse existens in mortali peccato, peccaret graviter, utì & Ostiarius, ex officio aperiens valvas Ecclesiæ, &c. quod adversarii non recipiunt.

Nec juvat dicere cum Suarez, requiri prætereà, ut opus sit valde dignum: nam Sacramentum Baptismi, à Laico collatum, non est opus minùs dignum, quàm collatum à Sacerdote. Nihilominus ordinatus videtur graviùs obligari ad dignè Sacramenta conficienda, quàm non ordinatus: recta enim ratio dictat, quòd, qui ad aliquod munus specialiter deputatus, id acceptat, & accipit speciales gratias ad id ritè peragendum, specialem obligationem admittat dignè obeundi munus suum, etsi hæc gravis non sit, ubi actio non est adeo sancta. Atque ob hanc rationem probabilis est sententia Suar. cùm evidens non sit, ex sola sanctitate Sacramenti oriri obligationem gravem illud non conficiendi, nisi in statu gratiæ; sed

ſed noſtra eſt probabilior, tum ob ſanctitatem Sacramenti, indignè collati; tum quia, quando motiva ſunt diverſæ rationis, ſi propter unum non ſit obligatio gravis, nec videtur eſſe propter utrumque ſimul: ſicut, quando nec authoritas, nec ratio gravis eſt, ſententiam non faciunt probabilem.

26. *Corollaria.* *1. Baptizans in mortali.* Hinc 1mò Sacerdos, in mortali conferens Baptiſmum, etiam non ſolenniter, peccat mortaliter: & idem probabiliùs dicendum de Laico, baptizante in neceſſitate, quæ permittit moram contritionis eliciendæ. Hic tamen probabiliter excuſatur à mortali; quia neceſſitas & defectus deputationis irreverentiam imminuunt.

Contrahens in eo matrimonium. 2. Contrahentes Matrimonium in mortali peccant graviter, quatenus Sacramentum ſuſcipiunt, & quatenus ſibi adminiſtrant, etſi per Procuratorem id faciant; quia impeditur primarius effectus Sacramenti. Probabiliter tamen, quà miniſtri excuſantur à mortali; quia ad id non ſunt ſpecialiter deputati, & minùs directè agunt nomine Chriſti.

Abſolvens plures. 3. Sacerdos, in mortali plures abſolvens, tot probabiliùs peccata mortalia committit, quot perſonas abſolvit; quia tot complet Sacramenta indignè ſecundùm dicta 1. P. N. 351. Non peccat tamen graviter præcisè audiendo pœnitentes in mortali, ſicut nec pœnitens confitendo; quia non peccat graviter niſi ponendo Sacramentum ſeu actionem, quæ complet Sacramentum. La Croix hîc N. 88.

Conſecrans. 4. Conficiens Euchariſtiam in mortali peccat graviùs, quàm conficiens aliud Sacramentum; quia, licèt non ponat actionem immediatè collativam gratiæ ſanctificantis; ponit tamen

tamen actionem, quâ præsens sistitur author gratiæ, gratiaque substantialis : & propriissimè agit nomine, & in persona Christi, cujus verbis loquitur. Et hinc etiam ex speciali præcepto Tridentini tenetur priùs confiteri, etsi pro aliis Sacramentis dignè conferendis satis sit, redire ad statum gratiæ per contritionem perfectam.

Dixi in conclusione : *Per se loquendo peccat mortaliter*; quia excusare potest tum invincibilis ignorantia mali statûs, vel obligationis, tum necessitas statim succurrendi proximo, non permittens moram eliciendi contritionem; uti, si quis statim moribundum deberet absolvere, vel baptizare, tunc enim excusaretur ab irreverentia, & præceptum religionis desineret obligare : sicut, si famulus, prævidens Domini sui filium submergendum, nisi statim succurrat, Dominum suum tecto capite sine reverentia transiret, excusaretur ab irreverentia, quam aliàs admitteret; ita minister Sacramenti, in necessitate tali succurrens animæ Christo dilectæ, excusaretur, etsi existens in peccato mortali. Hinc in tali necessitate etiam est gravis obligatio succurrendi. Addit Moya, si Sacerdos, in Confessionali cogitatione graviter lapsus, non posset statim confiteri, deberetque differendo absolutionem gravem notam, vel infamiam subire, posse eum in mortali absolvere : sed casus hic vix continget.

Causa excusantes à mortali.

Resp. 2. Probabiliùs peccat tantùm venialiter in mortali distribuens Eucharistiam. Ità Vasq. Lugo, & alii contra Suar. & alios, probabiliter contradicentes. *Ratio est* 1mò; quia, sicut gravis irreverentia non est secundùm ple- 27.

Eucharistiam distribuens in mortali

rosque etiam adversarios, si Sacerdos existens in mortali transferat Eucharistiam de loco in locum, si attingat, eâ benedicat populo; ità nec videtur gravis irreverentia, si admoveat ori communicantium: hoc enim agendo non agit in persona Christi, non conficit Sacramentum, nec immediatè cooperatur Deo in causanda gratia sanctificante, sed applicat tantùm quodammodo activa passivis, & ponit aliquid remotè eò se habens. 2. Eucharistiam distribuens non necessariò est persona sacra: olim enim Laici ferebant eam secum domum, dabant eam sibi, & aliis. Et licèt ordinarius minister debeat esse persona sacra; hoc tamen non est ratione Eucharistiæ distribuendæ; sed quia ordinarius minister distribuens est is, qui eam conficit, nempe Sacerdos. Est tamen aliqua irreverentia in tali statu dispensare corpus Domini, utì recta ratio dictat. Vide La Croix.

non peccat graviter.

28. Resp. 3. Non peccat quoque, nisi venialiter, Minister consecratus, exercens actiones sacras substantialiter non Sacramentales; quia, cùm non fiant in persona Christi, nec ex opere operato producant gratiam, non apparet sufficiens irreverentia ad mortale.

Nec exercens actiones sacras non sacramentales.

Hinc non peccat graviter 1mò. Episcopus, qui in mortali Chrisma consecrat, aut calices; qui confert 1mam tonsuram, assistit Episcopo, consecranti alterum Episcopum; quia non conficit Sacramentum.

29. *Corollaria.*

2. Subdiaconus, vel Diaconus, ministrans solenniter in Missa.

3. Sacerdos, qui solenniter benedicit nuptiis, aquam, salem, assistit Matrimonio; cùm hujus minister non sit; imò nec, qui in mor-

mortali, ubi est necessitas celebrandi, & non est copia Confessarii, legit Missam, modò ante consecrationem perfectè sit contritus. Peccat tamen venialiter exercens actionem sacram, quæ ordinem sacrum specialiter requirit: utì, si Sacerdos solenniter benedicat nuptiis, vel Episcopus populo. Quodsi actio non requirat Ordinem sacrum, vacare potest omni culpâ, utì si Parochus assistat Matrimonio; quia in hoc non apparet irreverentia. Videtur quidem S. Thom in 4. Dist. 24. Q. 5. A. 1. sentire contrarium de ministris sacræ actionis, quæ ordinem requirit, & in peccato operantes condemnare peccati mortalis; sed intelligendus est, si talis actus simul includat actum principalem: aliàs peccaret mortaliter Acolytus, qui in mortali ferret lumen ad altare, Ostiarius, aperiens januam, Lector legens Capitulum ex Scriptura &c. quæ communiter non censentur vera.

QUÆSTIO VI.

An, & quomodo peccet Minister Sacramenti, ejus administrationem, seu confectionem simulando?

Nota. Simulare Sacramenti confectionem, est ponere ejus materiam, & formam, vel saltem formam, sine intentione id conficiendi. Quodsi hoc fiat cum animo, ut putetur Sacramentum conferri, erit simulatio formalis, & reale mendacium, quod nunquam licet; si fiat sine eo animo, licèt cum prævisione, aliis ingerendam esse opinionem, quod Sacramentum conficiatur, erit simulatio materialis, 30. *Simulatio duplex.*

quæ in aliis materiis ex justa causa quandoque licet.

Quæritur, an ob metum gravem liceat in materia Sacramentorum?

31\. *Simulatio sacramenti est grave peccatũ.* Resp. Minister Sacramenti, ex cujuscunque mali metu simulans materialiter etiam administrationem Sacramenti, peccat mortaliter peccato sacrilegii. *Ratio est*: quia est gravis irreverentia in Christum ità abuti verbis, & rebus sacris, ab ipso institutis, ut suo nomine ponantur ad verum Sacramentum conficiendum; & re ipsâ est illudere Christo: talis enim simulator exteriùs fingit se gerere personam Christi, vel agere nomine ejus, eumque operantem falsò inducit. Unde dixit Innoc III. *Cap. de celebratione Missæ. Qui fraudulenter simulare præsumpserit, se consecrare, graviùs peccare, quàm si consecraret in mortali; quia astringit se Deo, cui videtur illudere.* Et Innoc. XI. damnavit hanc inter damnatas 24. propositionem: *Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi*: ubi damnatur simulatio Sacramenti, etiam materialis tantùm; quia de hac sola loquebatur sententia contraria: & quidem ex quocunque metu: Propositionis enim damnatæ sensus est hic: aliquis metus gravis est causa justa. Unde vera est hæc: nullus metus gravis est causa justa; Patet hoc ex ratione damnationis allatâ ex Innoc. III. & ex mente eorum, qui damnatam docuerunt: volebant enim, metum saltem mali gravissimi esse causam sufficientem.

Nec juvat, quòd simulator materialis non intendat, ut putetur confici Sacramentum, nam nihilominus adhuc est illusio Christi, &

gravis

gravis illius injuria; sicut est injuria in Deum, si quis juratur verbis blasphemis, vel juratoriis sine animo jurandi, vel blasphemandi, vel thus adoleat idolo, sine animo illi exhibendi cultum, Deo debitum. V. Analysin. N. 9.

Hinc peccat mortaliter 1mò, qui, metu mortis adactus à tyranno, verba consecrationis proferret super panem sine animo consecrandi. Si tamen tyrannus esset ignarus linguæ, posset aliam orationem recitare sine animo decipiendi, purè permittendo errorem, modò non cederet in contemptum Fidei. 32. *Corollaria.*

2. Qui profert verba absolutionis sine animo absolvendi. Potest hic tamen ex justa causa aliam orationem super pœnitentem pronuntiare nec sic fingeret se agere nomine Christi; quia constat, pœnitentes cum sola benedictione quandoque dimitti.

3. Qui etiam consentienti porrigit publicè hostiam non consecratam pro consecrata; quia hostia non consecrata exponeretur adorationi tum astantium, tum suscipientis cum externa reverentia, quæ esset idololatria, saltem materialis & externa, intrinsecè mala, & semper illicita.


4. Qui formam consecratoriam proferret, per tò *corpus meum* intelligendo corpus suum; quia æquivocatio illa secum ferret gravem irreverentiam, sicut blasphemia, vel cultus idoli; verbis æquivocis factus.

5. A potiori peccat mortaliter, qui carens, potestate, administrare Sacramentum attentat, vel simulat: illuderet enim Christo assumendo officium Ministri ejus, ad quod non est deputatus; facto suo falsam doctrinam profiteretur, & proximum in re gravi deciperet.

6. Peccat quoque graviter, qui simulat susceptionem Sacramenti; quia impediret ejus effectum primarium, faceretque, ut Christus agens fictè induceretur, quod utrumque est grave sacrilegium.

33. *Fictè contrahens matrimonium an peccet?*

7. Peccaret, qui celebraret contractum Matrimonii, & nollet suscipere Sacramentum; quia poneret materiam Sacramenti sine animo conficiendi Sacramentum: quod gravius peccatum foret, quàm si in statu peccati mortalis iniret Matrimonium. Aliud putatur fore, si simularet materialiter contractum Matrimonii: tum quia tunc non poneretur materia & forma Sacramenti, adeoque non ageretur nomine Christi: tum quia in Matrimonio maximè attenditur consensus, qui tunc deesset; in aliis verò magis attenduntur signa externa; tum etiam, quia Matrimonium ex gravi metu injusto reipsâ est irritum: tuncque non suscipitur Sacramentum, sive contractus simulatè, sive sincerè ineatur. Et hinc AA. communiter docent, posse contractum matrimonialem ex gravi causa quandoque iniri cum materiali simulatione, nec tum adesse mendacium, quia contrahentes intendunt contrahere, quantum in se est. Quod semper per se intelligitur. Ità Viva in damnatam 19. ab Innoc. XI. N. 12. Sed de hoc in Tractatu de Matrim. N. 607.



QUÆS.

QUÆSTIO VII.

An, & quomodo peccet Minister Sacramenti, id ministrando indigno, vel indispoſito ad ejus effectum percipiendum?

Resp. Minister, per se loquendo, peccat mortaliter, Sacramentum ministrando indigno. Est communis & certa: tum quia rem gravem dispensat contra voluntatem Domini sui, adeoque in re gravi infidelis est contra illud Matthæi 7. *Nolite sanctum dare canibus*; tum quia privat Sacramentum effectu suo primario, & cooperatur sacrilegæ susceptioni; atque hoc verum est etiam de Ministro non consecrato v. g. Laico baptizante. 34. *Peccat graviter.*

Hinc 1. Minister Sacramenti debet posse prudenter judicare, quòd suscepturus Sacramentum sit ritè dispositus, pro quo si indicia non habeat, debet inquirere, & dispositionem, si non adsit, procurare; aut si nunc non possit, differre Sacramenti collationem: aliàs enim non erit prudens, & fidelis dispensator. Non tamen eadem cura, & præcautio pro omni Sacramento requiritur; sed diversa pro diversitate Sacramenti. Trid. statuit, ut Episcopus Ordines majores non conferat, nec Parochus assistat Matrimonio, nisi præmissâ inquisitione de moribus, vitâ, & aliis impedimentis; quia multùm interest bono communi, ut ad Ordines non promoveantur indigni, & Matrimonia vitentur incestuosa. Baptismus adultò non est conferendus, nisi examinato priùs de consensu, de fide, spe, dolore de peccatis. 35. *Corollaria.*

In reliquis quoque Sacramentis sequenda est praxis Ecclesiæ, & commune judicium proborum, & prudentum.

36. *Publico peccatori an danda Eucharistia?*

2. Peccatori publico, indispositο manenti, non est danda Eucharistia, sive publicè, sive occultè petat; quia sine nova ejus infamia consuli Sacramenti reverentiæ potest. Quodsi esset dispositus, negari quidem non deberet Sacramentum Pœnitentiæ: ut verò detur Eucharistia, non solùm debet constare publicè de Confessione, sed etiam de talibus veræ conversionis indiciis, ut scandalum sit sublatum. Si tamen occultè peteret, sufficeret occulta pœnitentia, modò absit periculum revelationis & scandali. Idem dic de reliquis Sacramentis vivorum. Porrò in articulo mortis quisque præsumitur se velle disponere, & necessitas levat scandalum, aut tollere id potest Minister, publicando pœnitentiam: unde tunc pœnitenti Sacramenta non sunt neganda.

3. Peccatori occulto, manenti indisposito, quoque neganda est Eucharistia petenti occultè, vel solùm coram iis, quibus nota est ejus indignitas; quia potest sine scandalo, & ejus infamia negari; idque verùm putant Suar. Vasq. & alii, etsi indignitas esset ex Confessione sacramentali nota, modò nullus alius adsit; eò quòd prætendi possent aliæ causæ, sicque nulla fiat revelatio Confessionis, cùm ex nullo signo exteriori innotescat; & quamvis pœnitens per discursum colligat fieri ex scientia Confessionis, nullum tamen rationabile gravamen illi inferatur. Sed negant id Sanch. Lugo & alii; quia fieret quædam virtualis exprobratio, commemoratio peccatorum, quod jure divino graviter est illicitum.

Dixi

Dixi in conclusione : *Per se loquendo:* nam imprimis peccatori occulto non est neganda Eucharistia, eam publicè petenti: sic enim Christus, qui eam Judæ dedit, sapienter voluit: ùt constat ex Concil. Carthaginensi 7. Africano, & communi praxi Ecclesiæ, & DD. consensu, qui optima est legum promulgatio. *Ratio* autem, cur Christus ità voluerit, est ; quia institutio Sacramentorum debebat bono communi, & humanæ imbecillitati esse accommodata : ut autem talis esset institutio Eucharistiæ, exigebat, ut Minister ex privata scientia publicè non negaret indigno occulto; aliàs enim ortæ fuissent gravissimæ perturbationes, offensæ & inimicitiæ, & onus intolerabile Ministris incubuisset : nam suscipientes ægrè tulissent peccata sua occulta cum suî infamatione fieri publica, sicque voluissent crimen suum sibi probari, quod Minister sæpe non potuisset, & ità incurrisset gravissima incommoda : si autem institutio facta fuisset; ut crimen non teneretur probare ; jam potuisset contingere, ut pro sua passione, & levitate hos, vel illos rejiceret tanquam indignos, aut homines suspicarentur id fieri ex aversione : ex quo meritò deterriti fuissent Fideles omnes à Sacramento, utpote veriti, ne sibi cum infamia negaretur. Unde talis occultus peccator ex voluntate Christi videtur retinere jus ad famam suam, voluitque amantissimus Salvator in bonum Fidelium suorum in tantum cedere juri suo ad honorem, ut permittat suî dehonorationem ; cui minister non cooperatur, cùm ad eam non determinet, sed ponat actionem indifferentem ex præcepto Christi, cum peccato suscipientis minimè connexam : 38. *Quid, si publicè petat peccator occultus?*

atque ità peccatum ejus permittit externè compleri, Christumque non tradit moraliter hosti suo, sed honorat Sacramentum, ne reddatur odiosum. Neque præceptum non ministrandi Sacramentum indigno est ità negativum, ut obliget pro omni casu, sed resolvitur in positivum Sacramenta administrandi fideliter & prudenter secundùm voluntatem Christi. Quodsi sciretur, quòd suscipiens Eucharistiam velit eam conculcare, aut eâ abuti ad incantationes, juxta Lugonem etiam publicè petenti neganda esset; quia esset iniquus Christi aggressor, qui repellendus foret: quod maximè verum est, si publicè esset abusurus; quia tunc negando consuleretur ejus famæ; uti, si repetenti gladium, quo se occidat, negares, ejus famæ consuleres.

39\. *An idẽ dicendum de aliis Sacramentis?* Quod dixi de non neganda Eucharistia, idem (excepto Sacramento Pœnitentiæ, quod indispositо non potest conferri validè) dicendum de aliis Sacramentis, quando sine infamia publicè petenti negari non possunt, & indignitas ejus non cedit in detrimentum boni communis futurum, uti cedit, si jungerentur Matrimonio laborantès impedimento dirimente, vel ad Ordines promoverentur impediti impedimento Canonico. Hinc jubentur Parochi, & Episcopi priùs inquirere, & tali impedimento irretitos repellere. Ob crimen tamen occultum præcisè, quod impedimentum Matrimonii non inducit, non potest Parochus negare publicè petentibus assistentiam, si fieri id non possit sine infamia. Nec videtur Episcopus posse repellere ab Ordine sic petentem præcisè ob crimen occultum, non vergens in detrimentum communitatis, præ-

sertim, si prætendat jus ratione Beneficii, aut dignitatis, ùt habet Lugo hìc Disp. 8. N. 194. quia *Cap. ex tenore, de tempore ordinandorum* Sic habetur: *Veruntamen, quia peccatum occultum est, non debes aliqua ratione prohibere.* Secùs est, si constaret esse malæ vitæ, vel esset irregularis, careret titulo, ætate requisitâ &c. quæ detegi possunt plerumque sine infamia. Cæterùm tam Episcopus, quàm Parochus tenetur famæ consulere, quoad potest.

Colliges ex dictis. Qui, Sacramentum con- 40.
ficiendo id confert indigno, ipse in mortali ex- *Peccata*
istens, duplex specie sacrilegium committit: *in mor-*
unum nomine Christi conficiendo in mortali, *tali ce-*
alterum conferendo illud indigno, & impedi- *lebran-*
endo effectum. Qui verò Missam celebrat in *tes Mis-*
mortali, quadruplex specie distinctum admittit. *sam.*
1mum. Sacramentum conficiendo, seu consecrando. 2dum. Indignè suscipiendo. 3tium. Sibi indigno. 4tum. Indignè sibi ministrando. Tria prima mortalia sunt, ultimum probabiliùs solùm veniale. Quodsi post consecrationem eliceret perfectam contritionem, unam tantùm specie malitiam, in Confessione explicandam, contraxisset.

QUÆSTIO VIII.

An, & sub quo peccato teneatur Minister Sacramentorum accidentales Ecclesiæ ritus in iis observare?

Nota. Ceremoniæ, seu ritus sunt actiones 41.
externæ, lege Divinâ, vel Ecclesiasticâ ordina- *Ceremo-*
tæ ad cultum Dei. Aliæ sunt extra - sacramen- *niæ.*
tales, ùt aspersio aquæ benedictæ, benedictio

Pal-

Palmarum &c. Aliæ sunt sacramentales, eæque vel de essentia Sacramentorum, ùt ablutio Baptismatis, absolutio sacramentalis; vel accidentales, ùt affusio trina aquæ in Baptismo, insufflatio, exorcismus. De essentialibus constat ex dictis; de accidentalibus hìc quæritur.

42. *Sub gravi quandoque.* Resp. Tenetur ritus, etiam accidentales, sub peccato ex genere suo mortali servare; quia Ecclesia, præscribens modum Sacramenta administrandi, eum observari jubet, ùt constat ex Trid. Sess. 7. Can. 13. & consuetudine, vim legis habente, ex communi DD. consensu; unde notabilem partem negligens, per se loquendo, peccat mortaliter contra Religionem: ritus enim illi sunt actiones, ex motivo Religionis ab Ecclesia institutæ, ad convenientem Sacramentorum administrationem, excitandamque devotionem, & effectum Sacramentorum significandum.

Dixi 1. *Per se loquendo*; quia in necessitate, dum mora non permittit, ritus accidentales omittere quandoque licet. Mortale tamen foret, ritum aliquem, etiam exiguum, omittere ex formali contemptu, judicando esse inanem, vel ineptum: hoc enim esset contemnere Ecclesiam, quæ à Spiritu S. regitur.

QUÆSTIO IX.

Quam inter utrimque probabiles sententiam sequi teneatur Minister Sacramentorum in illorum administratione?

43. *De qui-* *Nota.* Minister Sacramenti potest habere sententias oppositas utrimque probabiles, vel de

de honestate suæ actionis, v. g. an hic & nunc teneatur obligare pœnitentem ad restitutionem: vel de valore Sacramenti. Ac 1. quidem circa materiam, & formam Sacramenti: ùt, si probabile sit, materiam vel formam esse sufficientem, & probabile quoque sit, non esse sufficientem. 2. Circa jurisdictionem: ùt si probabile tantùm sit, quòd facultatem habeat, talem pœnitentem à tali peccato absolvendi, & simul probabile sit oppositum. 3. Circa subjectum Sacramenti: ùt, si solùm probabile sit, suscipientem esse sufficienter dispositum, ut absolvi possit, aut non habere impedimentum, quominus possit validè contrahere Matrimonium. Atque in his contingere potest, ut Ecclesia defectum possit, & velit supplere v.g. conferendo jurisdictionem; contingere quoque potest, ut supplere defectum non possit: ùt, si desit dispositio in pœnitente, si volens contrahere Matrimonium, laboret impedimento impotentiæ, si materia, de qua dubium est, à Christo reipsâ non sit assumpta ad materiam Sacramenti. *Hoc notato.* *bus possit Minister dubitare?*

44. *Sequenda tutior, vel de valore.*

Resp. 1. Extra casum necessitatis, quando sunt duæ sententiæ utrimque probabiles de valore Sacramenti, tenetur Minister sequi tutiorem probabilem, relictâ minùs tutâ, etsi probabiliore, nisi aliunde adveniat moralis certitudo. Est communis & certa, constatque ex dictis 1mâ P. N. 97. & Anal. N. 41. In casu verò necessitatis, quando tutior in praxin redigi non potest, sequenda est probabilis, etsi minùs tuta, uti dictum ibidem.

45. *Nisi adsit moralis certitudo:*

Resp. 2. Licet Ministro sequi sententiam probabilem moraliter certam de valore Sacramenti, etsi minùs tutam, si adsit rationabilis causa.

causa. Est communis, constatque ex dictis loc. cit. quia tùnc non relinquitur prudens timor periculi Sacramentum frustrandi.

Dixi: *Si adsit rationabilis causa:* nam, ùt rectè Sanch. Sporer, La Croix, sine causa imprudenter hìc relinquuntur tutiora. Sic, licèt moraliter certum sit, quòd tenuissima cerevisia sufficiens sit materia Baptismi, cùm sit, & maneat aqua elementaris cocta., parum, & accidentaliter mutata per injectum modicum hordeum; est tamen illicitum in ea baptizare, quando haberi potest aqua alia elementaris. Inter rationabiles causas autem est magna utilitas spiritualis, propria, vel proximi, nimia molestia proveniens ex usu constanti sententiæ tutioris.

46. *Objectio soluta.* *Dices.* Homines in magni, ùt est Sacramentum, momenti rebus inquirunt, & sequuntur, quoad possunt, tutiora, & medicus injuriam faceret infirmo, si adhiberet remedium moraliter certum, omisso tutiore; ergo & Minister Sacramenti id facere debet; aliàs injurius erit Sacramenti Authori. Resp. Transeat Antec. Disting. Conseq. Debet Minister Sacramenti id facere, nisi adsit rationabilis causa faciendi oppositum, C. Si illa adsit, N. Cons. Homines, & Medicus prudenter agunt, sequendo moraliter certa, quando sine speciali incommodo tutiora adhibere non possunt. Sic & ægrotus prudenter agit conformiter suo statui emendo pharmacum, etsi minùs certò profuturum, relicto meliore valde pretioso. Si tamen hoc æquè commodè habere posset, imprudenter ageret, id negligendo. Pari modo sæpe non imprudenter agimus amplectendo in negotio salutis moraliter certa, etsi non tutissi-

tutissima : neque enim ad hæc semper obligamur : aliàs via salutis esset nimis difficilis.

Resp. 5. Licet quoque Ministro sequi sententiam verè probabilem, quamvis agatur de valore Sacramenti, relictâ tutiore, etiam magìs probabili, quando aliunde advenit moralis certitudo practica de habendo valore Sacramenti. Talis advenit, quando Ecclesia supplet defectum, vel dispensat in, aliquo ad valorem requisito; quia tunc non est prudens timor nullitatis Sacramenti. Supplet autem Ecclesia præcipuè in Sacramento Pœnitentiæ, & Matrimonii. 47. *Aut nisi Ecclesia suppleat defectum.*

Ac imò quidem, quando est error communis, seu prudens, & communis persuasio v.g. pro jurisdictione, vel potestate alicujus ordinariâ, vel delegatâ ad aliquid faciendum cum titulo colorato. Hoc enim casu etsi persuasio coram Deo sit falsa, Ecclesia, si possit, defectum supplet, vel dispensat, ut habet communis, & certa sententia. Patet ex Cap. *Infamis. Causa* 3. q. 7. *Ratio* autem *est*; quia ità exigit bonum commune, contra quod aliàs orirentur gravissima incommoda, & perniciosissimæ perturbationes; uti, si quis à legitimo Superiore admissus ad Parochiam, ob latens vitium jurisdictionem non haberet. 1. *Supplet Ecclesia, dum adest error communis cum titulo.*

Porrò titulus est causa ex se habilis ad aliquid agendum, vel obtinendum, estque verus, si reipsâ validus existat; coloratus verò, si interveniat talis causa, quæ tamen reipsâ non subsistat; apparens autem, seu purè existimatus, si talis causa non sit, attamen existimetur esse; præsumptus verò, quando non scitur de ulla certa causa, ob quam incepta res est *Titulus quadruplex.*

v.g.

v. g. possideri ; prudenter tamen præsumitur aliqua adfuisse. Sic titulus ad possidendum agrum est v. g. emptio : hæc si subsistat, est titulus verus ; si facta sit, & ob errorem intervenientem non subsistat, est titulus coloratus ; si putetur facta, & reipsâ facta non sit, est titulus apparens, purè existimatus ; si ager possideatur, & nesciatur, quo titulo, præsumatur tamen aliquis intervenisse, est titulus præsumptus. Idem est de collatione Parochiæ, designatione ad audiendas Confessiones, ad assistendum Matrimonio, donatione, aliisque contractibus, & causis acquirendi dominium, aut facultatem aliquam.

48. *An Ecclesia suppleat, deficiente titulo?* An autem etiam Ecclesia suppleat, quando adest quidam error communis, sed deest titulus coloratus : uti, si quis communiter putetur esse Parochus, sed in Parochiam sit ingressus sine titulo, vel authoritate Superioris ; dubium est. Affirmant Pontius & alii apud La Croix N. 115. quos sequitur Pichler L. 2. T. 1. N. 17. quia etiam bonum commune tunc exigit, ut Ecclesia, vel Respubl. suppleat, ut valeant actus Judicis tantùm existimati. Negant Suar. Less. & alii communiùs ; eò quòd, quando Jura id statuunt, semper faciant mentionem intervenientis authoritatis Superioris. Utraque sententia probabilis est : Sed prima non videtur P. La Croix satis tuta ; nisi consuetudo & praxis illius obtineat secundùm dicenda : suppleret tamen Ecclesia, 1. Si Superior fictè dedisset jurisdictionem : uti &, quando adest titulus coloratus cum errore communi ; licèt operans sciret, sibi deesse verum titulum : quanquam peccaret, qui cum carentiâ jurisdictionis cognitâ operaretur ; quia sciret, id prohiberi, & cogeret Eccle-

Ecclesiam ad dandam jurisdictionem. Unde pœnitens, conscius carentiæ, non esset dispositus, nisi justa causa excusaret: sciens tamen, Parochum suum non esse verum Parochum, validè contraheret, modò adsint reliqua, coram eo Matrimonium, ùt habet communior contra quosdam apud La Croix N. 114. Vide Schmalgrüber L.2.T. 1. à n. 20. ubi hanc materiam bene tractat § 2.

2. Supplet Ecclesia, quando in quæstione juris communis, & non puri facti, datur opinio verè, strictéque probabilis v. g. pro jurisdictione, vel absentia impedimenti Matrimonii, & quis secundùm eam operatur. Est communissima, & certa sententia. *Ratio est* 1. Quia, quando est consuetudo, sciente, & non contradicente Ecclesiâ, cùm posset, & deberet contradicere, sic operandi, tunc certum est, quòd Ecclesia suppleat, vel dispenset, ubi potest: est autem certum, quòd apud Sapientes sit consuetudo operandi secundùm talem opinionem, hocque sciat Ecclesia, & non contradicat; ergo. Major patet ex Cap. *Cùm contingat.* 13. *de foro competente.* Et ex Trid. *Sess.* 22. *Cap.* 3. *de Reform.* Minor autem est communis Doctorum, quæ in quæstione facti facit certitudinem moralem. Sic, quamvis opinio tantùm sit probabilis, quòd Episcopus in casu necessitatis possit dispensare in impedimento dirimente Matrimonium; id tamen certum est accedente consuetudine, à qua præscindunt AA. aliqui, negantes huic sententiæ certitudinem. *Ratio est* 2. Quia, quando est error communis cum titulo colorato, Ecclesia supplet; opinio autem sic probabilis æquivalet errori communi, cum titulo saltem colorato: nam, si docti sic prudenter sentiant, & er-

49. *Supplet 2. in dubio positivo juris.*

rent tamen, etiam indocti sic sentient; sique errent, erit error communis; volensque secundùm probabilem absolvere, vel assistere Matrimonio, habet titulum approbationis; vel Parochiæ, aut licentiæ à Parocho.

50. *Quæstio juris, & facti.* Dixi 1. *In quæstione juris*: nam, quandò est in quæstione puri facti, certum non est; quòd Ecclesia suppleat. Affirmat quidem Bonac. Tamb. & alii; sed negant Aversa & alii. Est autem quæstio juris, quandò quæritur, an lex sit, vel consuetudo legalis, tale quid statuens, prohibens, præcipiens; an hoc, vel illud sub tali lege comprehendatur: v. g. an adulterium commissum cum promissione Matrimonii tantùm ex una parte, alterâ nihil repromittente, vel non acceptante, inducat impedimentum dirimens Matrimonium. Quæstio facti est, quando quæritur, an secundùm se sit factum id, cui v. g. impedimentum aliquod est annexum, vel aliqua inhabilitas: ùt, an Titius commiserit crimen inducens impedimentum, vel irregularitatem, Vide 1. P. N. 77.

51. *Non sufficit opinio dubiè probabilis.* Dixi 2. *Quando est opinio verè probabilis*: nam secùs est, si sit tantùm tenuiter, aut dubiè probabilis, vel non recipiatur communiter, ùt talis à viris Sapientibus, vel praxis ejus sit contra stylum Curiæ Romanæ; quia tum consensus Ecclesiæ non potest prudenter præsumi, à quo tamen pendet collatio jurisdictionis, & sublatio impedimenti. *Ex dictis resolves*

52. *Corollaria. In dubio de impedimento* 1. Qui dubitat, an Catharina sit sibi consanguinea in 3tio, vel 4to gradu, non potest licitè cum ea contrahere Matrimonium, etsi pro se habeat probabiliorem negativam; quia est dubium facti; quod cùm faciliùs deprehendi possit, tunc non dispensat Ecclesia.

Et

Evidem est, si dubitaret, an eam levaverit de Baptismo. Valeret tamen Matrimonium, si reipsâ consanguinea, vel levata non esset. Econtra validè, & licitè Patrinus, & Mater baptizati possunt contrahere Matrimonium, quando Baptismus collatus est sine solennitate in necessitate; quia probabile est, impedimentum tunc non contrahi, estque dubium in materia juris, in qua dubium dissolvi non potest: hinc Ecclesia dispensat, si adsit impedimentum. *quid dicendū?*

53. *In dubio de jurisdictione amissa?*

2. Qui veram jurisdictionem habuit, & eam amisit, vel ob delictum, vel revocationem Superioris, quamdiu errore communi putatur, eam adhuc habere, actus ejus validi sunt in eo loco. Jura, quæ videntur contraria, loquuntur de casu, & loco, in quo talis amissio, vel privatio potestatis notificatur. Idem valet, etsi potestas esset revocata per legem; quia communis ignorantia juris toleratur, quando est invincibilis. Item, si de sublatione potestatis nondum notâ populus inciperet dubitare; quia pro hac adhuc esset possessio, & periculum injuriæ Ministro inferendæ, si ideo rejiceretur.

54. *Vel revocatā?*

3. Confessarius, qui habuit jurisdictionem, & nunc dubium habet positivum, an sit revocata, si dubium sit juris, licitè & validè absolvit; quia est in possessione, & mutatio non præsumitur, sed probanda est. Hinc Ecclesia supplet, si sit defectus. Si verò dubium sit facti, v. g. an annus, pro quo approbatus fuit, exspiraverit, illicitè absolvit; imò, si annus exspiraverit, juxta quosdam invalidè, etiam, quando manet error communis; quia titulus coloratus illi non est ultra annum. Putant tamen probabiliùs alii, quod absolvat

validè ob errorem communem, & titulum falsem dubium.

4. Qui bonâ fide cœpit possidere Parochiam,
55. & postea dubitat, an eam validè obtinuerit,
De Parochia, an legitimè obtenta? potest pergere: quia melior est conditio possidentis.

5. Qui probabiliter invalidè est ordinatus Sacerdos, non potest licitè conficere Sacramenta, quæ Sacerdotium prærequirunt ad suî
56. valorem: ùt sunt Eucharistia, Extrema Unctio,
De Sacerdotio Pœnitentia, Confirmatio, Ordo; quia Ecclesia non potest suo consensu, vel dispensatione defectum supplere.

QUÆSTIO X.

An, & quando teneatur Minister Sacramenta ministrare?

57. Resp. Qui ex officio est Parochus (quales
Est obligatio justitiæ, vel charitatis quandoque. respectu sæcularium sunt Episcopi, & alii curam ordinariam, vel subsidiariam ex obligatione habentes, & respectu Religiosorum Superiores) tenetur ex justitia subditis suis ministrare Sacramenta, quando rationabiliter petunt; alius verò (idem de Pastore relatè ad non subditos) non tenetur, nisi ex charitate, quando necessitas, vel impeditio gravis mali id exigit. *Ratio 1mæ partis est*; quia suscipiendo curam animarum, ad id se obligavit, tacitumque contractum iniit cum subditis à quibus sustentationem, aut saltem honorem habet sub onere præstandi ea, quæ sunt Pastoris, inter quæ imprimis sunt Sacramenta. *Ratio 2dæ partis est*; quia alius se nulli, & Pastor non nisi subditis se obligavit per

per contractum etiam tacitum. In extrema tamen necessitate teneretur proximo ex charitate Sacramenta necessaria ministrare etiam cum periculo vitæ.

Hinc imò peccat Pastor, si petentibus Sacramenta, morosum, & difficilem se ostendat; quia suos ab iis deterret, & æquivalenter Sacramenta negat. Extra necessitatem tamen petenti, semel, vel iterum negare, mortale non est; quia, cùm damnum sit facilè recuperabile, subditus non censetur graviter invitus; imò si hìc & nunc irrationabiliter peterentur, negare illa peccatum non esset. Hinc non tenetur quotidie tempus cum scrupuloso terere, cùm ei non expediat tam frequens Confessio. 85. *Corollaria. Parochi obligatio.*

2. Parochus tenetur Eucharistiam pro Communione deferre ad infirmos, etsi impenderet mortis periculum, si petant. Hæc tamen præstare potest per alium idoneum.

QUÆSTIO XI.

Quandonam Sacramenta Minister iterare debeat?

Resp. Quando est prudens dubium de valore Sacramenti collati, iterandum est, saltem sub conditione, si possit; secùs, quando dubium, aut saltem suspicio prudens non est, sed moralis certitudo. Est communis sententia cum S. Thom. hìc Q. 66. A. 9. ad 4. *Ratio 1mæ partis est*; quia vel dubium illud occurrit tunc, cùm Sacramentum paulò antè confectum est, ità, ut corrigi aut suppleri adhuc possit (sicut contingere potest in Sacramento Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis) quod putatur 89. *Si prudens sit dubium de valore.*

tatur in eo omissum, vel indebitè factum; & jam id fieri debet, ne Sacramentum maneat in periculo nullitatis, quod repugnat debitæ reverentiæ; vel occurrit dubium diu post: & jam adhuc, si possit, repetendum est, ne suscipiens fortè fructu Sacramenti privetur, quod repugnat charitati; idque vel maximè, si Sacramentum ad salutem esset necessarium, ut Baptismus; vel ejus nullitas cederet in grave damnum aliorum, uti cederet nullitas Sacerdotii.

Dixi: *saltem sub conditione*: ut consulatur reverentiæ Sacramenti, & non exponatur iteratio periculo nullitatis, si antè Sacramentum fuisset validum: id quod maximè valet de Baptismo, Confirmatione, & Ordine, quæ bis eidem validè conferri non possunt. Est autem perinde, sive dubium sit juris, sive facti, modò sit prudens; idque, licèt ratio in contrarium esset longè probabilior; quia per hoc non tollitur prudens metus, & periculum nullitatis. Imò Lugo de Ordine Sacerdotali docet, quòd, licèt non esset ratio strictè probabilis de ejus nullitate, esset tamen dubium, aliquo modo fundatum, & rationabile, posset licitè iterari sub conditione ad majorem animi quietem sic ordinati: quamvis tunc non esset obligatio iterandi. Idem docet de Baptismo, sequiturque cum aliis Gobat; quia conditio apposita satis consulit reverentiæ Sacramenti, dicente Papâ Leone: *Non intervenit temeritas præsumptionis, ubi est diligentia pietatis. Ratio 2dæ partis est*; quia, quando adest moralis certitudo de valore Sacramenti, abestque omnis prudens suspicio, illuderetur per Sacramenti iterationem institutioni Christi:

sti: deberet enim Minister repetendo judicare se nihil effecturum, & tamen repeteret, acsi vellet aliquid efficere. Nec juvat, quòd repetat sub conditione; quia ubi est inane tantùm dubium, non potest seriò addere conditionem; sed exercitè diceret: volo conficere Sacramentum, sive antè confecerim, sive non, in quo est gravis irreverentia. Ità La Croix hîc N. 129. Hinc pro praxi deduco sequentia:

1mò Si prudenter dubites, an in forma pœnitentiæ omiseris τὸ à peccatis, vel an in ordinatione tetigeris tangenda, Sacramentum iterandum est. Si tamen ordinatus Presbyter dubitares de valore Ordinis antecedentis, v. g. Subdiaconatûs, non est opus repetere; quia alii Ordines continentur saltem quoad potestatem virtualiter, & æquivalenter in Presbyteratu. 60. *Corollaria.*

2. Si post aliquod Sacramentum, jam semel iteratum, prudens dubium occurrat de valore iterationis, iterum repeti deberet.

3. Si oriantur tantùm leves scrupuli, nequidem sub conditione Sacramentum iterandum est: imò si tantùm unum verbum, vel syllaba formæ Sacramentalis repetatur, est saltem veniale peccatum, ubi deest rationabilis causa. In dubio tamen, ubi Minister non est scrupulosus, potiùs inclinandum ad repetitionem faciendam, quàm omittendam; quia sic consulitur reverentiæ Sacramenti, & utilitati suscipientis.

4. Si quis solùm dubitet leviter, vel inaniter suspicetur, aut timeat, nescitque cur timeat, sed tantùm occurrat: fortè malè pronuntiavi: non scio reflexè me benè pronun-

 tiasse,

tiâsse; pergere debet, nihil repetendo. Si tamen, ut molesto se scrupulo liberaret, repeteret formam sub conditione, putant Tambur. Gobat, & alii, non peccaturum mortaliter; quia, qui sic agit anxiè, ne offendat Deum, non videtur gravem inferre irreverentiam; imò videntur scrupulosi excusari quandoque ab omni peccato ratione status perplexi; cùm putent se peccare graviùs, si omittant repetere, & sæpe non sit locus prudenti considerationi.

5. Si dubium oriatur in Sacro, dum jam longiùs processisti post consecrationem, an v. g. formam protuleris non habens speciale fundamentum judicandi, quod non protuleris, & tamen etiam non recorderis, quod protuleris, non ideo poteris repetere; cùm aliàs omittere non soleas, & ex communiter contingentibus fit prudens præsumptio. Idem est, si distractus formam protuleris, & dubites, siquidem aliàs errare non soleas.

CAPUT III.

De Subjecto Sacramentorum.

QUÆSTIO I.

Quis sit Subjectum capax recipiendi Sacramenta novæ Legis?

61. *Solus, & omnis homo viator.* Resp. Solus homo viator, spectatâ præsenti institutione, isque omnis est capax saltem remotè, & ordinariè loquendo, Sacramenti cujuslibet (excepto ordine) recipiendi Sacramen-

mentaliter. Pro ratione est tum voluntas Christi, nobis sufficienter declarata per perpetuam Ecclesiæ traditionem, & sacram Scripturam; tum finis Sacramentorum, qui est, vel primæ gratiæ sanctificantis collatio, vel illius augmentum; quæ in hac Dei providentia non conveniunt, nisi solis hominibus viatoribus: Beati enim, & damnati jam sunt in termino, nec possunt primam gratiam acquirere, nec eam augere.

Dixi 1. *Saltem remotè:* Nam imò, qui post Baptismum non peccavit, non est capax Sacramenti Pœnitentiæ, & probabiliter nec Sacramenti Extremæ Unctionis, etsi probabiliùs sit oppositum; quia capax est levaminis, & roboris contra tentationes. 2. Qui non est baptizatus, non est proximè capax alterius Sacramenti; quia Sacramenta instituta sunt pro Ecclesia; Baptismus autem est janua, per quam in Ecclesiam ingredimur, ùt definit Florent. in Decreto Eugenii IV. Dein per Baptismum regeneramur; nemo autem potest roborari, crescere, nutriri, nisi generatus. 3. Qui non dolet de peccatis, non est proximè capax Sacramenti Pœnitentiæ. Qui non est compos rationis, non est proximè capax Matrimonii contrahendi &c. 4. Bma Virgo non fuit proximè capax Sacramenti Pœnitentiæ, utpote immunis ab omni peccato: fuit tamen capax Baptismi, etsi concepta sine originali peccato; quia capax erat characteris, & augmenti gratiæ sanctificantis, de se deletivæ peccati: sicut & qui ante Baptismum per contritionem perfectam fuit justificatus. Unde habet communis, quòd B. V. fuerit baptizata, ut aggregaretur Ecclesiæ Christi, & capax esset Eu-

charistiæ, quam suscepit de manu S. Joannis Evangelistæ.

Dixi 2. *Excepto Ordine*: cujus, Christo sic volente, mulier est incapax.

QUÆSTIO II.

Quæ dispositio requiratur in suscipiente, ad Sacramentum validè suscipiendum?

62. *Non requiritur fides supernaturalis, nec probitas. Excipe pœnitentiam.* Certum est 1mò, ad valorem Sacramentorum (excepto Pœnitentiæ Sacramento) non requiri fidem supernaturalem, & probitatem in suscipiente: constat ex definitione Ecclesiæ apud Suar. D. 14. S. 2. Et praxi ejusdem, quæ non permittit iterari Baptismum, & Ordinem hæreticis, & in mortali constitutis collatum.

Certum est 2dò, requiri, ut suscipiens non habeat voluntatem efficacem contrariam; quia Christus non voluit sua beneficia conferri invitis.

Certum est 3. Ut infantes, & perpetuò amentes suscipiant validè, & cum fructu Sacramenta, quorum capaces sunt, non requiri intentionem, aliamve dispositionem. Patet iterum ex praxi Ecclesiæ, quæ est Magistra veritatis, & in his errare non potest. Sunt autem capaces Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ, & Ordinis, non verò Pœnitentiæ, Extremæ Unctionis, & Matrimonii. *Ratio 1mæ partis est*; quia per Baptismum, Confirmationem, & Ordinem confertur supernaturalis dignitas: per Eucharistiam autem homo spiritualiter nutritur: ad quæ in suscipiente non requiritur usus rationis. *Ratio 2dæ partis est*; quia

quia ad Sacramentum Pœnitentiæ requiritur dolor supernaturalis de peccato personali; ad Matrimonium consensus liber in contractum; ad Extremam Unctionem, aut peccatum antecedens, aut facultas luctæ contra tentationes, ut constabit ex dicendis; hæc autem non possunt habere locum in iis, in quibus constans est carentia usus rationis. Quæstio ergo tantùm est de adultis, qui ratione utuntur, aut aliquando usi sunt. Ad quam,

Resp. Ut adulti, qui usum rationis habent, 63.
aut aliquando habuerunt, validè suscipiant Sacramentum transiens, requiritur in illis aliqua intentio directa, & absoluta subjectivè, non quidem ad omnia formalis, aut virtualis; sed sufficit ad quædam Sacramenta suscipienda habitualis, eaque quandoque solùm confusa, implicita.

In adultis requiritur intentio aliqua directa, subjectivè absoluta.

Explico responsionem. 1mò requiritur intentio; quia non est conveniens adultum sanctificari, nisi velit, aut aliquando voluerit, vel meritò censeatur velle; Et patet ex praxi Ecclesiæ, ac Rituali Romano.

2. Intentio debet esse directa, quâ Sacramentum in se sit volitum: cum indirectâ enim potest stare voluntas contraria. Sic Judæus prævidens se in somno baptizandum potest velle somnum, & nolle Baptismum.

3. Debet esse absoluta, excepto Matrimonio; quia Sacramenti valorem suspendendi potestas non est concessa à Christo, præterquam Matrimonii, quod est contractus, & imitatur rationem aliorum contractuum, quam Christus in Matrimonio non mutavit. Debet tamen etiam in hoc intentio transire in absolutam.

4. Suf-

Sufficit habitualis, ùt conftat ex *Concil. Carthaginenfi Can.* 3. ubi dicitur : *Ægrotantes, fi pro fe refpondere non poffint, cùm voluntatis eorum teftimonium fui dixerint, baptizentur*; *Et ex Araufıcano Can.* 11. dicente: *Subitò obmutefcens, prout ftatutum eft, baptizari, & Pœnitentiam recipere poteft, fi voluntatis prateritæ teftimonium aliorum verbis habet*; Item ex Cap. *Majores* : ubi dicitur, ut dormientes, & amentes baptizentur, fi priùs Catechumeni extiterint, & propofitum Baptifmi habuerint. Quòd autem valet de Baptifmo, & Pœnitentia, valet & de aliis Sacramentis. Et ratio eft; quia collatio Sacramentorum eft quædam donatio, & beneficium, ad quod acceptandum fufficit voluntas habitualis. Aliud eft de conferente Sacramentum, qui cùm debeat agere humano modo, habere debet intentionem actualem, à quo actio ejus conftituatur humana ; fufcipiens autem Sacramentum eft tantùm patiens, voluntarium tamen faltem habitualiter.

5. In quibufdam fufficit habitualis confufa, & implicita, nempe inclufa in voluntate Chriftianè vivendi, & moriendi. Hæc fufficit 1mò ad Confirmationem juxta Con. Arr. etfi non foleat dari fenfibus deftituto ; quia ad falutem non eft neceffaria, darique debet ab Epifcopo cum folennitate. 2. Ad Euchariftiam recipiendam à moribundo, jam ratione privato : Quæ ei dari poteft, modò abfit periculum irreverentiæ, & adfint cætera. 3. Etiam juxta multos ad Pœnitentiam fecundum dicta in Neo-Conf. N. 218. 4. Ad Extremam Unctionem. 5. Etiam ad Baptifmum: ut, fi quis habuiffet voluntatem fufcipiendi omnia ad falutem

lutem necessaria, etsi de Baptismo nihil audivisset. Non sufficit tamen ad suscipiendum sacrum Ordinem, nec ad Matrimonium contrahendum: præterquam enim, quòd ad salutem hæc non sint necessaria, grave onus inducunt, in quod homo non censetur consentire per confusam illam intentionem. Et de hac intentione intelligendi sunt Authores, qui dicunt ad aliqua Sacramenta sufficere in recipiente intentionem interpretativam, quam cum implicita confundunt. Si suscipiens habeat intentiones contrarias, de iis loquendum, ùt de contrariis intentionibus Ministri Sacramentorum diximus.

Dixi in responsione: *Sacramentum transiens*: Nam Eucharistia, quæ consistit in re permanente, existitque extra usum, materialiter potest validè suscipi ab ignorante cum intentione non suscipiendi Sacramentum.

Dices: Etiam infantibus per Baptismum, & Ordinem sacrum imponitur gravis obligatio, & tamen in iis non requiritur intentio; ergo nec in adultis R. C. A. N. C. Infantibus quidem imponitur obligatio per Baptismum Christianè vivendi, sed hanc compensat necessitas, & magna utilitas in iis, qui consensûs non sunt capaces: Baptismus enim est iis necessarius ad salutem, datque jus ad auxilia gratiæ secundùm legem naturæ, quæ ab omnibus observanda est, suo tempore vivendi, & æternam salutem consequendi. Adulti possunt consentire: nec aliter Christus iis Sacramenta conferri voluit; quia conveniens non erat. Per Ordinem infanti nulla imponitur obligatio, sed potest postea usum rationis adeptus eligere, quem vult statum, nisi Ordinatio-

tionem ratificet: tunc enim tenetur servare castitatem.

QUÆSTIO III.

Quæ dispositio requiratur in adulto ad recipiendum Sacramentum cum fructu, & licitè?

64. *Necessaria ad effectum primarium Sacramenti.* Resp. Ut adultus, rationis compos, licitè, & cum fructu Sacramentum suscipiat, requiruntur præter intentionem eæ dispositiones tam ex parte animi, quàm corporis, per quas fiat capax fructum primarium, seu gratiam sanctificantem, aut ejus augmentum percipiendi. *Ratio est*; quia finis per Sacramentorum institutionem ità à Christo est intentus, ut noluerit ea conferri, aut suscipi ab adulto sine dispositionibus debitis; quem finem frustrat, & gravis, per se loquendo, se sacrilegii reum facit, qui debitè se non disponit; quia Sacra indignè tractat, & quodammodo illudit Christo.

65. *Corollaria.* Hinc 1mò suscipiens Sacramentum debet esse liber ab excommunicatione, & interdicto personali, & Ordinem suscipiens etiam ab irregularitate; aliàs peccat contra præceptum Ecclesiæ graviter obligans, estque indispositus.

2. Ut adultus cum fructu, & licitè suscipiat Sacramentum Pœnitentiæ, requiritur fides, & spes supernaturalis, & contritio, vel attritio efficax, seque extendens ad omnia mortalia. Fides quidem supernaturalis, quia hæc dirigere debet voluntatem ad eliciendos actus ad justificationem, vel augmentum gratiæ necessarios, secundùm dicta de fide N. 32. Spes verò

verò requiritur, quia homo lapsus propter infirmitatem suam, non potest, prout oportet, excitari satis ad dolorem efficacem de peccatis personalibus, nisi eò disponatur per spem veniæ. Denique requiritur aliqua contritio; quia peccatum personale non remittitur, nisi efficaciter retractetur. Similiter, ut suscipiat cum fructu adultus Baptismum, requiritur fides, sique lapsus sit in mortale personale, etiam dolor, & detestatio cum spe veniæ.

3. Ut Sacramenta vivorum suscipiantur cum fructu, per se loquendo requiritur status gratiæ; quia ex primaria suà institutione à Christo sunt ordinata non ad conferendam primam gratiam, sed augmentum ejus. Secùs est de Sacramentis mortuorum; quia ex primaria suà institutione ordinata sunt ad conferendam primam gratiam.

4. Ut fructuosè suscipiantur Sacramenta vivorum, non requiritur fides actualis explicita de efficacià, & veritate Sacramenti; sed sufficit implicita, & confusa, quæ consurgens ex memoria notitiæ, per fidem comparatæ, dirigat intentionem suscipiendi tale Sacramentum, velut conferens fructum aliquem spiritualem. Similiter non requiritur spes explicita consequendi fructum Sacramenti; sed sufficit implicita ex voluntate suscipiendi tale Sacramentum, velut operativum effectûs supernaturalis, seu spiritualis animæ.

5. Ad fructuosè suscipiendum Sacramentum Eucharistiæ, per se loquendo, requiritur tum jejunium naturale à media nocte ex præcepto Ecclesiæ, tum absolutio directa Sacramentalis ab omni mortali, cujus habetur conscientia; idque ex præcepto divino juxta com-

muniorem, non tamen actualis devotio ad consequendum per eam gratiæ habitualis augmentum, quanquam illa multùm conferat tum ad gratias actuales abundantiores percipiendas, tum ad gratiæ sanctificantis majus augmentum. Imò videtur veniale sine pio motu actuali voluntatis illud Sacramentum suscipere; & multo magìs, si fiat cum veniali actuali: quod tamen mortale non est; quia non impeditur augmentum gratiæ habitualis. Si tamen quis susciperet cum veniali habituali, excusatur à peccato, si cætera adsint. Idem videtur de aliis Sacramentis.

6. Ut alia Sacramenta vivorum cum fructu suscipiantur, sufficit status gratiæ, per contritionem procuratus; quia non constat de præcepto, & ex nullo alio capite ostendi potest, prærequiri absolutionem Sacramentalem.

QUÆSTIO IV.

66. An suscepturus Sacramentum possit illud licitè petere à Ministro indigno?

Peccatur, si minister non possit validè administrare.

Resp. 1. Peccat mortaliter, qui petit, vel suscipit Sacramentum à Ministro, quem scit, non posse id validè administrare; quia concurrit ad invalidam Sacramenti administrationem, quæ est actio intrinsecè graviter mala: utpote cedens in gravem irreverentiam, & injuriam institutoris Sacramentorum.

Qui privati sint jurisdictione?

Hinc extra articulum mortis mortale est petere Sacramentum Pœnitentiæ à Ministro non tolerato: qualis est notorius percussor Clerici, hæreticus publicè denuntiatus, notoriè excommuni-

municatus, publicè in perpetuum degradatus, publicè irregularis per sententiam, publicè & nominatim suspensus: nam tales privati sunt jurisdictione terminativè completâ.

Dixi: *Extra articulum mortis*: Pro hoc enim Ecclesia dat, vel non aufert jurisdictionem, ùt patet ex *Trid. sess.* 14. *de Pænit. Cap.* 7.

Resp. 2. Peccat quoque, per se loquendo, mortaliter, qui petit Sacramentum etiam validè administrandum à Ministro, quem scit illud non posse licitè, & sine lethali peccato administrare, eò quòd v. g. non possit tollere id, cujus sublatio est necessaria ad id licitè administrandum. *Ratio est*; quia cooperatur alterius peccato, qui actionem, de se licèt aliàs indifferentem, vel etiam honestam, petit, quàm is sine peccato ponere non potest. Hinc extra casum extremæ necessitatis, seu articulum mortis non licet petere Sacramentum, etiam validè conferendum à Ministro non tolerato; quia Ecclesia gravissimè prohibet extra articulum mortis cum tali communicare præsertim in Sacris. 67. *Item si non possit licitè.*

In articulo tamen mortis, ubi alius haberi non potest, permittit Ecclesia Baptismi petere Sacramentum, & Pœnitentiæ à tali Ministro, ne animæ mediis priventur necessariis ad salutem. Probabiliùs quoque est, quòd, dum quis Sacramentum Pœnitentiæ suscipere non potest, licitè possit à tali Ministro suscipere Eucharistiam, & Extremam Unctionem, eò quòd illa probabiliter per accidens possint causare primam gratiam, nec credibile sit, Ecclesiam velle fideles tunc privare tali remedio. Addit Suar. posse à quocunque Ministro eti- 68. *Quid in articulo mortis?*

am non tolerato in articulo mortis, ubi alius deest, administrari Eucharistiam, petenti eam, licèt non deesset absolutio Sacramentalis à peccato; quia *Cap. Quòd in te, de pœnitentia, & remissione* dicitur: *in illo verbo, per quod pœnitentiam mor entibus non negamus, viaticum etiam, quòd verè pœnitentibus exhibetur, intelligi volumus, ut nec ipsum decedentibus denegetur.* De Extrema Unctione tamen oppositum dicit Innoc. III. ibid.

Resp. 3. Ex causa rationabili, quando de-
69. est alius, licet petere Sacramentum à Ministro
Si adsit excommunicato tolerato, qui id possit dignè ad-
causa ministrare; quamvis prævideatur indignè mini-
rationa- straturus, non tamen, dum adest alius, aut non
bilis, à est causa rationabilis. *Ratio 1ma partis est:*
tolerato quia, quando actio est honesta, & potest ab alio
peti po- fieri licitè, non tenetur quis eam impedire;
test. sed & petere potest, quando ad id est gravis, & rationabilis causa. Jam verò Sacramenti administratio est actio honesta: proinde quando Minister potest eam licitè ponere; possum ex gravi causa ab ipso petere: præsertim cùm Christiano jus sit ad Sacramenta. Neque petens tunc est causa peccati, sed id ex rationabili causa permittit, adeoque non peccat contra charitatem, nec contra præceptum Ecclesiæ; nam in Bulla Martini V. habetur, neminem imposterum teneri in susceptione Sacramentorum vitare excommunicatos toleratos. *Ratio 2da partis est;* quia, quando adest alius, vel deest rationabilis causa, charitas exigit, ut impediam proximi peccatum, cùm facilè possum, ne saltem consummetur, continuetur, aut augeatur: Si tamen esset causa ratio-

rationabilis petendi potiùs à tali indigno, quàm ab alio, peti posset sine peccato.

Porro causa rationabilis est magna utilitas, maximè spiritualis, non facilè aliàs recuperabilis; & gravis necessitas, quæ prudenti judicio pro varietate rerum, & circumstantiarum ponderanda est. Tales causæ sunt probabile vitæ periculum, aliàs subeundum; occasio lucrandi Jubilæum, vel Indulgentias, dum occasio has lucrandi rarò occurrit, liberatio à notabili incommodo, aliàs subeundo, necessitas implendi præceptum Confessionis & Communionis annuæ; quia talia præcepta sunt in possessione, nec certum est in his circumstantiis eorum obligationem non urgere. 70. Quæ causæ rationabiles?

Hinc 1. Quando sponsus sciens sponsam esse in statu peccati non potest sine gravi incommodo differre Matrimonii contractum, nec potest eam reducere ad statum gratiæ, licitè contrahit Matrimonium; idque, licèt sponsa esset publicè indigna, modò conditiones requisitæ ad contrahendum cum tali non desint, & absit scandalum; quia sponsus utitur jure suo, & sponsa posset contrahere in statu gratiæ. Nec sic ministrat Sacramentum indignè; nam tantùm ponit consensum suum, & principaliter tantùm contractum ex parte sua indirectè verò Sacramentum, sicque peccatum solùm permittit. 71. Corollaria.

2. In dubio an Minister sit in statu gratiæ, peti ab eo potest Sacramentum; quia præsumptio est pro innocentia. Quòdsi scires eum antè peccâsse mortaliter, præsumendum esset, quòd se sit per contritionem dispositurus; nisi tamen obstaret, quò minùs id præsumi posset: uti si esset consuetudinarius, aut in occasio-

casione proxima peccandi: Atque hoc casu sine gravi causa Sacramentum ab eo petere non liceret; uti nec intra tempus, quo se disponere non potest.

CAPUT IV.

De Effectibus Sacramentorum novæ Legis, & de Sacramentalibus.

QUÆSTIO I.

Quid Sacramenta novæ Legis conferant illa dignè suscipientibus?

72. *Effectus primarius sacramentorum est gratia sanctificans*

Resp. 1. Conferunt velut causæ immediatæ instrumentales, saltem morales, ex opere operato gratiam sanctificantem dignè illa suscipientibus, eamque infallibiliter, & statim, atque ultimò essentialiter completa suscipiuntur, non tamen æqualem omnibus, sed inæqualem pro inæqualitate dispositionis, ubi aliqua prærequiritur. Prima pars est de Fide contra Hæreticos varios, contendentes Sacramenta mediatè solùm, excitando fidem, operari; constat tum ex S. Scriptura, tum ex Conciliis P. P. & communi sensu Ecclesiæ: nam 1. Petri 3. dicitur: *salvos nos fecit Baptisma.* Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto.* Actorum 8. & 19. dicitur: *spiritus sanctus datus* per impositionem manuum, id est, Confirmationem. Joannis 6. *Qui manducat me, & ipse vivet propter me, &: Qui man-*

manducat meam carnem, vivet in aeternum. Joan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Jacobi 5. de Extrema Unctione dicitur: *si in peccatis fuerint, remittentur ei.* 2da ad Timoth. C. 1. de Ordine dicit Apost. *Admoneo te, ut resuscites gratiam, quae est in te per impositionem manuum.* De Matrimonii effectu Scriptura quidem signanter non meminit; attamen, quia verum novae legis Sacramentum est, de fide quoque est, quòd id suscipientibus sine obice conferat gratiam. Deinde *Florent. in Decreto Eug. IV*, agens de Sacramentis veteris legis ait: *Illa non causabant gratiam, sed solùm per passionem Christi dandam figurabant; haec verò nostra continent gratiam, & dignè suscipientibus conferunt.* Tridentinum autem *sess.* 7. *Can.* 8. ait: *si quis dixerit, per ipsa novae legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam: anathema sit.* Et *Ratio est*; quia conferri gratiam ex opere operato, est illam conferri vi operis, secundùm institutionem Christi positi, independenter à meritis Ministri, & suscipientis. Sic autem Sacramenta conferunt gratiam v. g. Baptismus Confirmatio infanti: aliàs enim Ecclesiae non foret bene provisum, & posset quisque angi de fructu Sacramenti suscepti, si is dependeret à Ministri meritis.

Nec obstat, quòd in adultis requirantur aliqui actus boni, certaque dispositio; quia illa non requiruntur, ùt meritum gratiae sacramentalis, sed tantùm ùt conditio à Christo requisita: hinc, si quis suscipiens per illos actus mereatur, duplicem gratiam consequitur: unam merito, & alteram Sacramento respondentem,

 quae

quæ Sacramentalis dicitur. An autem hanc Sacramenta causent physicè, an verò solùm moraliter velut actiones Christi movendo Deum, ut intuitu passionis ejus conferat gratiam, relinquo S h lasticis. Hoc certum est, quòd causæ sint tantùm instrumentales; principalis verè efficiens Deus; meritoria autem passio Christi.

Quam conferunt statim

Ratio 2da partis est; quia Sacramenta sunt causa necessaria gratiæ, adeoque operantur non antè, sed quando completa suscipiuntur à subjecto apto; quod addo: nam si suscipiantur cum obice, seu impedimento gratiæ, tum vel, adveniente requisitâ dispositione, reviviscunt, vel, si hæc constanter deficiat, gratiam nunquam conferunt.

Secundùm dispositionem suscipientis.

Ratio 3tia partis est; quia Sacramenta causant gratiam per modum causæ necessariæ; causa autem necessaria in subjectis inæqualiter dispositis producit effectum inæqualem v g. ignis calorem inæqalem; ergo pariter Sacramenta inæqualem gratiam in subjectis inæqualiter dispositis; ordo enim gratiæ sequitur ordinem naturæ. Unde Tridentinum *sess. 6. Cap. 7.* dicit: *Quòd unusquisque gratiam, quâ per Baptismum justificatur, recipiat secundùm propriam cooperationem & dispositionem.* Cur autem Deus sic voluerit, ratio congruentiæ est; quòd sic homines magis excitentur ad Sacramenta cum devotione majore suscipienda. Porrò dispositio actualis cæteris paribus est melior, quàm habitualis; illa inter actuales melior est, quæ perfectiùs conjungit, aut parat ad conjunctionem cùm Deo, ut actus Fidei, Spei, Charitatis, &c. magis efficaces & intensi. Unde meliùs dispositus majorem accipit

cipit gratiam, etiam virtute Sacramenti. Item adultus, qui baptizatur, per actus proprios dispositus, majorem, quàm infans. Quantam autem hic accipiat, non constat.

Resp. 2. Quodlibet Sacramentum, præter gratiam habitualem, causat quoque gratias actuales speciales, sibi proprias, quæ, intuitu Sacramenti suscepti, suo tempore ratione utentibus conferuntur ad obtinendum finem proprium cujuslibet Sacramenti, nisi se illis indignos reddant peccatis suis. Est communis Theologorum cum S. Thoma P. 3. Q. 61. A. 2. *Ratio est*; quia gratiæ actuales necessariæ sunt ad finem cujuslibet Sacramenti; finis autem diversus est, v. g. finis Baptismi est vita Christiana; Confirmationis, fortitudo ad profitendum fidem &c. qui fines, cùm sint supernaturales, viribus naturæ obtineri non possunt. 73. *Secundarius Gratia actuales speciales*

Dixi 1. *Conferri illas gratias suo tempore*: non enim conferuntur statim & simul, sed successivè, quando occurrunt occasiones, spectantes ad finem istius Sacramenti. statim tamen acquiritur jus ad illas gratias vi Sacramenti habendas.

Dixi 2. *Ratione utentibus*; alii enim gratiæ actualis, sitæ in illustrationibus intellectûs, & piis ad bonum motibus voluntatis, non sunt capaces. Hinc, si infans baptizatus moriatur ante usum rationis, illum Baptismi effectum non percipit.

Dixi 3. *Nisi se illis indignos reddant*: si enim in mortale lapsi amittant gratiam sanctificantem etiam jus ad illas gratias actuales amittunt quia jus illud in gratia sanctificante fundatur, vi Sacramenti collata. Probabiliter tamen jus il-

lud revivifcit, fi gratia fanctificans per pœnitentiam recuperatur.

Dixi 4. *Conferri gratias speciales*; quia generales conferuntur fufficientes omnibus; at fpeciales, & uberiores ad finem, cuique Sacramento proprium, intuitu Sacramenti fufcepti, non tamen femper efficaces.

74. *Difcrimen gratiæ facramentalis à non facramentali.*

Porrò gratia facramentalis differt à non facramentali, feu collatâ extra Sacramenta ob. actus bonos, per hoc, quòd jus quoddam habeat annexum ad gratias actuales fpeciales.

75. *Baptifmus, & pœnitentia per fe conferunt gratiam primam reliqua fecundam.*

Refp. 5. Baptifmus, & Pœnitentia vi primariæ inftitutionis fuæ conferunt gratiam primam fanctificantem; vi inftitutionis fecundariæ conferunt gratiam fecundam, feu augmentum gratiæ fanctificantis. Reliqua autem Sacramenta, vi inftitutionis primariæ, gratiam fecundam, feu gratiæ augmentum; vi autem inftitutionis fecundariæ, & per accidens caufare probabiliùs poffunt gratiam primam.

Ratio 1ma partis eft; quia Baptifmus inftitutus eft, ut renafceremur juxta illud Joan. 3. *Nifi quis renatus fuerit &c.* Pœnitentia verò, ut relapfi redeant ad gratiam, juxta illud Joan. 20. *quorum remiferitis &c.* Et hinc Sacramenta mortuorum dicuntur. Si tamen, antè juftus, fufcipiat tale Sacramentum, augmentum gratiæ accipit; quia quodlibet Sacramentum, validè, & fine obice fufceptum, confert gratiam, ùt jam audivimus.

Ratio 2da partis eft; quia Confirmatio inftituta eft primariò ad conferendum robur Spiritûs pro tuenda fide; Euchariftia autem, ut nutriamur, & crefcamus in virtutibus & gratia; Ordo, ut conferat gratiam & auxilia ad Ecclefiaftica munia ritè obeunda; Extrema ve-

tò Unctio, ut conferat gratiam ad vincendos extremos insultus dæmonis, & usque ad finem vitæ Deo inhærendum; Matrimonium denique gratiam, ut conferat ad onera ferenda, & actiones, statui illi convenientes, ritè obeundas. Atque ità supponunt jam gratiam sanctificantem primam; & hinc Sacramenta vivorum appellentur.

Ratio 3tiæ partis est; quia, si quis bonâ fide procedens, & mali sui statûs ignarus, cum attritione universali tale Sacramentum suscipiat, non adest obex gratiæ: peccatum enim substans attritioni, gratiam non impedit per se, ùt patet in Sacramentis vivorum; & de Extrema Unctione dicit S. Jacobus, quòd peccata remittat. Eucharistiam PP. vocant panem vivificantem, & Trid. Sess. 13. Cap. 2. docet, hoc Sacramentum conferre gratiam, & remittere peccata; est autem par ratio de aliis Sacramentis.

QUÆSTIO II.

Quæ Sacramenta characterem imprimant?

Resp. Præter gratias, qui sunt effectus omnibus Sacramentis communes, tria Sacramenta, nempe Baptismus, Confirmatio, & Ordo imprimunt ea validè suscipientibus characterem. Est de Fide ex *Florent. & Trid. Sess. 7. Can. 9.* fuitque ea constans Ecclesiæ doctrina, tradita etiam à S. Scriptura: nam ad Eph. 1. dicit Apostolus; *In quo & credentes signati estis.* Et Cap. 4. *Nolite contristare Spiritum sanctum,*

76. *Baptismus, Confirmatio, & Ordo.*

sanctum, in quo signati estis. 2da ad Cor. Cap. 1. *Qui unxit nos Deus, & signavit nos.*

77. *Cur illa charaćterem imprimant, & is quid significet?* *Ratio* autem congruentiæ, cur Christus voluerit ab his tribus Sacramentis imprimi characterem, datur à S. Th. & Scoto; quia per ea homo constituitur in speciali gradu, & officio in Ecclesia Christi; per Baptismum enim fit de familia Christi, ejusque domesticus, capax, ut in mensa ejus spiritualiter reficiatur, & reliqua Sacramenta percipiat. Per Confirmationem Christianus transit in militiam Christi, ut fidem fortiter propugnet. Per Ordinem constituitur Minister Christi, & elevatur ad gradum dignitatis, ut pro eo varias functiones obeat, v. g. ut præparet, & dispenset cibum Eucharisticum, vel ad id juvet, ut sit Judex in tribunali Pœnitentiæ, & Doctor in Cathedra, & hinc congruebant illis signa stabilia pro diversitate potestatis, & officii. Secùs est in aliis Sacramentis, per quæ homo non deputatur ad speciale officium, & cultum peculiarem Dei.

78. *Quid sit character?* Unde character definitur: Signum specialis potestatis, & deputationis ad cultum Dei secundùm finem Sacramenti. vel: Signum spirituale, supernaturale, indelebiliter inhærens animæ, significativum Sacramenti validè suscepti, & specialis potestatis, & deputationis ad cultum Dei secundùm finem Sacramenti. Hoc signum manet in Beatis ad gloriam, & in damnatis ad eorum confusionem; cumque indelebile sit, non possunt Sacramenta, per quæ imprimitur, iterari: neque enim potest esse seria intentio conferendi quod jam collatum est, & augeri non potest; essetque hoc Christo quodammodo illudere.

QUÆS-

QUÆSTIO III.

Quid sint Sacramentalia, & qui eorum effectus, & decens usus?

Resp. 1. Sacramentalia propriè dicta sunt actiones externæ, Sacramentis accidentales, in eorum administratione ex præscripto Ecclesiæ adhibendæ: ùt insufflatio in Baptismo, exorcismus, percussio confirmati ab Episcopo, elevatio oculorum, inclinatio ante consecrationem &c. Latiùs accepta sunt tum res ab Ecclesia consecratæ, & institutæ; tum earum usus: ùt aqua benedicta, & ejus aspersio, panis benedictus, & ejus esus, Ecclesia dedicata & oratio in ea, aliæque actiones piæ: ùt benedictio Episcopi, eleëmosyna, Confessio generalis, facta per formulam ab Ecclesia præscriptam, Oratio Dominica. 79. *Sacramentalia propriè dicta.*

Resp. 2. Nec latè, nec strictè dicta Sacramentalia per se immediatè, & ex opere operato conferunt effectum aliquem supernaturalem, aut corporalem, sed ex opere tantum operantis. Est communis sententia cum Suar. Et *Ratio est*: quia Ecclesia non habet potestatem ejusmodi rebus, aut actionibus dandi vim infallibilem causandi gratiam, aut effectum ejusmodi: nec constat, quòd Deus iis illam virtutem contulerit: proinde dicendum, quòd effectum tantùm habeant ex opere operantis, vel per modum impetrationis ob preces Ecclesiæ annexas, quæ multùm apud Deum valent, etsi non semper infallibiliter obtineatur, quod petitur. Hinc gratiæ prævenientes, & pii motus, qui conferuntur in usu Sacramentalium 80. *Eorum effectus.*

talium v. g. aspersione aquæ benedictæ, proveniunt per modum impetrationis à precibus Ecclesiæ. Idem est, si per ea conferatur sanitas, fugerur dœmon &c.

Resp. 3. Res per actiones etiam latè sacramentales, aliquo modo consecratæ, id est, affectæ benedictione non tantum invocatoriâ, sed etiam consecratoriâ, decenter tractari debent; ùt sunt Calices, Corporalia, Purificatoria, aliaque, quæ immediatè deserviunt ad Sacrificium Missæ. Item cera à Pontifice benedicta, quæ ob figuram Agni, super impressam, Agnus Dei dicitur, & alia, quæ benedictione constitutivâ sacrantur. *Ratio est*; quia specialiter ad cultum Dei deputantur, ob quem reverenter tractari debent.

81. *Res sacra, & benedicta sunt in duplici genere.* Dixi: *Res affecta benedictione consecratoria*; nam, quæ tantùm habent benedictionem invocatoriam, non sunt res in rigore consecratæ, sed solùm invocatur specialis assistentia Dei in illarum usu; quæque sic benedicuntur, possunt adhiberi ad omnem usum honestum, ad quem poterant, antequam benedicerentur. Hinc ossa Agni, in Paschate benedicti, possunt dari canibus. Item licet uti candelâ benedictâ pro lumine ad studium, aquam benedictam affundere vino; Missalia tamen, & sacra Biblia non facilè usibus profanis sunt adhibenda; quia cùm tantùm sint ad continendas res sacras, censentur sacra, sicut & imagines Christi & Sanctorum; quia repræsentant Sanctos. Aliud est de chartis aliis, quibus sacra nomina sunt inscripta: hæc enim tantùm se habent velut accessoria, & chartæ non ideo censentur sacræ.

Quæres.

Quares. Quid sentiendum de Agnis Dei? 82.

Resp. 1. Agni Dei vocantur imagines circulares, ex cera virginea, à solis Romanis Pontificibus benedictæ, quæ communiter Agnum referunt, erantque olim donum solis Imperatoribus, Regibus & Principibus mitti solitum. *Agni Dei.*

2. Agni Dei habent hos effectus: Defendunt ab adversis, peste, morbo caduco, incendiis, sedant tempestates terrâ & mari, liberant à subitaneæ mortis periculo, impetrant auxilium divinum, piè usurpati, ad dolendum de peccatis: qui effectus omnes recensentur in *Bulla Sixti V. ad Joannem Fernandez de Valasco Castella.* Hinc licet Agnum Dei mittere in mare, vel flumen ad sedandam tempestatem, vel in ignem pro suffitu adversus tonitrua, fulmina, incendia, illusiones dæmonis &c. quia ad hos effectus à Pontifice benedicuntur. Non licet tamen illum illuminare picturâ, vel inaurare: id enim Gregorius XIII. prohibuit sub pœna excommunicationis. Antecedenter tamen pictum licet retinere. 83. *Eorum effectus, & usus.*

3. Si frangantur Agni Dei, non amittunt benedictionem; quia hæc cadit supra materiam, non supra formam, quæ pro ornatu additur.

4. Licèt suadendum sit Laicis, ut eos non attingant immediatè, eò quòd consecrentur oleo sacro; non peccant tamen, si ex justa causa attingant, v. g. ut imponant capsulæ: hæc enim fiunt ex pietate, & morali quadam necessitate. Imò Sanch. & alii putant, usum jam obtinuisse, ut etiam Laicis liceat eos attingere immediatè.

TRAC-



TRACTATUS II.

DE

Sacramento Baptiſmi.

94. *Baptiſmus triplex.* BAptiſmus, latinè ablutio, triplex eſt, nempe Baptismus fluminis, qui confertur in aqua ſub certa verborum forma; Baptismus flaminis, qui eſt votum, ſeu deſiderium Baptismi aquæ, incluſum in actu charitatis, vel contritionis perfectæ; & Baptismus ſanguinis, ſeu martyrium, quod eſt perpeſſio mortis, vel cruciatûs lethalis pro vera fide, vel virtute revelatâ in odium ejus illati, paſſo non reſiſtente; ſive jam mors ſequatur, ſive non.

Martyrium. Ex ſpeciali Dei privilegio ejus effectus eſt, remiſſio omnis culpæ & pœnæ; In rationis tamen compote requiritur voluntas, eâ cauſâ acceptandi mortem, ſaltem habitualis implicita, quam aliqui interpretativam vocant. Item dolor ſupernaturalis, vel actualis, vel habitualis, quo peccata non retractata retractentur. Solus Baptiſmus aquæ, de quo nobis eſt Tractatus, eſt Sacramentum; duo reliqui dicuntur Baptiſmi propter ſimilitudinem effectûs, quo aliquando poſſunt defectum Baptiſmi aquæ ſupplere.



CAPUT

CAPUT I.

De Essentia, materia, forma, & necessitate Sacramenti Baptismi.

QUÆSTIO I.

Quid sit Sacramentum Baptismi?

RESP. Est Sacramentum novæ legis, spiritualiter regenerans hominem. Vel exactius: 85. *Definitio.*
Est Sacramentum characteristicum, à Christo institutum ad spiritualem regenerationem hominis per ablutionem aquæ, & hanc vel æquivalentem verborum formam: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.* Baptismus in Scriptura dicitur ad Ephes. 5. *Lavacrum aquæ in verbo vitæ*; quia per aquam cum forma spiritualiter regenerante, & vivificante confertur. Ad Titum 3. *Lavacrum regenerationis*; quia hominem à statu peccati, in quo spiritualiter mortuus nascitur, transfert ad statum gratiæ, vitæque spiritualis. Ad Romanos 6. dicitur: *Crucifixio, & sepultura cum Christo*; quia in eo in similitudinem Christi mortui, & sepulti morimur peccatis, & eâ in Baptismo veluti sepelimus.

Est autem Baptismus à Christo institutus 86. *Institutio.*
probabiliùs ante passionem, & juxta plures Patres circa tempus, quo ipse à Joanne Baptista est baptizatus: nam Joannis 3. v. 22. dicitur: *Post hæc venit JEsus in Judæam, & ibidem morabatur, & baptizabat.* Et Cap. 4. v. 2. dicitur baptizâsse per Discipulos, utique diu ante passionem, & ferè sub initium prædicationis

nis suæ : non baptizavit autem per Discipulos Baptismo Joannis : aliàs enim non Christus, sed Joannes baptizâsset per Discipulos. Et Joannis Discipuli non fuissent questi, ùt habetur Joannis 3. quòd Christus baptizaret per Apostolos. Deinde Christus in ultima Cœna suos Apostolos creavit Sacerdotes, uti definit Trid. Sess. 22. Can. 2. ergo jam antè erant baptizati, cùm Baptismus sit janua reliquorum Sacramentorum.

QUÆSTIO II.

Quæ sit materia remota, certa, & quæ dubia Sacramenti Baptismi?

87. *Materia remota, certa.* Resp. Materia remota, certò ad valorem sufficiens, & necessaria, est aqua elementaris, ad abluendum apta. Est de fide ex Joannis 3. ubi dicitur : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Quòd autem Scriptura sit intelligenda de aqua elementari, seu naturali, declaravit Conc. Lateranense Cap. *Firmiter*, & Florent. in Decreto Eugen. IV. dicens : *Materia hujus Sacramenti est aqua vera, & naturalis.* Item Trid. Sess. 7. Can. 2. de Baptismo contra Lutherum, qui in colloquiis sympoſiacis Cap. 13. dixit : Vinum & lac sufficere.

Materia dubia. Dixi 1. *Aqua elementaris*, id est simplex, quæ est unum de quatuor elementis, sive jam sit ex fonte, mari, fluvio, puteo, palude, aut pluviâ : sive resoluta ex grandine, glacie, vel nive, aut sit ros. Talis certò non est saliva, sudor, atramentum crassum, succus ex pyris, vel pomis : an talis sit jusculum, tenuis cerevisia,

vissa, aqua rosacea, humor fluens ex vite, betulâ, aliâve arbore, dubium est. Unde aliâ deficiente in necessitate adhiberi deberet; aliàs licitè non potest.

Dixi 2. *Sufficiens ad valorem*: nam, licèt in necessitate adhiberi possit non benedicta extra illam tamen sub peccato, & quidem juxta multos sub mortali, adhibenda est benedicta; seu consecrata ex fonte baptismali in Baptismo solenni. In non solenni autem adhiberi potest non benedicta, etiam à Sacerdote juxta Gobat; quod magis valet de Laico, cui fas non est aquam benedictam illam attingere.

Dixi 3. *Ad abluendum apta*: nam, licèt glacies, nix, grando, pruina sint substantialiter aqua; quamdiu tamen resoluta non sunt, non sunt apta ad abluendum, adeoque nec materia idonea ad Baptismum. Unde, si adhuc concreta admoverentur corpori baptizandi, non valeret Baptismus; quamvis deinde calore corporis resolverentur: valeret tamen certò, si, antequam admoveantur, resolverentur in manu baptizantis: uti &, si à baptizante ipso ità baptizando applicarentur, ut frictione resolverentur, & fluerent; quia tunc baptizans verè diceretur per ea abluere. Quodsi minima pars aquæ v. g. una, alterave guttula affunderetur, quæ immobiliter corpori adhæreret, non valeret Baptismus; quia non fieret lotio morali & humano modo.



QUÆSTIO III.

Quæ sit materia proxima Sacramenti Baptismi ?

88. *Materia proxima.* Resp. Est ablutio per aquam ; quâ animo baptizandi à baptizante factâ, corpus baptizandi abluitur. Ità omnes Doctores Catholici. Et *Ratio est* ; quia illa ablutio immediatè per formam significatur ; perque eam materia remota Baptismi applicatur baptizando. *Ex his deduco.*

89. *Corollaria.* 1. De essentia Baptismi est ablutio activa ; quâ baptizans abluit, & passiva, quâ baptizandus abluitur : non est tamen necesse, ut reipsâ fordes corporis abluantur ; quia ablutio non est emundatio, sed hæc illius effectus est.

Quæ pars corporis abluenda, & quomodo ? 2. Sufficit qualibet vera corporis ablutio ; sive fiat per affusionem, sive per aspersionem, sive per immersionem : qualibet enim est vera ablutio. In praxi tamen servandus est ritus Ecclesiæ, in qua Baptismus confertur, nisi hìc & nunc justa causa excuset : uti, si non adesset aqua sufficiens immersioni ; si Minister tam debilis esset, ut immergere non posset ; aut baptizandus sine periculo gravis mali non posset immergi &c. Docet tamen Gobat & alii, fore tantùm veniale, si praxis ea Ecclesiæ sine gravi causa non servaretur.

3. Debet ea pars corporis & eâ quantitate aquæ ablui, ut homo dicatur propriè & simpliciter ablutus : ad quod sufficit certò, quòd caput abluatur ; quia est præcipua corporis pars, & sensuum sedes ; præcipuâ autem parte ablutâ, homo dicitur simpliciter ablutus : pas-

tiones enim & actiones sunt suppositorum. Ob eandem rationem dicunt Suar. La Croix & alii, certò sufficere ad valorem, si abluatur pectus, scapulæ, vel humeri; quanquam id negent Paludanus, Durandus & Sotus, quibus favet D. Th. 3. p. q. 68. a. 11. ad 4. An autem sufficiat, quamcunque corporis partem v g. manum vel pedem ablui, controvertitur; unde, si in necessitate sic quis esset baptizatus, esset sub conditione rebaptizandus, deberetque ablutio fieri in capite, ne violetur praxis universalis Ecclesiæ in re gravi.

4. Debet aqua cum successivo motu in corpore immediatè tangere corpus baptizandi; aliàs non est vera ejus ablutio. Hinc non sufficit, aquam applicare panniculis, vel utero materno, in quo adhuc continetur infans; vel secundinæ seu pelliculæ, quâ subinde involuti nascuntur infantes; quia hæc non sunt pars corporis baptizandi: hinc etiam, quia probabilius est, capillos & ungues non esse partes corporis, nec vivere animâ rationali, sed tantùm esse excrementa in corpore, humano velut in solo nata, is, qui in solis capillis, aquâ caput non tangente immediatè, esset baptizatus, sub conditione rebaptizandus esset: & idem est, si infans, adhuc totus clausus in utero, per artem ab obstetrice etiam in capite esset baptizatus: sunt enim, qui putant, neminem posse renasci spiritualiter, nisi sit naturaliter natus, quanquam oppositum probabilius est; quia exsectus de utero matris mortuæ baptizari potest, & in matre potest dici infans natus ante partum: dixit enim Angelus Matthæi 1. v. 22. de B. Virgine: *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.*

5. Ad valorem Baptismi non requiritur trina affusio, vel immersio; quia unica potest esse ablutio simpliciter dicta: servandus tamen est ritus Ecclesiæ, quando potest & curandum, ut singulæ ablutiones singulis SS. Trinitatis personis invocatis respondeant, & ne ablutio tota absolvatur, priusquam sit forma absoluta totalis.

6. Si Baptismus fiat per immersionem, non requiritur ad valorem emersio, vel extractio; quia sine hac potest haberi vera ablutio: unde, si quis infantem animo baptizandi projiceret in flumen, vel puteum, formamque proferret convenienter, Baptismus valeret: quanquam juxta communiorem non licet infantem, etsi sine Baptismo moriturum aliàs, sic baptizare: id enim esset eum occidere; contradicunt tamen Suat. & alii; quia directè intenderetur salus, & non præsumitur Deus prohibuisse medium, in tali necessitate unicè necessarium ad salutem animæ. Hæc sententia probabilis est, si mors non multùm acceleretur. Simile est in Belliduce, oppugnante in urbe hostem, unde prævidet occidendos innocentes.

QUÆSTIO IV.

Quæ sit forma essentialis Baptismi?

90. *Quinque exprimenda.* Resp. Est hæc, vel æquivalens: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.* Constat tum ex verbis Christi Matthæi ultimo: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti*; tum ex perpetua praxi, & sensu Ecclesiæ. Ut autem in forma

forma æquivalente fit, maneatque sensus à Christo intentus, quinque exprimi debent.

1mò. Persona Ministri baptizantis saltem implicitè, & indirectè. *Ratio est*; quia, cum forma Baptismi sit practica actio baptizantis, ejus veritas requirit, ut procedat, & exerceri significetur à baptizante, saltem implicitè indirectè, & connotativè per verba significantia actionem, ùt fit in forma Græcorum hac: *Baptizatur, vel baptizetur v.g. Petrus in nomine Patris &c.* ubi verba in circumstantiis iis significant simul tò *à me*, non secùs, ac si quis volens donare dicat: hic liber sit tuus, hic liber tibi donatur. Quare Minister dicendo: *Baptizetur v. g. Petrus*, imperat non alteri, sed potentiis suis executivis, sensusque est: Baptizetur à me Petrus; atque ità valet forma Græcorum, & approbata est à Concil. Florent.

2. Exprimi debet actio Baptismalis, seu ablutio, facta à Ministro proferente formam.

3. Persona suscipiens Baptismum, ùt constat ex praxi Ecclesiæ. Sufficit tamen ad valorem, si dicatur: *Ego baptizo Petrum: Baptizo hunc: Baptizo dominationem vestram: Baptizatur Servus Christi; tu baptizaris à me*; quanquam peccet Minister, si aliam formam, quàm ab Ecclesia præscriptam, adhibeat.

4. Exprimi debet unitas essentiæ divinæ.

5. Trinitas divinarum Personarum sub nominibus propriis. Constat ex verbis Christi, pro forma Baptismi Matthæi ultimo cit. præscriptis: in quibus per tò *in Nomine*, exprimitur unitas naturæ divinæ, per reliqua Trinitas personarum. Et ità habet perpetua praxis,

xis, & sensus Ecclesiæ, hac in re infallibilis. Ex his deduco.

91. Corollaria. 1mò. Non valet Baptismus sub hac forma: *Baptizo te in nomine Dei unius, & trini; in nomine Deitatis, Trinitatis.*

Forma dubia. 2. Nec sub hac: *Baptizo te in nomine JESU.* Quando in Actis Apostolorum dicuntur aliqui baptizati in nomine JESU, intelligitur de Baptismo à JESU instituto. Item nec sub hac: *In nominibus Patris &c.* quia non exprimitur unitas naturæ. Item probabiliùs nec sub hac: *Baptizo te in nomine Genitoris, & Geniti, & spirati*; quia persona Filii, & Spiritûs sancti significatur adjectivè.

3. Dubius est Baptismus sub hac forma: *Baptizo te in virtute, vel authoritate Patris, & Filii &c.* quia tò *in nomine* significat non tantùm virtutem, potestatem, & authoritatem, sed etiam invocationem, & professionem SS. Trinitatis. Item sub hac: *Baptizo te in nomine Patris, in nomino Filii, in nomine Spiritûs sancti*: est enim forma æquivoca, cujus determinatio pendet ab intentione loquentis; Unde valere potest, si intendatur tantùm singularitas; sicut valere potest sub hac: *Baptizo te in nomine Dei Patris, & Dei Filii, & Dei Spiritûs Sancti.* Item dubius est sub hac: *Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, & B. Virginis*: Si enim ministrans intendat conferre similiter Baptismum in nomine B. V. Baptismus erit nullus; si autem intendat tantùm eam invocare, valebit.

4. Quamvis omittere: *Amen*, nec obsit valori; nec per se peccatum sit, cùm non sit pars formæ, utpote à Christo omissum, & in qui-

buídam ritualibus non expressum : omittere tamen tò *Ego* in quibusdam linguis invalidat Baptismum ; quia non manet sensus à Christo intentus : ùt si omittatur in lingua germanica, & gallica.

5. Si omittatur utraque conjunctio, *Et* ; Baptismus dubius est : utì si dicatur : *Baptizo te in nomine Patris, & Filii, Spiritûs Sancti* ; quia non videtur satis distingui Spiritus Sanctus à Filio, qui & Sanctus, & Spiritus est. Si autem omittatur particula & tantùm inter Patrem & Filium dicendo : *Baptizo te in nomine Patris, Filii, & Spiritûs Sancti*, valet Baptismus ; quia adhuc satis intelligitur, Patrem non esse Filium. Si omittatur particula *in* ; iterum Baptismus dubius est.

QUÆSTIO V.

An, & quomodo Baptismus sit necessarius ad salutem ?

Resp. 1. Extra Martyrium Baptismus est infantibus, in re susceptus, necessarius necessitate medii ; adultis verò pro omni casu est necessarius necessitate medii, in re, vel voto susceptus. Est de fide ex illo Joannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest intrare in regnum Dei* : quem locum intelligendum esse de Baptismo, definit *Trid. Sess. 7. de Baptismo Can. 5.* & generaliter etiam de Infantibus definivit *Innocentius III. in Cap. maj. de Baptismo.* Quòd infantibus sit necessarius in re, constat ; quia voti, seu desiderii, in actu charitatis inclusi, sunt incapaces. Quòd autem adultis sufficiat in voto 92. *Necessitate medii.*

 susce-

susceptus, dum illum in re habere non possunt, etiam certum est; quia actus charitatis perfectæ vim habet justificandi. Dicitur autem talis actus votum Baptismi, quatenus includit voluntatem saltem implicitam servandi omnia præcepta, adeoque & præceptum de Baptismo suscipiendo, deque necessariis necessitate medii in re, vel in voto.

93. *Et præcepti.* Resp. 2. Baptismus est adultis, in re susceptus, necessarius etiam necessitate præcepti: seu, ubi agnoscunt Baptismi necessitatem, tenentur curare se instrui, & ubi instructi sunt sufficienter, jure naturali, & divino obligantur sub gravi ad Baptismum, in re cum debita dispositione suscipiendum; tum quia quisque tenetur jure naturæ, & lege charitatis adhibere media necessaria ad salutem; tum quia quisque tenetur ex præcepto Christi ingredi Ecclesiam ejus per Baptismum, & fidem in eum profiteri: hæc autem præcepta per se obligant ad non diu differendam suî observationem: unde etiam infantibus, in lege veteri justificatis per remedium contra originale, postmodum in lege Christi conferri debuit Baptismus. Hæc tamen obligatio incepit priùs post passionem Christi, cujus morte confirmatum est novum testamentum, & vetus abrogatum, juxta Apost. ad Hebr. 9. adeoque tunc priùs accepit Baptismus rationem medii ad salutem necessarii.

94. *Obligatio parentum.* Resp. 3. Parentes tenentur sub gravi peccato curare, ut liberi sui brevi post eorum nativitatem tempore baptizentur; tum quia consuetudo universalis Ecclesiæ, baptizandi infantes brevi post eorum nativitatem tempore, habet vim legis graviter obligantis ob materiæ gravi-

gravitatem : tum quia charitas, & pietas obligat eos, ne exponant suos periculo amittendæ salutis, hinc tenentur attendere Pastores, ne parentes suæ obligationi desint. Quod dico de parentibus, idem dic de aliis, quorum curæ subsunt infantes. Quanto autem tempore differri possit, spectandæ sunt circumstantiæ, & causæ. Ex decretis particularium Diœcesium tenentur non differre ultra triduum, vel quatriduum. Ex justa causa plus concedi potest, si absit mortis periculum, quod rarò omne abest : unde ad mensem differre esset mortale. Vid. N. 112. Quòd quidam, ùt S. Ambrosius, S. Martinus, jam adepti usum rationis per plures annos manserint Catechumeni ; facta sunt particularia, quæ vim legis non tollunt, proque iis speciales potuerunt esse rationes, Suar. D. 25. S. 2.

CAPUT II.

De Ministro Baptismi.

QUÆSTIO I.

Quis validè possit baptizare ?

Resp. Validè in quovis casu baptizare potest 95.
alium quivis homo viator, ratione utens. Est Quili-
definitum in *Concil. Florent*, & *Lateranensi*, bet homo
Cap. firmiter, constatque ex praxi Ecclesiæ, *viator.*
nunquam rebaptizantis â quovis baptizatum cum debita materia, forma, & intentione.

Dixi 1mò. *Validè* ; nam Laicus non potest extra casum necessitatis, suam personam

requirentis, licitè baptizare, nec alius, per se loquendo, præter Pastorem sine ejus licentia.

Dixi 2. *Alium*: nam nemo potest validè baptizare se ipsum; quia inter regenerandum, & regenerantem requiritur distinctio realis; & Christus Ministrum, & subjectum Baptismi apertè distinguit.

QUÆSTIO II.

Quis validè simul, & licitè baptizare possit?

96. *Regulariter solus Sacerdos.* Resp. Validè, & simul licitè regulariter potest solus Sacerdos baptizare eos, quorum animarum curam habet, & is, qui ab eo commissionem habet, vel licentiam expressam, aut saltem prudenter præsumptam. *Ratio est*; quia homo per Baptismum admittitur in Ecclesiam, fitque ejus membrum; admittere autem ad Ecclesiam, pertinet ad Pastorem, qui Ecclesiæ præest; qualis est Papa respectu totius Ecclesiæ; Episcopus respectu suæ tantùm Diœcesis; Parochus solùm respectu suæ parochiæ: unde licèt baptizare non sit actus jurisdictionis quoad valorem Sacramenti, est tamen quoad modum & exercitium licitum ob rationem datam, & dispositionem Ecclesiæ, sic ordinantis in reverentiam Sacramenti.

Dixi 1mò. *Regulariter*: nam si Diaconus promoveretur ad Parochiam nondum Sacerdos, posset licitè baptizare etiam solenniter; quia in eo casu ad eum pertineret regere parochiam, quantùm ordo Diaconatûs permittit, proinde etiam ad eam recipere: ad solenniter autem baptizandum non requiritur Ordo;

do, nisi Diaconatus. unde Episcopus promovendo illum ad Parochiam, videtur id ei commisisse.

Dixi 2. *Et is &c.* nam ex commissione Papæ, Episcopi, Parochi licitè possunt baptizare alii Sacerdotes, imò & per se loquendo, Diaconi. Sacerdos enim in sua ordinatione accipit potestatem in Christi corpus mysticum; illi autem deest subjectio subditorum, quam Minister ordinarius conferre potest. Dein Diacono in sua Ordinatione dicitur: *Diaconum oportet ministrare, baptizare, & prædicare*, non ex officio, ùt patet, cùm subditos non habeat: ergo ex commissione. Potest autem Parochus vices suas committere Sacerdoti pro arbitrio suo, Diacono tamen non nisi ex rationabili causa; præsertim hoc tempore, quo usus ille Diacono committendi officium baptizandi jam dudum exolevit, ùt observat Sotus.

Et hinc dixi: *Per se loquendo*; Causa autem sufficiens erit, si Parochus vel ob infirmitatem, vel ob excommunicationem, aut absentiam, aliudve gravis momenti negotium per se ipsum baptizare non possit; præsertim, si non habeat Sacerdotem, cui vices suas committat. Ex his deduco seqq.

1mò. Peccat Parochus, & quivis alius graviter, qui sine licentiâ, saltem præsumptâ prudenter, baptizat infantem alterius Parochi, & quidem peccato tum sacrilegii, quia indignè administrat; tum injustitiæ, quia usurpat jus, & officium alterius in re gravi. 97. *Corollaria.*

2. Peccant quoque graviter parentes, qui liberos baptizandos offerunt alteri, quàm suo Parocho, sine ejus licentia, saltem tacitâ, vel prudenter præsumptâ; tum quia violant jus sui *Quid, si mulier pariat in aliena parochia?*

sui Parochi; tum quia alteri dant scandalum, inducendo ad id, quod licitè facere non potest. Excipe casum, quo mater iter faciens in aliena Parochia pareret: quamvis enim tunc illa posset infantem ad propriam Parochiam deportare baptizandum, idque, salvo saltem infantis periculo, consultiùs foret, ut ità infans in Ecclesiam admittatur à proprio Pastore, qui pro anima illius Deo redditurus est rationem, ideoque etiam in eo impediri non potest à Parocho loci, in quo mater peperit; eò quòd nec mater, nec proles jurisdictioni illius quoad vim coactivam subsit: non peccaret tamen mater, si prolem Parocho loci, in quo peperit, baptizandum offerret: nec peccaret Parochus prolem sibi oblatam baptizando; quia in hoc casu mater in tantùm gaudet privilegio loci peregrinorum; Peregrini autem possunt sibi eligere locum Baptismi, ubi volunt: in loco tamen electo debet Baptismus conferri à Parocho istius loci. Quæ intentio, & dispositio requiratur in baptizante, dixi N. 16. & N. 25.

QUÆSTIO III.

Quis teneatur baptizare?

95. *In necessitate quilibet.* Resp. 1. In necessitate sub mortali quilibet tenetur baptizare, etiam Pater, & mater propriam prolem; quia lex charitatis obligat, ut etiam cum periculo vitæ, in casu, quo periclitatur salus animæ, succurratur.

Quid, si plures adsint? In hoc tamen casu, si plures adsint, præferri debet, per se loquendo, dignior minùs digno; quia reverentia Sacramenti exigit, ut tracte-

tractetur modo, quo potest, digniore: hinc Christianus præferendus est Judæo, vel Pagano, Catholicus hæretico; inter Catholicos vir mulieri, Clericus Laico; inter Clericos, Sacerdos Diacono, hic Subdiacono, hic in minoribus constituto, & hic Clericali tonsurâ tantùm initiato; denique non excommunicatus excommunicato: estque mortale, si sine justa causa Sacerdos postponatur non Sacerdoti, Catholicus hæretico, Christianus non Christiano, non excommunicatus excommunicato; quia tunc gravis fit irreverentia Sacramento. Inversio ordinis quoad alios non excedit veniale; quia irreverentia non censetur gravis.

Dixi 4. *Per se loquendo*: nam aliquando honestas, & salus proximi aliud exigit: ut, si adesset vir, nesciens modum baptizandi, vel infans, adhuc non plenè egressus de utero, esset baptizandus: tunc enim viro, etiam Sacerdoti, præferenda esset mulier, sciens praxin baptizandi: quæ & parenti præferenda esset. Cæterùm non possunt validè baptizare duo, quorum unus affundat aquam, & alter pronunciet formam; quia ex voluntate Christi debet physicè abluere, qui formam pronuntiat. Si tamen singuli affunderent aquam, & formam proferrent simul v. g. dicendo: nos te baptizamus; juxtà communiorem valeret Baptismus, essetque moraliter tantùm unus; sicut valet consecratio, estque moraliter una, dum Neo-ordinati Sacerdotes, cùm Episcopo celebrantes, eodem tempore absolvunt formam consecrationis.

Resp. 2. Cùm Parochus ex justitia, & gravissimè obligetur ad procuranda suis Parochianis Sacramenta necessaria ad salutem; debet omni, 99. *Obligatio Parochi.*

omni, quo potest modo, curare, ut per se, vel per alium, aut aliam suis conferatur Baptismus.

100. *Obstetrix instruenda.* Unde imò tenetur sub mortali docere obstetrices, & examinare, an sciant modum baptizandi; teneanturque hæ eum discere, ne exponant se periculo non satisfaciendi suo officio, & infantem etiam non obtinendi salutem. Expedit autem, ut formam doceantur in lingua patria, ut sic faciliùs, & securiùs procedant: licèt enim Sacerdos peccet saltem venialiter, non baptizando linguâ latinâ; excusantur tamen obstetrices ob periculum errandi.

101. *In periculo etiam Missa interrumpenda.* 2. Si vocetur ad infantem moribundum, omnibus relictis, tenetur accurrere. Quodsi staret ad Altare, nec alius posset succurrere infanti, gnarus baptizandi, aut si longiùs abesset; etiam depositis sacris vestibus interrumpat sacrificium, etsi ultra consecrationem productum & peracto Baptismo illud perficiat: charitatis enim, & justitiæ obligatio hic prævalet obligationi religionis.

102. *Quando in domo baptizandum?* 3. Si infans, jam editus in lucem, putetur non posse portari ad templum sine periculo mortis, baptizetur domi, & postea Ceremoniæ suppleantur, si tempus non patiatur eas adhiberi. Si periculum aliter non ferat, unâ affusione aquæ Baptismum absolvat, eâque moderatâ, ne noceat.

103. *Quando tantùm probabiliter Baptis-* 4. Si Baptismum, certò validum, adhibere non possit; adhibeat probabiliter validum. Hinc, si infans necdum plenè sit in lucem editus, jubeat, ut obstetrix partem in lucem editam abluat; si illa rudis est, Parochus intentionem, & verba formæ suggerat, & ipsa præeun-

euntem sequatur. Si adhuc nulla pars infantis appareat, & is timeatur ante nativitatem moriturus, obstetrix, si possit sine periculo occidendi infantem, aut matrem, faciat, ut appareat; si non possit, tentetur, an possit in utero aquâ aspergi, & baptizari.

mus conferendus?

104. *Quid, si mater moriatur ante partum?*

Demùm, si contingat matrem mori, puteturque infans adhuc vivere, secetur mater, & infans eximatur: baptizetur absolutè, si baptizatus nullo modo est; aut rebaptizetur sub conditione, si probabiliter tantùm est baptizatus. Interim, dum mater moritur, jubeat aliquid ori ejus ingeri, quo os apertum retineatur, ne infans, si per os matris respiret, ùt aliqui putant, suffocetur.

QUÆSTIO IV.

An Catholicis, inter Hæreticos habitantibus, liceat suos infantes deferre ad prædicantem hæreticum, ut baptizentur, si aliàs gravissimè puniantur parentes: ùt, si 100. Imperialium mulctam debeant pendere, vel Catholicus baptizans ejiciatur ex patria?

105. *Ex gravissima causa licet permittere, non petere.*

Ratio dubitandi est 1mò. Quia peterent à prædicante, quod ipse licitè facere non potest, adeoque cooperarentur ejus peccato. 2. Quia petere Baptismum, cujus collatio est actus religionis, à prædicante, est tacitè profiteri illum esse Ministrum legitimum talis ritûs, & Sacramenti ordinariè conferendi; hoc autem est intrinsecè malum, & nullo casu licitum. 3. Nullus à tali potest licitè ullo casu

su

su petere, aut admittere cœnam Lutheranam, vel Calvinisticam; ergo à pari. 4. Juxta declarationem Clementis VIII. non licet extra necessitatem extremam Sacramenta à Schismaticis recipere; quia non licet cum illis communicare in sacris ritibus; ergo multò minùs cum hæretico. Ob has rationes Less. Verj. Pignatelli apud La Croix L. 6281. tenent peccare parentes, si positivè petant suos à prædicante baptizari; putatque La Croix, hanc sententiam absolutè tenendam esse tanquam veram.

Nihilominus, si mali valde gravis certò subeundi metu tantùm deferant, & tentatis omnibus declinare non possint, videntur posse excusari, si protestentur se non agnoscere prædicantem pro Ministro, cui baptizare ex officio conveniat, vel dicant, Ministrum ex officio esse solum Sacerdotem Catholicum, se permittere tantùm, ut conferatur Baptismus. Sic enim 1mò non cooperantur ejus peccato, sed id permittunt, quod & omittere potest prædicans. 2. Sic non petunt Baptismum, sed solùm permittunt conferri; nec agnoscunt eum ùt Ministrum Ecclesiæ, sed ad summum tanquam potentem validè baptizare 3. Non erit par ratio cum Cœna; quia certum est, prædicantem non esse validum Ministrum Eucharistiæ; adeoque res sacra agnosceretur ubi non est. Et hinc omnes judicarent meritò, talem directè communicare in illa ceremonia cum Hæreticis. 4. Non obstabit declaratio Clementis VIII. quia, quamvis non liceat etiam in Germania communicare cum Hæreticis in Sacris, quando hoc est profiteri eorum religionem, aut agere contra externam fidei pro-

professionem; attamen, quando simile nihil occurrit, licet quandoque interesse quibusdam Sacris. Sic permitti potest hæreticis, ut intersint nostris Concionibus, & etiam Missæ Sacrificio, & Catholicus eorum Concioni interesse potest ad eos confutandos, quando scitur, quòd non consentiendi causa intersit. Tales autem parentes in iis circumstantiis non agunt contra externam fidei professionem, nec petunt à prædicante ceremonias; sed eas permittunt, cùmque iis conferre Baptismum pro tali necessitate, in quantum ille potest. Certè, si adultus in necessitate à prædicante, ubi alius haberi non posset, vel à gentili peteret sibi conferri Baptismum, agnoscendo eum tantùm Ministrum sufficientem, contra fidem non ageret. Quodsi parentes prohibeantur protestari signatè, vel dicere, se edicto Principis cogi, ut Ministro legitimo suos baptizandos tradant, major erit difficultas; excusari tamen fortassis poterunt; quia circumstantiæ coactionis, & aliæ loquuntur simul, indicantque, non requiri prædicantem, sed permitti illi conferre Baptismum, agnoscique ùt potentem validè baptizare: unde nec ullus seu Catholicus, seu Acatholicus aliter judicabit. Sed hæc iis, ad quos pertinet, ex circumstantiis loci ponderanda relinquo.

Dixi tamen: *Et tentatis omnibus:* nam regulariter tenentur sub mortali impedire, ne infantes sui deferantur baptizandi ad Ministrum talem Laicum indignum; aliàs censentur ejus peccato cooperari, & eum agnoscere velut Ministrum ordinarium Baptismi.

CAPUT III.

De Subjecto Sacramenti Baptismi.

QUÆSTIO I.

Quinam validè baptizari possint?

Resp. Validè baptizari potest, invitis etiam
106. parentibus, omnis homo viator, tam infans,
Omnis homo viator. quàm adultus. *Ratio est*; quia omnis talis est capax regni cœlorum; ergo & medii ad id necessarii, ad quod etiam jus habet. Neque Christus voluit Baptismi valorem dependere à voluntate parentum, constatque ex praxi Ecclesiæ. Dein sine voluntate parentum possunt omnia essentialia Baptismi poni; ergo. Nec obstat, quòd quis fortè ante per actum perfectæ charitatis fuerit justificatus: nam adhuc manet vera forma Baptismi: significat enim conferri gratiam de se remissivam peccati, si adsit. Unde & Bma Virgo baptizari potuit, & creditur baptizata, ut esset capax Eucharistiæ &c. adscribereturque Ecclesiæ Christi, uti dixi sub N. 61. Quæ intentio, & dispositio requiratur in baptizando, dixi N. 62. 63. & sequentibus.

QUÆSTIO II.

An fœtus abortivos, seu præmaturos, monstraque oporteat baptizare.

107. *Vide, an motum notes.* Resp. 1. Omnes fœtus humani abortivi mulierum, etiam imperfectè figurati, si per mo-

mortuum dent aliquod signum vitæ, possunt, & debent, sub conditione saltem, baptizari; quia incertum est, quo die animentur animâ rationali. Si signum fœtus non det, nec tamen sit certum esse mortuum, sub conditione baptizandus est; quia licèt vita non appareat, potest tamen ad breve tempus vivere.

2. Si monstrum natum sit ex mare humano, & fœminâ bestiâ, baptizari debet sub conditione; quia probabiliter est homo: incertum enim est, an semen mulieris ad fœtum activè concurrat: quodsi non concurrat activè, poterit matrix bestiæ ità fovere semen virile humanum, ut inde nascatur proles humana: qualis probabiliter erit, si caput, & pectus sit humanum; quia organum, & sedes animæ est caput, deinde cor. Si verò procreatum sit ex fœmina humana, & mare bestia, baptizandum non erit; quia non est homo: solum enim fœminæ semen juxta omnes ad generationem naturalem hominis non sufficit. Si verò dubium sit, an procreatum sit ex homine, vel bestiâ mare, sub conditione baptizandum erit: *Si es homo, ego te &c.* 2. *An monstrũ sit homo*

3. Si dubium sit, an monstrum sit homo unus, an duo, v. g. quia habet duo capita, duo pectora; tum primus, de quo minùs dubitatur, baptizandus absolutè, alter sub conditione. Si verò ex diversitate effectuum; qui ex membris relucent multiplicati, constet esse duos homines, quilibet absolutè seorsim baptizari debet sub forma ordinaria. Si nullius indicia prævaleant; uni Baptismus, absolutè, dein conditionatè alteri conferendus est, v. g. *Si es distinctus homo, ego te, &c.* In his dubiis securissimum est, dum abest periculum

mortis, exspectare, donec certiùs cognoscatur, sitne homo, an brutum; homo unus, an duplex; & Medici, si possint, consulantur.

Denique si ex mare, & fœmina homine nascatur monstrum, quod referat formam bruti, v. g. canem capite, & pectore; nisi alia sint indicia, baptizandum non erit; quia vitio naturæ seminis materia corrupta fuit, & concurrentibus aliis causis extrinsecis tertium quid mixtum constitutum fuit, quod matrix excepit, & fovit, & in tale monstrum nutrivit. Quòd infans, adhuc totus utero clausus, validè baptizari possit, si aqua per instrumentum infundatur, cujus praxin docet Gobat Tract. 2. N. 57. & Schildere Tr. 6. N. 9. dixi suprà.

QUÆSTIO III.

An plures simul possint validè baptizari ab uno?

108. *Affirmatur.* Resp. Possunt simul ab uno validè baptizari, si enim forma in plurali, v. g. *ego vos baptizo &c.* & ablutio debitâ intentione, & modo adhibeatur, dicentur verè abluti. Talis modus baptizandi, etsi extra necessitatem sit illicitus, utpote contra consuetudinem Ecclesiæ, licet tamen in necessitate: utì, si plures Catechumeni essent in præsenti periculo mortis, nec tempus pateretur singulos seorsim baptizari, vel si essent tot baptizandi, ut sine gravi difficultate seorsim singulis Baptismus conferri non posset. Hâc praxi multi putant usos fuisse Apostolos, quando Act. 2. semel tria millia, & non multò post iterum quinque millia uno die baptizârunt.


QUÆS-

QUÆSTIO IV.

An infantes Hæreticorum parentum, his invitis, licitè possint baptizari?

Resp. Affirmativè, saltem si sine perturbatione publicæ pacis fieri possit; quia tales parentes per Baptismum susceptum Ecclesiæ sunt subjecti, adeoque cogi possunt ad servandum præceptum, Ecclesiæ consuetudine introductum, de infantibus baptizandis. Aliter loquendum de infantibus, ex Anabaptistis, non baptizatis usque ad annum 30mum; quia hi antè non subsunt Ecclesiæ. 109. *Possunt per se loquendo.*

Dixi: *Saltem si &c.* nam tales infantes abstrahendi essent à parentibus, ne in hæresi, & odio veræ fidei educarentur; per Concordata autem Germaniæ sine perturbatione pacis abstrahi non possunt. Hinc Ecclesia illo suo jure uti non vult. Si tamen abstraheret, non faceret injuriam parentibus; quia, cùm in Spiritualibus subsint Ecclesiæ, ex hujus voluntate tenentur liberos instruere in vera Religione: quod si detrectent, infantes in pœnam sine injuria possent abstrahi.



QUÆSTIO V.

An infantes Infidelium, qui nullo modo Ecclesiæ, aut Principibus Christianis, etiam quoad temporalia, subsunt, invitis parentibus, licitè baptizari possint?


110. *Negativè.* Resp. Per se loquendo, non possunt. Est communis. Et *Ratio est*: tum quia Ecclesia nec solet ejusmodi sic baptizare, nec factum approbare; idque patet ex ejus praxi, quòd talem potestatem in se non agnoscat; tum quia sic baptizati nec relinqui apud parentes Infideles licitè possunt, nec abstrahi. *Non primum*: quia sic educarentur in eorum secta v. g. in Judaismo, Paganismo, Turcismo; quod cederet in injuriam Baptismi, & probrum Religionis Christianæ, daretque parentibus ansam majoris in Christum odii, eumque blasphemandi, Baptismum irridendi, & superstitionibus profanandi, multoque graviùs peccandi, quàm aliàs peccaturi fuissent; cùm scilicet infantes, jam Christo consecratos, dæmoni, vel superstitionibus immolarent, quos aliàs sine nova formali injuria in dæmonis potestate fuissent relicturi. *Non secundum*; quia parentes habent jus, à Deo & natura illis concessum, liberos tanquam rem suam apud se retinendi, eos instituendi, regendi, donec sibi ipsi per rationem prospicere possint: quo jure sine gravi injuria per violentam liberorum abstractionem privari non possunt, cùm Ecclesiæ non subsint. Dein verteretur id in odium Chri-

Christianæ Religionis, & perturbationem humanæ Reip. Et hinc Ecclesia, talem sibi potestatem concessam esse, nunquam agnovit.

Dixi 1. *Infantes*; quia ratione utentes parentibus, negantibus necessaria ad salutem, non subsunt; sed in iis sunt sui juris. Unde, si petant Baptismum, possunt, invitis parentibus licitè baptizari.

Dixi 2. *Parentibus invitis*: nam, si unus tantùm sit invitus, standum est pro alio in favorem Baptismi, Religionis, & salutis prolis; modò infans sit educandus in vera Religione. Ità Suar. Layman L. 5. T. 2. Cap. 6. N. 10. aliique Theologi passim, & definitum est à Concil. Toletano IV. Cap. 61. Idem esset, si patre mortuo avus consentiret; quia tunc filius juxta jus civile recedit in patriam potestatem avi. Idem à fortiori dicendum, si unus parens esset Christianus. Imò tunc licitè baptizaretur infans, utroque invitò, conformiter dicendis N. 634. sub finem.

Dixi 3. *Per se loquendo*: quia in casu mortis certò imminentis potest licitè, imò debet baptizari, etiam invitis parentibus; nam tum præceptum charitatis urget, nec abstrahitur à potestate parentum per Baptismum, sed per ipsum mortis periculum, nec Baptismus exponitur profanationi. Hoc quibusdam videtur posse fieri, etsi non sit omnino conclamatum de omni spe vitæ.



QUÆSTIO VI.

An saltem infantes parentum Infidelium, Principibus Christianis solùm politicè subjectorum, ipsis invitis, licitè possint baptizari, quales sunt Judæi inter Christianos habitantes?

111. *Sententia affirmativa probabilis.* Resp. Affirmant cum Scoto Scotistæ. 1. Quia Christus Matthæi ultimo præcepit Apostolis, ut baptizarent omnes gentes; teneri autem non possunt ad illicitum. 2. Parentes, si nolint suis infantibus conferri Baptismum, abutuntur patriâ potestate; ergo à Principe Christiano, cui subsunt, puniri possunt, & cogi, ut sinant infantes suos baptizari, & sibi subtrahi: nam, si parentes vellent suos infantes occidere, aut sacrificare eos idolo, à Principe Christiano posset iis eripi. 3. Recta ratio dictat, suscipiendum esse Baptismum, ubi ejus necessitas est sufficienter proposita; ergo tunc tenentur parentes curare, ut infantibus suis conferatur; ergo & cogi ad id possunt, sicut ad servanda præcepta alia naturæ.

Negant, per se loquendo, cum S. Thoma Thomistæ & alii communiùs, & magìs cohærenter. *Ratio est* 1. Quia parentes liberorum suorum dominium retinent, nisi sint mancipia, adeoque inviti illis privari non possunt; deberent autem iis privari ob incommoda, in responsione præcedente relata. 2. Quia ipsi parentes non possunt directè cogi ad fidem suscipiendam, & Baptismum; ergo nec cogi directè possunt, ut offerant liberos suos bapti-

ptizandos. *Ratio* utriusque *est*; quia potestas Principis sæcularis non extendit se ad supernaturalia, qualis est susceptio Baptismi & Fidei; sed tantùm ad ea, quæ spectant ad Justitiam & honestatem, naturali lumine cognitam, bonumque naturale Reipublicæ. Et quamvis potestas Ecclesiæ & Pastorum versetur circa supernaturalia; exerceri tamen in invitos non potest, nisi sint subditi. Secùs tamen dicendum, si parentes essent vera Principis Christiani mancipia, justeque servituti strictæ subjecti: tunc enim jus in proles spectaret ad dominum Christianum, qui licitè eas posset separare à parentibus, & à subjectione liberare, imò & vendere: proinde posset quoque curare, ut, invitis etiam parentibus, baptizarentur. Hinc, quando Princeps Christianus v. g. Imperator contra Turcas justum bellum gerit, infantes in eo capti licitè baptizantur, invitis parentibus: nam sicut licitè potest tales spoliare aliis rebus, ità & liberis. Non tenetur tamen tales curare baptizari, nisi eos velit retinere: licèt enim teneatur eorum curam gerere, quamdiu retinet eos sub suo dominio; potest tamen eorum dominium & curam abdicare: imò, si, antequam baptizentur, parentes justum pretium pro redemptione offerant, videntur esse restituendi, ne jus gentium de captivis redimendis, ab omnibus receptum, violetur, Infidelesque occasionem nanciscantur non restituendi captivos Christianos, sed cogendi ad illicita, & duriùs tractandi.

Sententia D. Thomæ videtur probabilior. 112. *Negativa probabilior.*
Nec obstat 1mum Scotistarum argumentum: nam Christus ibi loquitur de adultis, cùm jubeat baptizandos primùm doceri. Nec 2dum;

nam Consequentia non tenet : licèt enim abutantur patriâ potestate, spectando præcisè supernaturalia ; in his tamen non subsunt Principi Christiano sæculari, qui potest corrigere eorum errores contra naturaliter cognita, ùt sunt superstitiones, cultus idolorum, occisio liberorum &c. Nec obstat 3tium : nam recta ratio, inadæquatè supernaturalis, id dictat ; etsi enim tale dictamen sit ex parte principii naturale ; est tamen supernaturale ex parte objecti & finis, quò potestas sæcularis se non extendit. Nec obstat denique, quòd infantes Infidelium parentibus mortuis possint, si Principi Christiano subsint politicè, invitis tutoribus baptizari ; quia tutoris tum nuncupativi, seu nominati à patre, tum dativi, seu à Republica constituti potestas est à Jure civili, in quo Princeps dispensare potest. *Ex his deduco*

113. *Corollaria.* 1. Si parentes Catholici ad Hæreticos transfugiant, possunt, iis invitis, eorum liberi à Pastore Catholico retineri, quia huic incumbit cura animarum.

2. Si puer petat Baptismum contra voluntatem parentum, & dubium sit de pleno usu rationis, videaturque, nunc satis consultum ejus constantiæ ; periculum autem adsit, ne postea ejus parentes sint impedituri ; potest statim baptizari : quia, quando duo præcepta concurrunt opposita, per se loquendo, servandum est majus ; præceptum autem de Baptismo, ab adultis suscipiendo, majus est, quàm de non agendo contra jus parentum, quod pro hoc casu nunquam fuit in possessione, cùm periclitetur salus animæ, & innocenti potiùs favendum sit, quàm reo. Hinc Layman dicit, id verum esse, licèt puer necdum sit egressus septennium. Vide eundem hic N. 103.

Quid, si duo præcepta concurrant?

3. Si

3. Si parentes Infideles petant, infantem baptizari, ut à morbo liberetur; non potest baptizari, nisi velint eum tradere Catholicè educandum. Si tamen Hæreticus peteret suum infantem à Sacerdote Catholico baptizari, in Germania id Sacerdos licitè faceret; quia causa Baptismi bene ageretur: sic enim certiùs confertur validè, & puer, audiens se Catholicè baptizatum, invitatur, & allicitur ad veram Religionem, estque periculum perversionis ex eo valde remotum, cùm dimidia pars infantum moriatur, priusquam ratione utantur, aut fiant hæretici formales, & absque eo baptizarentur ab alio: unde nec formaliter cooperatur ad Baptismi dehonorationem, quam negando Baptismum non impediret. Imò honorat Baptismum, impediendo, ne conferatur ab indigno, & invitando puerum ad Catholicam Religionem. Aliud est, si Gentilis peteret baptizari suum infantem, & velit eum educare in sua secta: negando enim impediret Sacerdos dehonorationem. Si mater conversa peteret infantem sibi tradi, marito repugnante, matri obsequendum, & tradendus infans esset. Filii baptizati inquit Conc. Tolet. 4. C. 59. patrum infidelium potestate, & consortio liberantur, ne eorum erroribus involvantur.

QUÆSTIO VII.

Quinam possint, & debeant rebaptizari?

114. *Quando est prudens dubium de valore.*

Resp. Possunt, & debent rebaptizari sub conditione, de quibus prudens est dubium, an baptizati reipsâ sint, aut, an baptizati sint validè.

dè. Constat ex dictis N. 59. Est autem hîc prudens dubium, quod tollit certitudinem moralem, ità, ut vir prudens, spectatis circumstantiis, non possit ferre absolutum, firmum & moraliter certum judicium, quòd validè collatus sit Baptismus; estque perinde, an sit dubium positivum; quia scilicet sunt rationes utrimque probabiles; sive negativum; quia nempe non adsunt indicia ad moraliter certò judicandum, Baptismum esse validè collatum; quia utroque casu exponitur homo periculo æternæ damnationis, & omnia Sacramenta reliqua invalidè & irreverenter suscipiendi.

115. *Corollaria. Rebaptizandi expositi infantes* Hinc 1. Infantes expositi, etiam cum scheda testante, Baptismum esse collatum, sub conditione regulariter sunt rebaptizandi; quia hic Baptismus ordinariè confertur à matre, quæ fortè nunquam vidit baptizari, nec didicit, nec præ pudore instrui voluit, metuens tamen, ne proles fortè moreretur, baptizavit, ùt scivit, idque fortè magna cum perturbatione, & in tenebris, ne videretur, ubi præ angustia nescivit, quid faceret. Deinde potuit infans esse expositus à mendace Judæo, execrante Baptismum. Quare non est moraliter certum, esse baptizatum.

116. *Item baptizati à muliere obstetrice,* 2. Si infans baptizatus fuit ab obstetrice, omnia diligenter examinanda sunt; ac primò quidem, quam formam, & quam materiam adhibuerit? An ad abluendum sufficientem, quâ intentione processerit? Deinde, quam corporis partem abluerit? An formam simul, dum aquam affundebat, protulerit? Item etiam exquiratur ab aliis, an perturbata, vel vigiliis defatigata, gravata somno, aut liberaliùs pota baptizaverit? Item, an bonæ famæ, aut suspectæ sit vitæ; Si, omnibus diligenter expensis,

sis, sit moraliter certum, omnia ritè esse peracta, Baptismus quidem repetendus non esset; sed quia mulier est animal verecundum, & superbum, erroremque suum ægrè fatetur, exstantque non pauca exempla, quorum aliqua refert Gobat in Alphabeto N. 146. 164. 178. 179. 192. 218. 680. 682. mulieres baptizâsse in nomine diaboli, aliosque errores substantiales commisisse; hinc diversarum Diœcesium Agenda statuunt, ut baptizati pueri ab obstetricibus sub conditione rebaptizentur.

3. Si quis sit v. g. convertendus ad Fidem, ab Hæretico baptizatus, omnia iterum sunt diligenter examinanda: ac 1. An in loco Baptismi collati adhibeatur aqua elementaris, & quæ forma? 2. An, qui formam pronunciat, ipse affundat aquam? 3. An putent, Baptismum esse necessarium ad salutem? 4. An aspergillo ex Cathedra Ministellus baptizet? 5. In quo territorio sit baptizatus? Gobat enim putat, certum esse, quòd in Anglia, ubi longo tempore arbitratu suo vivunt, nullâ habitâ fere ratione Religionis, & in Hollandia, ubi est colluvies omnium sectarum, baptizati ab Hæreticis sint rebaptizandi. Universim in quocunque loco quis natus, aut baptizatus sit, si non sit certitudo moralis de valore Baptismi, hic repetendus est sub conditione. Quodsi quis natus esset inter Anabaptistas, & sui Baptismi non recordaretur, moraliter certum esset, quòd non sit baptizatus: hi enim non baptizant nisi ætate grandiores, & Baptismum petentes. Imò aliqui illorum non baptizant, nisi ingressos annum trigesimum. Lutherani, & Calvinistæ baptizant quidem in-

117. *Quid de baptizatis ab Hæretico?*

infantes in ea ætate, in qua Catholici, & hinc præsumitur, puero, qui eam ætatem superavit, Baptismum esse collatum; sed videndum, quomodo sit collatus.

118. *An peccata confitenda, post dubium Baptismū commissa?*

Quæres. An adultus, qui in dubio de Baptismi valore rebaptizatus est, teneatur confiteri mortalia, in quæ post Baptismum dubium lapsus est? Respondet P. La Croix hìc N. 323. videri probabile, quòd non teneatur; quia, priusquam baptizaretur, certò non tenebatur confiteri peccata antè commissa, sed obligatio sequitur post Baptismum confitendi peccata subsequentia: hic autem dubius est, proinde libertas manet in possessione. Verùm, etsi hoc rectè dici posset, in dubio, an quis sit baptizatus; si tamen dubium sit de Baptismi certò collati valore, oppositum videtur dicendum; quia Baptismus est in possessione, & potiùs validus, quàm invalidus præsumitur: & hinc talis debet, in quibus potest, se gerere, etiam stante dubio, tanquam Christianum: gauderetque, si moreretur ante iteratum Baptismum, Ecclesiasticâ sepulturâ. Non teneretur tamen, quæ confessus est post Baptismum, nunc dubium, iterum confiteri post iteratum sub conditione Baptismum; quia ea sunt remissa vi Sacramenti Pœnitentiæ, si prior Baptismus valuit; si non valuit, remissa sunt per Baptismum validum, postea collatum.



CAPUT

CAPUT IV.

De Effectibus, Patrinis, & Ceremoniis Baptismi.

QUÆSTIO I.

Qui sint effectus Baptismi?

RESp. Sunt sequentes. 1. Ritè dispositis confert ex opere operato gratiam sanctificantem, & virtutes supernaturales, Fidem, Spem, Charitatem &c. 2. Remittit originale, omneque mortale peccatum ipsum antecedens. Est de Fide. Nam *ad Ephes.* 5. dicitur: *Christus mundans Ecclesiam lavacro aquæ in verbo vitæ.* Ad Romanos 6. dicit Apostolus: *Nos per Baptismum justificari à peccato, mori peccato, vivere Deo.* 3. Remittit etiam venialia debitè retractata. Est item de Fide, tum ex Scriptura, tum ex Conciliis, Florentino dicente: Effectum Baptismi esse remissionem omnis culpæ originalis, & actualis: & *Trid. Sess.* 14. *Cap.* 2. *de Pœnitentia*, docente, quòd per Baptismum consequamur plenam, & integram remissionem peccatorum omnium, dummodo non sit obex. 4. Remittit omnem pœnam æternam, & temporalem peccatorum. Est quoque de Fide, *ex Trid. Sess.* 5. *Can.* 5. in quo baptizati dicuntur immaculari ità, ut nihil prorsus eos ab ingressu Cœli remoretur. Ut tamen pœna etiam, veniali respondens, remittatur, debet id esse retractatum: pœna enim non remittitur, nisi remissâ culpâ; hæc autem sine retractatione non re-

119. *Effectus unde-cim.*

remittitur. Dixi : *Remittit pœnam* : nam pœnalitates, ùt sunt rebellio concupiſcentiæ, quæ fomes peccati dicitur ; ſitis, fames, morbi. mors per Baptiſmum non tolluntur. 5. Baptiſmus validè ſuſceptus confert ſuo tempore gratias actuales ſpeciales, ſuo fini reſpondentes, & accommodatas : nimirum, ut homo Chriſtianè vivat, juxta dicta ſub N. 73. 6. Conſtituit hominem membrum Corporis Chriſti myſtici, ſeu Eccleſiæ, cujus caput eſt Chriſtus. 7. Imprimit characterem indelebilem, ſicque homo admittitur in familiam Chriſti, & ſignatur, tanquam pertinens ad ovile ejus. 8. Tribuit capacitatem, & jus ad alia Sacramenta, bonaque reliqua, Eccleſiæ communia. 9. Facit hominem ſubditum Eccleſiæ jurisdictioni ſpirituali, atque ità inducit obligationem ſervandi etiam mandata ejus. 10. Confert jus ſepulturæ ſacræ. 11. Denique Jure Eccleſiaſtico inducit cognationem ſpiritualem inter baptizantem, & baptizatum ; inter baptizantem, & baptizati parentes ; inter baptizatum, & patrinum, ac matrinam ; inter patrinos, & baptizati parentes. *Trid. Seſſ.* 24. *cap.* 2 *de Reform.*

QUÆSTIO II.

An, & quot Patrini in Baptiſmo debeant, aut poſſint adhiberi, & quod illorum officium ?

120. *Unus, & una tantùm.* Reſp. 1. In Baptiſmo ſolenni ſub mortali adhibendus eſt Patrinus, ſeu Suſceptor, isque unicus ; aut matrina, ſeu ſuſceptrix, eaque unica ; vel ad ſummum unus, & una. Habetur ex per-

perpetua praxi Ecclesiæ, vim legis habente à traditione Apostolica, & ex *Trident. Sess.* 24. *cap.* 2. *de Reform.*

Dixi: *In Baptismo solenni*, id est, collato cum ceremoniis Ecclesiæ, saltem præcipuis: ùt sunt terna insufflatio, abjuratio dæmonis, inunctio in formam crucis &c. sive jam in Ecclesia, sive in privata domo fiat. Nam in Baptismo non solenni, in necessitate collatò, opus non est Patrino.

Resp. 2. Officium Patrini est 1. Offerre baptizandum baptizanti. 2. Respondere pro baptizando, si hic nequeat, & hinc dicitur sponsor, fidejussor. 3. Tenere illum, dum baptizatur. 4. Vel levare de fonte. 5. Vel eum suscipere de manu baptizantis. 6. Curare, ut baptizatus, si alii id non præstent, instruatur in rebus Fidei, doctrinâ Christianâ, & vitâ: ad hoc enim se obligat solenni sponsione, & ideo dicitur suscepti pædagogus, patronus, pater spiritualis. 121. *Officiū patrini.*

Ab officio Patrini excluduntur 1mò, carentes usu rationis. 2. Non baptizati, cùm non subsint legibus Ecclesiæ, per quas susceptoris officium inductum est. 3. Excommunicati, & interdicti. 4. Hæretici. 5. Abbates, & Religiosi, nisi aliud alicubi consuetudo obtineat. 6. Pater, & mater, stante Matrimonio, relatè ad propriam prolem. Secùs, si proles esset illegitima, aut uxor in puerperio moreretur. 7. Baptizans, nisi per alium respondeat: juxta Lessium etiam Catholicus, respectu infantis hæretici, à ministello hæretico baptizandi. Juxta Gobat tamen, Layman, La Croix, in Germania non excluditur; modò ministellus non agnoscatur legitimus minister, & 122. *Exclusi ab illo.*

non censeantur approbari ritus hæretici : quæ ordinariè in Germania putantur abesse.

QUÆSTIO III.

Quæ requirantur, ut aliquis reipsâ fiat Patrinus, & contrahat cognationem spiritualem?

Resp. Requiritur 1. Ut sit baptizatus. 2.
123. Ut Baptismus, uti docent probabiliter aliqui, sit solennis; quia Ecclesia pro illo solo ordinavit ceremonias, inter quas est assistentia Patrini. Verùm probabilior est sententia opposita; quia in Baptismo non solenni fit vera regeneratio, in eoque baptizans contrahit cognationem spiritualem, utpote adhuc verè regenerans: ergo cognatio oritur ratione Sacramenti; cùmque jus hic non distinguat, nec nos debemus distinguere. 3. Ut Baptismus sit absolutus, & reipsâ validè conferatur: unde cognatio non contrahitur, dum supplentur ceremoniæ, vel sub conditione Baptismus iteratur; quia non confertur Sacramentum, aut, an conferatur, incertum est. 4. Ut sit designatus à parentibus, aut ab iis, quorum curæ subest baptizandus, aut saltem in horum defectu à Parocho; quia parentes non sunt cogendi, ut contrahant cognationem cum quocunque, cui fortè conjuncti esse nolunt. 5. Ut susceptor habeat intentionem agendi Patrinum, & cum ea infantem suscipiat per se, vel per deputatum. 6. Ut baptizandum teneat, aut physicè saltem mediis vestibus, vel fasciis ità tangat, ut verè dicatur eum suscipere, aut tenere; idque in ipso Baptismo, dum aqua affun-

Requisita, ut contrahatur cognatio spiritualis.

affunditur, aut debet infantem immersum suscipere de manu baptizantis, aut saltem Sacerdoti illum tradere baptizandum, ùt docet Barbosa in *Trid. Sess.* 24. *Cap.* 2. Quare, si tantùm digito tangat, non fit patrinus, nec oritur cognatio spiritualis. Similiter, si obstetrix immediatè suscipiat infantem de manu baptizantis, & deinde tradat Patrinis, non contrahitur cognatio spiritualis ab obstetrice, quia designata non est; nec à Patrinis; quia non suscipiunt de Baptismo, sed de manu obstetricis. Ob eandem causam, si solus Patrinus eum immediatè susciperet, & dein traderet Matrinæ, hæc non contraheret cognationem. *Excipe*, nisi antiqua consuetudo alicubi contrarium obtineat: hæc enim potest & in hac materia habere vim legis, utì satis indicat Alexander III. in Cap. *Super eo. de cognatione spirituali.* 7. Requiritur, ut per se, vel alium suscipiat nomine proprio. Hinc Procurator, nomine principalis suscipiens, non contrahit cognationem spiritualem; contrahit tamen eam principalis, ùt habet communior, & moraliter certa, per consuetudinem, & declarationem Cardinalium firmata, contra Sanch. Idque verum est, etsi principalis nescivisset cognationem contrahi, modò voluerit officium Patrini suscipere; quia cognatio resultat ex actu, exercito per modum Ceremoniæ sacræ cum intentione faciendi, quod alii faciunt. Quodsi Magistratus, vel Communitas per Procuratorem levaret infantem, nullus contraheret cognationem; quia contra mentem Tridentini ea nimis multiplicaretur. Teneretur tamen curare instrui infantem. *Ex his deduco*

114. *Corollaria. Agenda Pastori.* 1. Tenetur Pastor non plures, quàm unum Patrinum, vel unum, & unam admittere ad baptizandum levandum, aliàs in re gravi ageret contra præceptum Ecclesiæ. Hinc, si plures à Parentibus, Tutoribus, aut Curatoribus sint designati, tenetur non admittere, nisi unum, & unam ex designatis. Si non unus, vel una potiùs quàm alii sint designati, designet Pastor: illi enim incumbit providere, ut omnia rectè fiant. Debet autem designatio esse externa, ut constet, quis cognationem contrahat. Si non possit aliquos v. g. personas illustres sine gravi offensa, & indignatione excludere, in principio dissimulet, permittatque, ut tanquam testes Baptismo assistant, postea verò dicat, satis esse, si unus, & una infantem tangant; nec permittat, ut alii eum tangant; aut saltem non eo modo, qui requiritur, & sufficit ad contrahendam cognationem spiritualem; sed designet signo externo unum, vel unam, quibus solis infantem tradat, eosque solos annotet, ùt Patrinos: etsi enim primariò spectet ad parentes designare, ideoque ab iis, qui à parentibus designati sunt, si contra voluntatem Pastoris infantem tangerent, contraheretur cognatio, ad Pastorem tamen pertinet designare, ubi parentes vel omnino non, vel malè designârunt contra Tridentini præscriptum.

115. *Quid, si Hæreticus Patrinus esse vellet?* 2. Si Hæreticus pro Patrino se ingerat, & repelli non possit sine gravi incommodo, Pastor omittat omnia, quæ ad Patrinum pertinent: infantem baptizatum immediatè tradat obstetrici, vel alteri, nec interroget Hæreticum, ut pro infante respondeat. Vel Parochus simul designet Catholicum, qui infantem suscipiat, assistente Hæretico, quasi honoris causâ,

causâ, & solum Catholicum inscribat libro tanquam Patrinum; hæreticum verò ad summùm, ùt testem. Non est autem intrinsecè malum sic admittere Hæreticum. Cæterùm, si sine incommodo fieri possit, meliùs est nullum Patrinum admittere, quàm hæreticum. La Croix hîc N. 373.

QUÆSTIO IV.

Quid circa ceremonias, & ritus Baptismi sit observandum?

Resp. In Baptismo solenni variæ adhibentur ceremoniæ, videndæ in agendis, tum ut consulatur dignitati, æstimationi; & reverentiæ ejus, tum ut conservetur unitas, & uniformitas Ecclesiæ in ejus administratione; & populus fidelis ab aliis discernatur; tum ut mysticè exprimantur varii effectus Baptismi, quos explicat S. Thom. 3. *P. Q.* 71. Bellarmin. *de Baptismo Cap.* 25. Suar. *Disp.* 30. Layman. *Tr.* 2. *Cap.* 8. P. Scouville *in Catechismo de Bapt. à Quæst.* 93. Unde Baptismus solennis est complexùm ex Baptismo, & variis ceremoniis sacris, qualis potest esse, ùt dixi suprà, privatim in domo collatus: licèt enim locus sacer sit inter requisita ad solennitatem, tamen reliqua sunt potiora, à quibus sumitur denominatio. 126. *Solennis Baptismus varias habet ceremonias,*

Resp. 2. Baptismus solennis, per se loquendo, conferendus est sub mortali in Ecclesia, vel loco ad cultum Dei deputato, etsi in eo fons baptismalis non esset: hoc enim Ecclesia præcipit. 127. *Conferendus est per se in Ecclesia.*

Dixi: *Per se loquendo*; nam si infans pe-

 ricli-

ricliteur, & deferri non posse videatur ad Ecclesiam, domi baptizandus est. Dein ex concessione Pontificis liberi Regum, & Principum domi baptizari possunt, quod aliqui extendunt ad filios comitum, & Baronum: sed attendenda est recepta consuetudo, vi cujus, teste Gobat, in quibusdam Diœcesibus permittitur id omnibus nobilibus.

128. *Si in domo conferatur, adhibenda sunt ceremoniæ.* Resp. 3. Quando permissum est baptizare privatim, videntur adhibendæ ceremoniæ; quia absolutè extra necessitatem prohibetur Baptismus sine iis conferri; & Pontifex in uno dispensans, non ideo dispensat in alio: unde si nobilis peteret differri ceremonias in aliud tempus, dum aderunt amici, id ei concedendum non esset.

129. *Grave est, omittere notabilem.* Resp. 4. Mortale est omittere ceremoniam, etiam unam notabilem, v. g. inunctionem Chrismatis: est enim ex fine materia gravis, sicut mixtio aquæ cum vino in Missa. Diaconus tamen baptizans, etiam solenniter, Chrisma adhibere non potest.

130. *Ceremoniæ omissæ supplendæ.* Resp. 5. Si Baptismus, cum ceremoniis collatus, postea deprehendatur invalidus, ceremonias, nisi aliud consuetudo alicubi habeat repetere probabiliter non est necesse; quia etiam separatæ valent. Si autem Baptismus sit ex justa causa collatus sine ceremoniis, hæ postea supplendæ sunt, quod tamen non fit ubique in hæreticis conversis, ne censeatur improbari Baptismus ab hæretico collatus.

131. *Conferendus est in aqua consecrata.* Resp. 6. Baptismus, dum potest, conferri in aqua consecrata debet: quæ si facilè haberi non possit, consecretur formulâ brevi, quæ reperitur in agendis quibusdam.

Resp.

Resp. 7. Si nascatur illegitimus, ubi exstat lex, vel consuetudo, mater interrogata tenetur edicere patrem baptizandi; secùs non tenetur, si sine gravi suo, vel alterius incommodo non possit. 132. *An mater illegitimi teneatur indicare patrem?*



TRACTATUS III.

De Sacramento Confirmationis.

QUÆSTIO I.

Quid sit Confirmatio, ejus materia, & forma?

RESp. 1. Confirmatio est characteristicum novæ legis Sacramentum, quo homo baptizatus roboratur ad fidem firmiter tenendam, & fortiter profitendam. Vel: est Sacramentum characteristicum, à Christo Domino institutum, quo homo baptizatus, per unctionem Chrismatis, in fronte ab Episcopo factam sub certa verborum forma, consequitur augmentum gratiæ sanctificantis, & spirituale robur ad fidem liberè, & fortiter tenendam, & profitendam. Videtur autem hoc Sacramentum institutum in ultima Cœna; quia Fabianus Papa *in Ep. Cap.* 1. ait, suos Antecessores ab Apostolis accepisse, quòd in ultima Cœna Christus docuerit Apostolos conficere Chrisma, quod non adhibetur ex Chri- 133. *Definitio.*

sti institutione, nisi in Confirmatione; licèt Ecclesia illo etiam utatur in Baptismate, in Templorum, & Altarium consecratione.

134. *Materia remota.* Resp. 2. Materia remota Confirmationis est Chrisma, seu unguentum, ab Episcopo benedictum, confectum ex oleo olivarum, & balsamo. Constat ex *Florentino in decreto Eug.* dicente: *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est Chrisma, confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & Balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, ab Episcopo benedicto.* Quibus verbis, cùm Concilium eodem modo loquatur de balsamo, sicut de oleo; probabiliùs balsamum est de essentia materiæ. Sunt tamen, qui id probabiliter negant, contendentes Conc. loqui de materia ex præcepto Ecclesiæ adhibenda; uti intelligitur, dum dicit materiam Eucharistiæ esse vinum, aquâ mixtum: unde infert La Croix N. 376. non peccaturum, qui, ubi non potest haberi Chrisma ex oleo, & balsamo, in articulo mortis confirmaret aliquem solo oleo infirmorum. Sed quidquid sit de hoc, peccaret, qui sic confirmaret extra casum necessitatis, quia exponeret Sacramentum periculo nullitatis. Similiter peccaret, qui habens potestatem à Summo Pontifice confirmandi, adhiberet Chrisma à simplici Sacerdote benedictum; quia tale Chrisma probabiliter non sufficit, & Ecclesia nunquam dedit potestatem confirmandi, nisi per Chrisma ab Episcopo benedictum. Sufficit tamen ad validè, etsi non ad licitè conferendum Sacramentum Chrisma vetus, quo juxta rituale Trevirense uti licet, donec novum habeatur.

135. *Materia proxima.* Resp. 3. Materia proxima Confirmationis est unctio Chrismatis, in fronte confirmandi

facta

facta manu Episcopi in formam Crucis: forma verò essentialis est hæc: *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.* Constat ex *Florent.* Porro inunctio fieri debet immediatè manu Episcopi, & non medio instrumento, & quidem pollice manûs dextræ, etsi validè fieri possit digito manûs sinistræ. *Ratio est;* quia inunctio est impositio manûs. In forma exprimi debet unitas essentiæ divinæ; quia Confirmatio fit ad plenitudinem roboris fidei in Baptismo acceptæ. Item referre debet Crucis signum; quia per Confirmationem baptizatus adscribitur militiæ Christi, cujus vexillum est Crux.

QUÆSTIO II.

Quis sit Minister, & quis Subjectum, quique effectus Confirmationis?

Resp. 1. Minister ordinarius est solus Episcopus. Ità *Trid. Sess. 7. Can. 3. & Florent.* hæc addens: *Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili, & urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem, Chrismate, per Episcopum confecto, hoc administrâsse Confirmationis Sacramentum:* unde simplex Sacerdos ex commissione non quidem Episcopi, sed Summi Pontificis potest validè, & licitè confirmare; imò probabiliter Chrisma conficere: in vita enim S. Sylvestri legitur, quòd instituerit, ut Chrisma à solo Episcopo conficeretur. Vide *Breviarium Romanum ultimâ Decembris.* Episcopus autem potest validè confirmare potestate 136. *Minister.*

ordinariâ, etsi foret hæreticus, etiam excommunicatus, & vitandus; quia Confirmatio non est actus jurisdictionis, sed ordinis. Unde resolves

137. *Corollaria.* 1mò. Validè confirmat Episcopus subditos alienæ Diœcesis; peccat tamen confirmando sine licentia, saltem tacita, proprii Episcopi, quæ adest, dum in sua Diœcesi confirmat, & alii aliunde adveniunt, cupientes confirmari, utì declarat consuetudo. Illicitè tamen confirmaret existens in aliena Diœcesi: prohibetur enim in ea sine speciali licentia exercere Pontificalia, v. g. ordinare, Chrismа conficere, Altaria consecrare.

2. Peccat graviter Episcopus, si ad octo, vel decem annos non circumeat, & confirmet, nisi excuset moralis impossibilitas; quia tenetur ad hoc ex officio, & stipendio: hinc tenetur circumire ad confirmandum suis expensis, nisi longa, & rationabilis consuetudo jus tribuerit illas exigendi.

3 Peccat Episcopus venialiter, si confirmet ipse necdum confirmatus: confirmat tamen validè, modò ipse sit consecratus: & quamvis convenientius sit, ut confirmet in Ecclesia; ex rationabili tamen causa potest licitè confirmare extra illam, etiam à prandio, & non jejunus.

138. *Subjectum.* Resp. 2. Subjectum capax Confirmationis est omnis homo baptizatus, nondum confirmatus; nam Christus, ùt constat ex praxi Ecclesiæ, pro omnibus id instituit, & omnes sunt capaces, per se loquendo, saltem aliquando ejus effectûs. Expedit tamen differre pueris hoc Sacramentum, dum usum rationis habeant; sic enim consulitur reverentiæ, & majori

jori utilitati propter actualem devotionem. Ex rationabili verò causa antè confirmari possunt licitè: ùt, si timeatur longa absentia Episcopi, vel longè distet, & rarò veniat; si infans sit debilis, & in periculo vitæ brevis Confirmari possunt etiam perpetuò amentes: sed hoc pendet à libera voluntate Episcoporum.

Resp. 3. Effectus Confirmationis sunt hi: 1mò. Confert augmentum gratiæ sanctificantis cum jure quodam ad speciales gratias actuales; imò probabiliter aliquando per accidens conferre potest primam gratiam habitualem. 2. Confert suo tempore gratias actuales speciales ad Fidem contra tentationes, & tyrannos tuendam, & publicè profitendam. 3. Imprimit characterem, & ideo iterari non potest. 4. Jure Ecclesiastico inducit cognationem spiritualem, & impedimentum Matrimonii inter easdem personas, inter quas Baptismus. Patrinus etiam debet esse designatus, & tenere confirmandum: Pro quo vide dicta 119. 123. & dicenda 540. Quòd hoc Sacramentum suscipi, per se loquendo, debeat in statu gratiæ, patet ex dictis N. 65. 139. *Effectus*

QUÆSTIO III.

An sit obligatio suscipiendi Confirmationis Sacramentum?

Resp. Per se loquendo, & spectando præcisè objectum, videtur non esse; quia nullum præceptum ad id obligans ostendi potest. Sique aliquando fuit præceptum Ecclesiasticum, quod putat Dicastillo hìc N. 105. colligi ex Conciliis, & dictis SS. PP. id jam, ùt tenet com- 140. *per se est obligatio sub veniali tantùm.*

QUÆSTIO IV.

Quæ sint ceremoniæ Confirmationis?

Resp. Sunt hæ: 1mò debet adesse Patrinus unicus ejusdem sexûs cum confirmando. 142. *Quinque.*
Hic contrahit cognationem spiritualem similem illi, quæ contrahitur in Baptismo, saltem si confirmatus sit: nam secùs probabiliter illam non contrahit. Oppositum tamen etiam probabile est. La Croix hìc N. 400. Debet etiam, per se loquendo, à Patrino in Baptismo esse distinctus; ex rationabili tamen causa potest esse idem. Designatur autem à parentibus, vel Episcopo, si illi desint. 2. Recitantur solennes preces ab Episcopo super caput confirmandi. 3. Frons Chrismate inuncta ligatur fasciâ, ut significetur, gratiam Confirmatione collatam, sollicitè custodiendam esse. Gestatur hæc fascia aliquot diebus pro consuetudine loci, fronte interim illota. Potest etiam statim ex causa tolli, & frons ablui; ipsa autem fascia comburi, vel honestè conservari debet ob contactum Chrismatis, ne veniat ad usus profanos. 4. Episcopus confirmato alapam impingit leviter, ut intelligat, se ad probra, & verbera, pro Christo perferenda, paratum esse debere, & ad hæc perferenda specialem gratiam accipere. 5. Episcopus dat pacem confirmato, ut intelligatur, pacem æternam in cœlo illi esse repositam.

Ex dictis sequitur, à Pastore referenda in librum esse nomina confirmatorum, parentum ejus, & Patrini; tum ut sciatur, inter quos intervenerit cognatio spiritualis, & impedimen-

verè est potus. Nec consistit in solo corpore, & sanguine Christi, sed simul in speciebus: sine his enim non habetur signum sensibile gratiæ. Juxta Suar. Lug. & alios etiam verba consecrationis, moraliter perseverantia, intrinsecè hoc Sacramentum constituunt; quia, his non intellectis, species non deducunt in cognitionem corporis, & sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini. Nec tamen verba dicuntur portari ad infirmum, in Altari prostare; quia non est opus, ut denominatio, conveniens toti, conveniat singulis partibus. Perseverant autem moraliter, quatenus perseverat semper eorum significatio, quamdiu species Sacramentales perseverant. Itaque Eucharistia physicè est corpus, & sanguis Christi, species panis, & vini, unio cum speciebus, probabiliter etiam verba consecrationis. Et quando dicitur Sacramentum Corporis Christi, corpus sumitur intransitivè: ùt si dicam, emi vas vini. Sumptio tamen non est de essentia illius, sed est applicatio tantùm Sacramenti.

Porro licèt tot physicè sint Sacramenta, quot numero species, moraliter tamen est unicum ratione finis, nempe refectionis spiritualis; & hinc qui plures species sumit, unicum dicitur suscipere Sacramentum.

QUÆSTIO II.

Quæ sit materia necessaria, & sufficiens, quâ hoc Sacramentum conficitur?

Resp. 1. Materia remota, sufficiens, & necessaria, est panis triticeus, & vinum de vite, vel in substantia tale. Constat tum ex perpetua 144. *Materia remota.*

tua Ecclesiæ traditione, & praxi; tum ex Concil. *Trid. & Florent.* dicente: *Tertium est Eucharistia Sacramentum, cujus materia est panis triticeus, & vinum de vite.* Et ratio est; quia materia hujus Sacramenti est panis, & vinum simpliciter tale; solus verò panis triticeus est panis simpliciter talis, & vinum de vite simpliciter vinum; alius autem panis (idem est de vino) est tantùm talis cum addito, & in defectu alterius adhibetur.

145. *Corollaria. Materia panis invalida & dubia.*

Hinc 1mò invalidè consecratur panis confectus ex oriza, lente, fabis, milio, avena, hordeo, radicibus herbarum, fructibus arborum, &c. Item ex amydo, amydum enim est quasi flos farinæ, vel quasi lac, ex tritico in aqua diu macerato expressum; quia panis is est substantialiter mutatus, saltem moraliter, cùm nomen panis usualis non retineat, ùt habet S. Th. Suar Lugo, & alii contra Palud. Bonac. &c.

2. Non licet consecrare panem ex siligine confectum; quia etsi sit probabile admodum, siliginem accidentaliter tantùm differre à tritico, & reipsâ esse triticum, utì docet S. *Th. Q.* 74. *A.* 3. *ad* 2. aliique plurimi, eò quòd ex tritico in terra sterili seminato quandoque nascatur siligo, ùt experientia docet, & ex siligine in terris bonis crescat triticum, utì testatur *Arriaga D.* 30. *N.* 3. At hæc ratio non probat certò: nam ex tritico quandoque etiam nascitur avena, vel aliud frumentum vile, ùt testatur Suar. *Disp.* 44. S. 2. Dicast. Aversa. Dein potest res unius speciei propter diversas dispositiones degenerare in rem alterius speciei, etiam melioris ad eum modum, quo aqua

sæpe

ſæpe degenerat in lapidem, ſtannum in argentum.

Nec obſtat authoritas aliter ſentientium; quia non dicunt ſententiam ſuam certam eſſe. Imò teſtantur Arr. & Haun. antiquos per ſiliginem intellexiſſe triticum. Hinc peccaret mortaliter, qui ſciens conſecraret hoſtiam ex ſiligine. Nec excuſaret neceſſitas audiendi Sacrum, dandi viaticum infirmo: quamvis enim liceat materia dubia uti in defectu certæ, quando alioquin periclitaretur anima; non licet tamen ex quacunque cauſa, putatque Suar. cùm Euchariſtiæ ſumptio non ſit neceſſaria neceſſitate medii, vix poſſe occurrere caſum, in quo liceat illud Sacramentum conficere in materia dubia. Quod dico de pane ex ſiligine, idem valet de pane ex ſpelta, vel zea. Licèt enim multis videatur magìs accedere ad triticum, quàm noſtra ſiligo; panis tamen ex ea confectus eſt materia dubia: nam *S. Thom. Q.74. A.4. & Diſt.11. Q.2. ad 2. Caſtrop.* & alii dicunt, eſſe materiam abſolutè ineptam. Platel. & alii vocant dubiam. Unde non juvat, quòd Haun & Gobat dicant, eſſe certò validam, & Illſung vocet indubitatam, teſteturque in Suevia adhiberi.

3. Validè conſecratur panis ex tritico, paucis alterius ſpeciei granis mixto; quia manet adhuc ſimpliciter panis triticeus, parſque minor abſumitur à majore: ſecùs dicendum, ſi pars media, vel major eſſet hordeum; quia non eſſet panis triticeus; ſed partim triticeus, partim hordeaceus, vel ſimpliciter hordeaceus, ſi hordeum prævaleret. An autem parva quantitas non tollens rationem panis uſualis ſimul convertatur in Corpus Chriſti, dubium

bium est. Negat Suar. affirmat Lugo, & alii. Cæterùm in reverentiam Sacramenti curandum est, ut sit triticum quàm purissimum; quanquam vix fiet, quin aliquid præter triticum sit admixtum, putatque Gobat cum aliis, si per errorem aliquid salis esset additum, posse hostiam ex rationabili causa consecrari, etiam extrà casum necessitatis.

Materia calicis invalida.

4. Non potest validè consecrari 1mò succus expressus ex pomis, pyris, cerasis, &c. 2. Agresta, seu omphacium, id est, succus expressus ex uvis immaturis; quia necdum habet naturam vini. 3. Acetum, quia non ampliùs est vinum, sed fit ex vino substantialiter corrupto. 4. Succus intra uvas adhuc contentus, quia in tali statu non habet rationem vini usualis, sed potiùs habet rationem cibi; neque succus ille potest sufficienter demonstrari per pronomen hic: continetur enim in uvis ùt pars in toto, & non ùt in vase. Jam verò quod in toto continetur, non potest sufficienter designari per pronomen hic, vel hoc: nam sicut dici non potest de homine: hoc est anima; ità de uva dicere non possum: hoc est liquor. 5. Sapa, seu defrutum, id est, mustum ad dimidiam, vel tertiam partem decoctum, quia non est amplius potus. 6. Lora, id est, aqua expressis acinis superfusa. 7. Vinum nimis mixtum, vel aromatibus ità conditum, ut nomen vini amiserit. Secùs si alteratio sit exigua, quamvis illicitè consecraretur. 8. Vinum in pane, vel simili materia contentum; quia non habet rationem potûs, & non potest sufficienter designari seorsim à pane.

pane. Sunt tamen, qui probabiliter in hoc contradicunt.

Econtra validè consecrari potest 1mò Mustum, seu vinum recens ex uvis expressum, quia verè vinum est de vite: illicita tamen foret consecratio ob sordes immixtas. Quanquam in necessitate juxta *S. Thom.* 3. *P. Q.* 74. *A.* 5. *ad* 3. licitè consecraretur. An liceat ob devotionem populi uvas maturas in calice exprimere, & succum consecrare, sunt, qui affirmant, sunt &, qui negant. 2 Vinum acescens, modò non desierit esse vinum. 3. Vinum congelatum, sed postea resolutum, modò per gelu non fuerit corruptum. Vinum autem congelatum, & non resolutum est materia dubia. Affirmant enim multi illud esse materiam validam, eò quòd de vase congelato adhuc rectè dicatur esse vas vini. Contradicit tamen Vasquez cum aliis; quia in eo statu non habet rationem potûs. Quare, si in hyeme vinum in calice congeletur, debet resolvi priùs, quàm consecretur. 4. Vinum mixtum ex albo, & rubro, Gallico, & Hispanico; quia quodlibet est verè vinum. 5. Vinum, quod à Deo crearetur, vel si converteretur aqua in vinum; quia foret substantialiter vinum de vite. *Valida.*

Dixi in responsione: *Materia remota*: nam proxima, ex qua Sacramentum constituitur, est Corpus, & Sanguis Christi, & accidentia panis, & vini secundùm dicta; quia illa per verba consecrationis determinātur ad symbolicè significandam, & conferendam gratiam per modum cibi, & potûs. *Materia proxima, ex quâ constituitur*

Resp. 2. Ut panis triticeus sit materia sufficiens Eucharistiæ, debet esse aquâ naturali sub 146. *Qualis*

actus, *debeat*

esse panis triticeus? actus, & igne coctus, uti modò panis coqui consuevit, sive id fiat in furno, sive supra cineres, sive inter calidas ferri laminas; sive vase fictili. *Ratio est;* quia requiritur panis usualis, qualis est solus aqua naturali subactus, & igne coctus: Christus enim talem consecravit, jussitque, ut Apostoli idem facerent. Hinc si farina subigatur lacte, vino, aquâ rosaceâ, aut alio liquore, ab aqua naturali distincto, aut magna quantitas talis liquoris misceatur, non fiet apta materia consecrationis. Secùs tamen, si parva quantitas adderetur, ità, ut pro nihilo haberetur: tunc enim adhuc maneret panis usualis. Porro ex usu, & præcepto Ecclesiæ panis consecrandus debet esse figuræ orbicularis, & integræ; si tamen post oblationem adverteret Sacerdos fracturam hostiæ, licitè consecraret, nisi esset periculum scandali: hoc enim casu adhibenda esset alia, & fracta sumenda post ablutionem La Croix 431.

147. *Latinis azymus, Græcis fermentatus.* Resp. 3. Panis usualis triticeus est materia valide consecrabilis, sive sit azymus, sive fermentatus; in Ecclesia tamen Latina tantùm azymus à Latinis, & in Græcia tantùm fermentatus à Græcis est licitè consecrabilis. Est communis, & certa sententia definita à *Florent.* his verbis: *Definimus, in azymo, sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici, Sacerdotesque in altero Corpus Domini conficere debere: unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ, sive orientalis, sive occidentalis consuetudinem.* Ratio 1mæ partis est; quia uterquè est panis verus; & usualis simpliciter dictus, si aquâ naturali subactus igne coquatur. Pro ratione 2dæ partis est præce-

ptum

ptum Ecclesiæ, & consuetudo vim legis habens. Hinc Sacerdos Græcus veniens in partes Ecclesiæ Latinæ, ubi Græci templum habent, utì Romæ, tenetur in illo celebrare in fermentato; quia hoc ipso, quòd Græci ibi templum stabile habeant, perinde est ad Sacrificium, acsi essent in sua patria. Si verò Græcis non esset ibi templum, & is peregrinus esset, posset celebrare in fermentato, si absit scandalum populi, & in azymo; quia peregrinus potest se accommodare ritui Ecclesiæ, in qua est, & etiam retinere ritum Ecclesiæ propriæ. Si autem in Ecclesia Latina, ubi templum stabile Græcis non est, domicilium figeret, non posset celebrare, nisi in azymo. Idem est; si esset vagus; quia vagus, cùm nullibi domicilium speciale habeat, censetur incola loci, in quo existit. Quod dixi de Sacerdote Græco, applica cum proportione Latino, qui ad Ecclesiam Græcam veniret.

Sed quid, si moribundo viaticum dari non posset, nisi Sacerdos in his partibus consecraret fermentatum? Resp. Id ei non liceret; quia, licet præceptum de sumendo viatico sit divinum, tamen, cùm tantum sit affirmativum, non obligat, nisi decenter observari possit, & in debitis circumstantiis. Neque Eucharistiæ sumptio est ità necessaria, ut ideo tam conveniens, & universalis ritus negligi debeat. Unde id multò minùs licebit, ut populus audiat Missam. Secùs dicendum, si Sacerdos, peractâ utrâque consecratione, adverteret, panem esse corruptum, & non nisi fermentatum habere posset; quia circumstantia illa accidentalis in materia cedere debet integritati Sacrificii.

148. *Origo hujus diversitatis.* *Petes.* Unde orta sit illa diversitas inter Græcos & Latinos? Resp. Ex hæresi Ebionitarum. Hi volebant, cum Evangelio servanda esse legalia veteris testamenti, quorum hæresis ut extingueretur, universalis Ecclesia, quæ à Christi tempore in solo azymo consecraverat, voluit, ut aliquamdiu consecraretur in fermentato, quem morem postea retinuerunt Græci, non verò Latini, qui, extinctis Ebionitis, resumpserunt azymum, præcipiente Alexandro I. uti refert Henno ex Gonet, & Amicus Disp. 16. Sect. 2. Quòd autem Christus verisimiliùs consecrârit azymum, ostendit Platel. hîc, aliique Scholastici.

QUÆSTIO III.

An, & quantum aquæ vino consecrando admisceri debeat?

149. *Miscenda est modica aqua.* Resp. Ex præcepto Ecclesiæ in Missa ante oblationem Calicis aqua modica vino admiscenda est; valeret tamen sine ea consecratio vini. *Prima Pars* constat ex *Trid. Sess.* 22. *Cap.* 7. & *Florent.* *Ratio* congruentiæ est 1. Quia Christus, ùt ait Florent. creditur, aquam vino consecrando miscuisse. 2. Est commemoratio sanguinis, & aquæ, quæ de latere Christi in Cruce fluxerunt. 3. Ut significetur unio Christi, qui per vinum, cum populo, qui per aquam indicatur. 4. Ut significetur unio humanitàtis cum verbo divino, qui fines cùm sint admodum graves, materia præcepti, etsi secundùm se sit levis, gravis constituitur.

Pars secunda constat ex praxi Ecclesiæ, quæ

quæ non repetit consecrationem vini factam, omissâ per oblivionem aquâ. Imò in *Rubricis de defectibus Missæ cap.* 4. *n.* 8. expressè dicitur, non esse ponendam aquam post consecrationem, quando antè omissa est; quia non est de necessitate Sacramenti. Et *Ratio est;* quia sine aqua vinum est verè vinum usuale, quod solum Christus præscripsit tanquam essentiale; neque enim omnia, quæ ipse fecit, præcepit; sed multa Ecclesiæ pro circumstantiis, prout magìs conveniret, reliquit determinanda. Et hinc *Florent.* non dixit, vinum, & aquam esse materiam hujus Sacramenti, sed vinum, cui misceri debeat aqua. Debet autem aqua esse valde modica, tum quia sic meliùs significatur Majestas Christi per vinum, & populi fragilitas per aquam repræsentata; tum quia sic magìs consulitur valori Sacramenti; vinum enim debile potest, magnâ quantitate aquæ affusâ, facilè corrumpi, aut non manere vinum usuale. Sufficit gutta unica. Quòdsi Sacerdos oblitus esset affundere aquam, & illius recordaretur ante consecrationem, adhuc addenda esset, & Calix iterum offerendus, saltem mentaliter: secùs, si consecratio peracta esset; quia præceptum Ecclesiæ ampliùs impleri non potest, & indecens foret sanguini Christi addere aquam: posset autem adhuc impleri, si ante consecrationem recordaretur; quod præceptum, cùm sit de re gravissima, non licet celebrare sine aqua, etsi gravis urgeret causa.



QUÆSTIO IV.

An, & quomodo, ut valeat Consecratio, materia consecrabilis debeat consecranti esse præsens, & determinabilis?

150. *Sit moraliter præsens.* Resp. Ut valeat consecratio, debet materia consecranda consecranti esse moraliter præsens, & ab alia sensibiliter discernibilis, si consecranda sit absolutè. *Ratio 1ma partis est:* tum quia sic habet praxis Ecclesiæ nunquam consecrantis, vel benedicentis res absentes; tum quia consecratio habet rationem Sacrificii, quod requirit hostiam præsentem; tum denique, quia id requirit veritas formæ, quæ continet pronomina demonstrativa *Hic* & *Hoc*: nihil enim verè per sola verba demonstrari potest ad sensum, nisi moraliter præsens.

Ut autem sit moraliter præsens, requiritur 1. Ut consecrans sciat, materiam adesse. 2. Ut materia sensu aliquo possit percipi, vel immediatè in se, vel in alio, ut suo toto, vel proximo continente, aut vase ad illam continendam destinato; videri enim, vel tangi in se necesse non est. Sic hostiæ, quæ latent sub aliis multis, in cumulo sunt sufficienter præsentes; quia per pronomen *Hoc* ad sensum demonstrari possunt sine alio signo. 3. Ut sit demonstrabilis independenter ab alio signo v. g. nutu, aliâve circumstantiâ: nam forma sacramentalis constare debet solis verbis, ut in circumstantiis hîc & nunc sufficienter significent materiam &c. Unde pronomina *Hoc* & *Hic* in hac materia strictiùs accipiuntur, quàm

in

in multis aliis,in quibus signa, & circumstantiæ consignificant : ùt, si dicam : hæc Stella est major illa. Cujus *Ratio est* ; quia forma Eucharistiæ est practica, quando autem dicimus, nos hoc facere, sub hoc aliquid præsens sistere, major propinquitas requiritur : quæ, qualis debeat esse, cùm absolutè non possit definiri, servanda est praxis Ecclesiæ, & materia debet esse ante Sacerdotem, & sub mortali in Altari, & Corporali.

Pars 2da est communior contra aliquos, qui putant, non esse necesse, ut sit externè discernibilis ; sed satis esse, si mente designetur. *Ratio* nostra est ; quia alioquin non potest demonstrari per particulas *Hoc* & *Hic* materia, quæ convertatur, ùt, si hostia non consecrata misceretur consecratis, aut inter hordeaceas aliquæ tantùm essent triticeæ, quæ ab invicem discerni non possent : tam parum enim demonstrari possent convertendæ, quàm, si astans multitudini hominum diceres : Hic est fur, per pronomen *Hic* demonstraretur, quis ille præ aliis esset ; debet autem per pronomina materia ità demonstrari, ut aliis, si adessent, possit innotescere, quæ materia demonstretur. Dixi : *Si consecranda sit absolutè*, quod addidi propter jam dicenda. *Ex dictis colliges sequentia.*

1. Non potest validè consecrari materia, licèt vicina, si sit post tergum celebrantis, vel sub Mappa, aut in Missali, vel post parietem, aut aliud corpus opacum, quod non habeat rationem continentis eam, proximè ad id destinati ; quia tum non est moraliter præsens, & demonstrabilis in se, nec in continente ad id designato. Econtra hostiæ clausæ in Ci- 151. *Corollaria.*

borio, aut pixide validè consecrari possunt; quia sunt moraliter præsentes, & demonstrabiles sensibiliter in suo continente ad id destinato. Sic vinum in vase, vel lagena censetur moraliter præsens, demonstrabile præsentibus vasi.

2. Materia debet esse præsens usque ad finem formæ, tunc enim convertitur, estque sensus, *Hoc*, puta in fine propositionis, *est Corpus meum.*

3. Cavendum, ne particulæ consecratæ relinquantur in Ciborio, dum novæ hostiæ consecrandæ immittuntur, aut ne Sacerdos in Natali Domini ter celebrans, in secundo, vel tertio Sacro pro vino consecrando adhibeat vinum, quo post sumptum Sanguinem purificavit Calicem; facilè enim adhuc aliqua gutta adhæserit Calici, & vino illi inerit, sicque bis eadem materia consecrabitur etiam absolutè.

152. *Quid, si hostiæ non consecratæ miscerentur consecratis?*

Petes. Quid agendum, si una, vel plures hostiæ non consecratæ miscerentur consecratis? Resp. Diversæ sunt opiniones. Platel. & alii putant, non posse consecrari; quia non sunt discernibiles, & demonstrabiles. Alii putant, posse consecrari, & satis esse, si mente designentur non consecratæ. Lugo, Suar. Dicast. tenent, posse consecrari omnes sub conditione, nempe intentione, quâ Sacerdos omnes, & singulas velit consecrare, si non sint consecratæ. Hæc Sententia videtur vera: sicut enim, si pluribus hostiis minoribus esset una, vel altera mixta hordeacea, vel corrupta, & intentio consecrantis, saltem implicita, esset non consecrandi, nisi materiam aptam, hæc esset consecrata; ità in præsenti. Cæterùm consultius est, nisi circumstantiæ aliud exigant, ut hostiæ

hostiæ asserventur, paulatim à Sacerdote, vel Sacerdotibus celebraturis absumendæ,& novæ pro populo consecrentur. Si enim plures non consecratæ essent mixtæ, non possent populo, etiam monito, dari duæ singulis; quia fortè darentur alicui duæ non consecratæ. Aliud fortè esset, si unica non consecrata mixta esset.

QUÆSTIO V.

An, ut Consecratio sit valida, debeat materia determinari per intentionem Sacerdotis?

Resp. Debet determinari in particulari. Est communis. *Ratio est* 1. Quia, ut hostia aliqua consecretur, debet consecrantis intentio in illam ferri; ergo, ut hæc præ illa consecretur, debet in hanc præ illa ferri. 2. Actiones sunt circa singularia; ergo intentio Ministri, quæ est causa practica consecrationis, debet tendere in materiam in singulari determinatam. 3. Forma Eucharistiæ est demonstrativa; ergo ejus veritas requirit, ut intendatur consecratio materiæ determinatæ: res enim indeterminata nequit demonstrari. Non requiritur tamen, ut singulæ hostiæ determinentur quoad numerum; sed sufficit, quòd determinentur in toto objecto, quod proponitur. Nec opus est, ut signo aliquo externo intentio manifestetur. 153. *Debet determinari, saltem in toto.*

Hinc 1. Invalidè consecraret, qui ex 100. hostiis, sibi præsentibus, vellet tantùm 50. consecrare, non determinando illas. At validè consecraret, si vellet omnes consecrare præsentes, etsi putaret esse tantùm 80. aut si duas 154. *Corollaria.*

hostias

hostias majores haberet in manu, putans esse unicam, quia intendit consecrare materiam præsentem, cui intentioni non obstat error speculativus.

2. Si guttæ fortè exteriùs Calici adhæreant, non consecrantur; quia in eas non fertur intentio; uti nec ordinariè, si adhærerent interiùs, ob eandem rationem: Sacerdos enim intendit tantùm consecrare, quod habet se in Calice per modum unius continui. Pro praxi guttæ sunt exactè abstergendæ, sique advertantur aliquæ Calici adhærere, dum jam consecratio facienda, levi Calicis inclinatione jungantur alteri vino, si hoc fieri nequeat, excludantur per intentionem. Cæterùm expedit, ut Sacerdos generalem faciat intentionem non consecrandi, nisi quod se habet in Calice per modum unius continui. Idem servit pro particulis hostiæ, in Corporali fortè jacentibus sine hostiis minoribus, aut etiam cum his. Secùs est de particulis in Ciborio, quæ non facilè perdentur.

3. Potest validè consecrari quæcunque parva, sensu perceptibilis & demonstrabilis materia. Item quæcunque magna, modò tota demonstrari possit: sed servanda est praxis Ecclesiæ, contra quam agere illicitum est.

155. *An hostia minores sint consecrata, dum Sacerdos ad eas non reflectit.*

Petes. Quid ad hunc casum: dum Sacerdos jam est in Altari, Sacristanus affert minores hostias consecrandas, & populo distribuendas: sed Sacerdos, dum hostiam majorem consecrat, de minoribus non cogitat, an hæ censebuntur consecratæ?

Resp. 1. Si Sacerdos non advertit afferri, aut allatas esse hostias minores, non sunt consecratæ;

ſecratæ; quia non intendit conſecrare, quod non cognovit.

2. Si autem advertit poni in Corporali, inienditque conſecrare, ſecundùm communem ſententiam, ſunt conſecratæ; quia ſaltem intentio virtualis perſeverat conſecrandi minores, dum major hoſtia conſecratur.

3. Si advertit, Ciborium poni extra Corporale, intendens conſecrare, poſtea autem oblitus eſt ponere in Corporali, dubium eſt, an ſint conſecratæ. Affirmant probabiliter aliqui cum Tann. quia, quamvis noluerit extra Corporale conſecrare, potuit tamen abſolutè velle conſecrare, quamvis oblitus ſit aſſumere in Corporale. Negant eſſe conſecratas probabiliùs Suar. & alii; quia Sacerdos non præſumitur voluiſſe facere, quod ſub mortali non licet. Unde tales hoſtiæ ſub conditione iterum eſſent conſecrandæ.

4. Si antè intendiſſet, hoſtias præſentes conſecrare, non advertens, eſſe poſitas extra Corporale, videntur conſecratæ; quia Sacerdos proceſſit bonâ fide, nec ideo cenſetur, voluiſſe agere contra legem Eccleſiæ, aliàs dicendum eſſet, quòd deficeret intentio in operante, quoties operatur contra legem invincibiliter ignoratam, aut hîc & nunc non cognitam v. g. in baptizante, ordinante, contrahente Matrimonium, deeſſet intentio, quando ſubjectum Sacramenti ſuſcipiendi non haberet diſpoſitionem, requiſitam ad fructum Sacramenti, à conferente Sacramentum invincibiliter ignoratam. Et quamvis in hoc ſit diſcrimen, eò quòd gravia incommoda inde ſequerentur, adeoque ex voluntate Chriſti debeat adeſſe nihilominus intentio; ex intentione autem non

con-

consecrandi hostias extra Corporale positas nullum sequatur incommodum, tamen in multis aliis dicendum foret, deesse intentionem operandi, dum agitur contra legem invincibiliter ignoratam.

5. Si Ciborium sit positum in Corporali, Sacerdosque intenderit consecrare, sed, dum hostiam majorem consecrat, oblivisceretur illud aperire, nec reflectat ad hostias minores, videntur consecratæ; quia, licèt Ecclesia velit aperiri pro majore reverentia, tamen cum irreverentia non videatur magna, possitque hoc frequentius contingere, pro eo casu præceptum non urget, uti, quod est de non consecrando extra Corporale, id quod communis Doctorum declarat. Pro praxi bene faciet Sacerdos, si formet intentionem generalem, nunquam consecrandi hostias extra Corporale positas.

QUÆSTIO VI.

Quæ sit forma Sacramenti Eucharistiæ, & quomodo pronuntianda?

156. *Forma essentialis.* Resp. 1. Forma essentialis, & sufficiens ad validam consecrationem panis, est hæc, vel huic æquivalens: *Hoc est corpus meum.* Ad consecrationem autem vini validam hæc, aut æquivalens: *Hic est Calix Sanguinis mei.* Est communissima contra quosdam antiquiores Thomistas, quibus videtur favere *D. Th.* 3. *p. q.* 78. *a.* 3. & *q.* 60. *a.* 8. & *l.* 6. *in cap.* 11. *1ma ad Cor.* Ubi omnia verba, in forma Calicis ab Ecclesia usurpari solita, esse de substantia formæ, docet. Verùm, ne sibi contradicat 3. *p. q.* 78. *a.* 3. *in O.* dicens, per verba hæc: *Hic*

Hic est Sanguis meus, significari conversionem vini in sanguinem; sicut per hæc: *Hoc est Corpus meum*, significatur conversio panis in Corpus Christi, explicant eum Thomistæ recentiores, quòd voluerit esse partes substantiales integrales. Est item ex parte contra Scotum, qui in 4. *d.* 8. *q.* 2. *n.* 5. docet, verba: *Qui pridie, quàm pateretur*, etsi de essentia formæ non sint, essentialiter tamen requiri ad validam panis consecrationem; eò quòd aliàs Sacerdos non assumeret personam Christi, sed loqueretur in persona propria. At hæc ratio non subsistit: nam verba illa potiùs significant, quòd Forma solùm dicatur recitativè, & historicè, velut à Christo prolata in Cœna, quàm quòd proferatur in persona Christi.

Ratio autem nostra est; tum quia Scriptt. PP. & CC. non assignant alia verba formæ; tum quia verba illa perfectè significant conversionem panis in Corpus, & vini in Sanguinem Christi; verba autem practica, qualia sunt hæ formæ, efficiunt, quòd perfectè significant; tum quia, si reliqua verba in forma Calicis essent essentialia, sola Ecclesia Romana hactenus validè consecrâsset: in nulla enim Liturgia, sive Græcorum, sive Arabum, sive Æthiopum reperiuntur omnia illa verba: consequens autem est absurdum; quia aliàs pars Ecclesiæ, olim maxima, & nunc magna hactenus errâsset in puncto substantiali fidei, nec habuisset integrum, perfectumque Sacrificium, proposuissetque puram creaturam adorandam cultu Latriæ. Qui error redundaret in ipsam Ecclesiam Romanam, quæ talem errorem corrigere neglexisset, cùm eum corrigendi occasionem in variis Conciliis habuerit, nec tamen

men unquam correxerit. Imò in *Florent.* examinati sunt ritus Græcorum; attamen non reprehensi: absurdum autem illud admitti non potest sine gravi injuria totius Ecclesiæ, & ipsius Christi.

Dixi. 1. *Ad validam consecrationem*: nam ad licitam requiritur, ut adhibeantur omnia verba, quæ in Canone Missæ habentur expressa, videlicet: *Qui pridie quàm pateretur, accepit panem &c. dicens &c.* Item: *Simili modo, postquam cœnatum est, accipiens & hunc præclarum Calicem &c. dicens: Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi, & æterni testamenti. Mysterium Fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Sic enim præcipit Ecclesia, & quidem sub mortali; ità ut Vasq. dicat, peccaturum mortaliter, qui vel solam particulam *enim* omitteret voluntariè; alii tamen in hoc non agnoscunt, nisi veniale, si absit contemptus, qui facilè aderit, si voluntariè directè omittatur, præsertim sæpius.

Dixi 2. *Vel æquivalens*; quia formæ Sacramentorum à Christo determinatæ sunt, non quoad sonum materialem verborum, sed quoad significationem; ut autem æquivaleat, requiritur 1. Ut verba singula singulis, pro quibus substituuntur, in significatione respondeant. 2. Ut maneat idem sensus, eademque propositio, ità, ut in utraque propositione sit idem subjectum, idem prædicatum, eademque copula; nam, si alterutrum horum desit, non valet forma.

157. *Corollaria.* Hinc non valet consecratio 1. Si pro *Hoc*, substituatur *illud*, vel *istud*: quia non demonstratur res præsens.

2. Si

2. Si pro *est* substituatur *erit*, vel *sit*; quia variatur sensus: nam sensus hujus propositionis: *Hoc est corpus meum*, est hic: hæc res, vel substantia, quæ in fine hujus propositionis sub his accidentibus continetur, est corpus meum. Idem cum proportione dic de sensu formæ Calicis; quia iterum mutatur sensus.

3. Si dicatur: *Hoc est corpus Christi*; quia hæc verba non proferuntur in persona Christi.

4. Si τὸ *Hic* sumatur adverbialiter; quia significaretur tantùm sanguis esse in vino. E contra valida, sed illicita foret consecratio his verbis facta: *Hic cibus est corpus meum*: *Hic potus est sanguis meus. Hoc est corpus meum, quod de Virgine sumpsi. Hic est sanguis meus infiniti valoris. Hoc est meum Corpus. Hic est meus Sanguis &c.* Ratio horum est; quia manet idem sensus, & mutatio substantialis non fit.

Dubia est hæc forma: *Hæc est caro mea*; quia corpus plùs significat, quàm carnem; constat enim ex ossibus, simul & nervis. Item probabiliùs non valet facta his verbis: *Meum est hoc corpus. Hoc corpus est meum*: quia significatur tantùm illud pertinere ad loquentem, non exprimendo mysterium conversionis. Valet tamen sub hac forma: *Hoc est Sanguis meus. Hic est Corpus meum*, modò tò *Hic* non sumatur adverbialiter; quia est error tantùm grammaticus.

Resp. 2. Verba consecrationis proferenda sunt non solùm recitativè, tanquam prolata à Christo, sed simul assertivè, seu cum intentione significandi hoc, quod efficiunt; quia Sacerdos consecrando sustinet personam Christi, cujus nomine, & in cujus persona dicit: *Hoc* 158. *Verba assertivè proferenda.*

est Corpus meum : unde profert illa tanquam dicta à Christo, & simul affirmando identitatem inter subjectum & prædicatum, quod cùm non adsit, nisi in fine propositionis, utì contingit in propositionibus practicis, nec ante illud adesse asserit. In reliquis Sacramentis Minister agit nomine Christi, sed non in ejus persona, saltem in eo rigore.

CAPUT II.

De Ministro Eucharistiæ.

QUÆSTIO I.

Quis Sacramentum Eucharistiæ conficere, & dispensare possit?

159. *Omnis, & solus sacerdos* Resp. 1. Sacramentum Eucharistiæ conficere potest solus, & omnis Sacerdos. *Ratio 1ma partis est*; quia, cùm potestas conficiendi Eucharistiam sit supernaturalis, solus illam potest conficere, qui accepit eam à Christo, aut ejus Ministris, ad eam dandam ordinatis. Solus autem Sacerdos eam accepit: in hujus enim ordinatione tantùm dicitur: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium*, & solis Apostolis, & eorum in Sacerdotio Successoribus dixit Christus: *Hoc facite in meam commemorationem. Ratio 2da partis est*; quia potestas consecrandi est annexa characteri sacerdotali, qui indelebilis est, manetque in Excommunicatis, Apostatis, suspensis, degradatis, & quomodolibet ab Ecclesia præcisis. Unde omnes illi validè consecrare possunt. Plura de hoc, ubi de Sacrificio.

Inte-

Interim pro uberiore doctrina juvat notare hæc.

1. Consecratio, seu ratio, quâ Christus fit præsens sub speciebus panis, & vini, est vera conversio totius substantiæ panis in Corpus & totius substantiæ vini in Sanguinem Christi, eaque conversio rectè vocatur transubstantiatio. Ità definivit *Trid. sess.* 13. *Can.* 2. Et *Ratio est*; quia fit verus transitus substantiæ panis, & vini sub speciebus in substantiam Corporis, & Sanguinis Christi: desinit enim substantia panis, & vini sub accidentibus ad exigentiam præsentis Corporis Christi, & Sanguinis, quæ speciebus uniuntur: si enim non desineret substantia panis, sed unita maneret hæc propositio: *Hoc est Corpus meum*, non esset vera; quia pronomen: *Hoc*, principalius illam designaret, quamvis simul adesset Corpus Christi; species enim naturaliter indicant panem. 180. *Consecratio est vera conversio.*

2. Formaliter, seu vi verborum sub speciebus panis ponitur tantùm Corpus, & sub speciebus vini tantùm Sanguis Christi. *Ratio est*; quia hoc ponitur formaliter vi verborum, quod verba significant; verba autem tantùm significant Corpus, & Sanguinem, præscindendo ab unione naturali, & hypostatica; per concomitantiam tamen propter connexionem ponitur sub speciebus panis Sanguis, & sub speciebus vini Corpus, & sub utriusque anima Christi, unio hypostatica, personalitas verbi, imò tota Sanctissima Trinitas. An autem Corpus, & Sanguis Christi fiat præsens per novam suî productionem, an per adductionem, vel substitutionem, controvertunt Scholastici utrimque probabiliter.

 3. Chri-

162. *Modus præsentiæ Christi.* 3. Christus in Eucharistia præsens est ad modum rei spiritualis, ità, ut existat sub unaquaque specie totus; & totus sub quibuslibet specierum partibus. Prima pars est de Fide, definita à *Trid. Sess.* 13. *Can.* 3. & colligitur ex verbis Christi *Joan.* 6. dicentis: *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. Qui manducat me, vivet propter me.* 2da pars secundùm multos contra Suar. etiam est de Fide: nam *Trid. loc. cit. Can.* 3. definit quòd sit post divisionem sub qualibet divisionis parte: si autem ità est post divisionem, etiam sic fuit ante divisionem; non enim divisio, sed consecratio eum præsentem ponit, ità, ut partes Corporis inter se penetrentur, & quasi in punctum confluant, & quidem sub singulis specierum partibus, id quod Deo difficile non est. Hinc Christi Corpus in Eucharistia non habet figuram quidem actualem, seu locationem partium extra partem, habet tamen radicalem, sitam in partibus coordinatis, & ordine suo unitis. An autem ea præsentia Christi dicenda sit definitiva, quæstio est de voce: si enim cum Scoto dicatur præsentia definitiva ea, quâ aliquid existit per modum rei spiritualis in loco definito, & determinato, jam erit definitiva; si autem præsentia definitiva dicatur ea, quâ res ità loco definitur, & terminatur, ut extra illam non sit, jam non erit definitiva, sed sacramentalis dici poterit, & sic intelligunt Thomistæ. Cæterùm præsentia sacramentalis propriè dicta consistit in unione Corporis Christi, & Sanguinis cum speciebus; præsentia autem sacramentalis localis sita est in ubicatione.

4. Chri-

4. Christus manet in Eucharistia, quamdiu species non corrumpuntur, quando autem corrumpuntur, seu ad eum corruptionis gradum perveniunt, ut substantia panis, & vini, si adessent, sub iis desinerent, tum etiam Christus desinit esse præsens, desinente nempe ejus conservatione, ubicatione sub speciebus, & harum unione cum corpore, & sanguine ejus. *Ratio est;* quia Corpus, & Sanguis Christi succedunt sub species in locum substantiæ panis, & vini, & cum speciebus constituunt cibum, & potum animæ, sicut substantia panis, & vini constituunt cibum, & potum corporis; hinc quamdiu species designâssent substantiam panis, & vini tanquam cibum, & potum corporis, tamdiu designant Corpus, & Sanguinem Christi tanquam cibum, & potum animæ; jam autem species panis, & vini tamdiu significant; quamdiu non corrumpuntur, desinuntque significare, dum corrumpuntur; ergo & tam diu designant contentum sub se Corpus, & Sanguinem Christi, & desinunt designare, dum corrumpuntur, adeoque & desinit Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi, cujus sacramentalis præsentia consistit in unione cum speciebus, quæ cum his perseverat & desinit. Id quod & patet ex praxi Ecclesiæ adorantis hostias consecratas, quamdiu species non sunt corruptæ.

163. *Quamdiu maneat Christus sub speciebus*

5. Accidentia panis & vini omnia in Eucharistia manent post consecrationem sine subjecto saltem substantiali. Est de Fide ex Concitatis. Et ratio est; quia non adest substantia, nisi Corpus; & Sanguis Christi. In his autem subjectari non possunt; quia modo inextenso, & indivisibili existentia non possunt recipere accidentia extensa.

164. *Accidentia sine subjecto.*

M 3 Dixi

Dixi: *Sine subjecto substantiali*; quia sunt, qui putant, quòd accidentia cætera, ùt sapor, color, gravitas, &c. subjectentur in quantitate panis, & vini, quæ simul manet. Possunt tamen agere, & pati; quia retinent antè habitam virtutem agendi, & capacitatem patiendi. Sic potest sapor afficere gustum, calor, vel frigus tactum, possunt quoque frigefieri, moveri, dividi, condensari, rarefieri, &c. ùt antè. Item possunt corrumpi, potest quoque ex iis aliquid generari: nam nutriunt, si sumantur, si putrefiant, nascuntur ex iis vermes. Quod, quomodo fiat, optimè explicat Suar. hoc modo: 1mò inducuntur in ea dispositiones necessariæ ad alicujus generationem, seu productionem, v. g. vermis. 2. Deus ad illarum exigentiam, ùt author naturæ creat materiam, ut perficiatur generatio substantialis; ad quam istæ dispositiones naturaliter ordinantur: neque enim generatio substantialis ex solis accidentibus fieri potest. 3. In illa materia subjectatur quantitas panis cum reliquis dispositionibus. 4. Ex materia illa ad exigentiam dispositionum Deus educit formam substantialem, & unionem cum illa materia, v. g. in nutritione 1mò formam chyli, deinde formam partialem, v. g. carnis & unionem illius cum materia, & anima rationali, & sic de aliis, estque hæc generatio naturalis, utì est, quando inductis dispositionibus producit animam rationalem, & ex semine arboris arborem, ex putri ligno vermes, &c.

Quâ ratione nutriant &c.

165. *Corpus Christi impassibile.*

6. Licèt Christus motis speciebus indirectè moveatur, elevetur, feratur de loco in locum, non potest tamen dici tangi, calefieri, &c. quia corpus gloriosum, & modo inextenso exi-

existens, non potest recipere qualitates alterativas, & extensas.

Resp. 2. Ut Minister ordinarius, licitè potest dispensare Eucharistiam solus Sacerdos, habens jurisdictionem ordinariam, vel delegatam, aut rationabiliter præsumptam. *1ma Pars* constat ex *Trid. sess.* 13. *C.* 8. Et ratio est; quia conveniebat, ut ille solus esset Minister ordinarius Eucharistiæ dispensandæ, qui eam potest conficere. *Pars 2da* habetur in *Conc. Lateran. C. omnis.* Et ratio est; quia pascere oves, est Pastorum munus, adeoque qui invitis iis oves pascit, arrogat sibi illorum munus, peccatque graviter. Secùs, si à Pontifice, ùt Religiosis, aut ab Episcopo, aut Pastore concedatur facultas saltem tacitè. Pastore absente potest in necessitate quilibet Sacerdos administrare Eucharistiam, quia tunc habet facultatem ab Ecclesia. 166. *Dispensator Eucharistiæ per se Sacerdos est.*

Dixi: *Ut Minister ordinarius*: nam ex commissione in necessitate potest Diaconus dispensare Eucharistiam; etsi non ùt Minister ordinarius. Imò secundùm Suar. Valent. Con. Subdiaconus, & Laicus potest in gravi necessitate, v. g. articulo mortis, dum alius deest sibi, vel alteri ministrare Communionem, quia morituri indigent robore spirituali, quod Eucharistia confert, referuntque historiæ, olim, Laicos secum domum tulisse sacras species panis consecratas, ut in necessitate sumerent, & Anachoretas Laicos secum in eremum contulisse, & sibi ministrâsse; imò viri olim manu excipiebant, & sibi ministrabant. Oppositum autem hodie conformius est praxi Ecclesiæ, quæ vetat Laicis tangere Eucharistiam. Potest tamen Sacerdos sibi ex devotione eam mini- 167. *Quandoque Diaconus.*

 strare,

ſtrare, ſi alius abſit, qui poſſit, & velit, & ipſe ſit ſolus, ut non oriatur ſcandalum.

QUÆSTIO II.

Quæ in Miniſtro requirantur, ut licitè diſpenſet Euchariſtiam?

Reſp. Præter juriſdictionem requiritur 1mò, ut ſit liber ab omni cenſura, prohibente communicationem cum Fidelibus, aliàs incurret irregularitatem.

168. *Status gratiæ, & ritûs obſervatio.*

2. Ut ſit in ſtatu gratiæ, aliàs probabiliùs tot peccata ſaltem venialia committet, quot hominibus Communionem diſtribuit.

3. Ut eam diſtribuat ritu Eccleſiæ conſueto; quia legitimus Eccleſiæ ordo ſub peccato obligat. Hinc graviter peccat, qui extra neceſſitatem diſtribuit ſine ſtola, & ſuperpelliceo, vel Alba &c. Putat Gobat omittere lumen, & Confiteor, eſſe tantùm veniale. Similiter admittunt omnes, fore tantùm veniale ſine ſacra veſte, & ſtola Sacramentum movere, deferre ab uno Altari ad alterum. Dixi: *Extra neceſſitatem*: nam in hac, ubi iſta vix adhiberi poſſunt, ùt ſi auræ eſſet tempeſtas, & in magna loci diſtantia, deferri deberet ad infirmum moribundum, non foret illicitum, ſed in pixide ad pectus pendula ſaltem in locis inter hæreticos clam deferri poſſet.

4. Ut diſpenſetur reverenter. Hinc putant aliqui permittendum potiùs, ut æger moriatur ſine viatico, quàm ut Sacerdos currat cum Euchariſtia per publicum: verùm ab irreverentia juxta Gobat excuſat neceſſitas, præſertim ſi clam, aut monito populo id fieret. Quòd

Quòd certè verùm est, si aliàs sine pœnitentia moriturus esset infirmus. Similiter putant aliqui Communionem non posse dari licitè, nisi inter pollicem, & indicem, sed probabiliter, si absit scandalum, & Sacerdos aliter non possit, v. g. ob chiragram, vacare culpâ potest; quia licèt tantùm primi digiti sint inuncti, videtur tamen tota manus esse benedicta: hinc infert Gobat, Sacerdotem tantùm peccaturum venialiter, si sine justa causa tangeret ultimis digitis hostiam.

QUÆSTIO III.

Quæ præterea circa Eucharistiæ dispensationem, & asservationem sint observanda?

Resp. Sequentia: 1mò. In nigris Communio non est danda: ità statuit sacra Congregatio 22. Jan. 1701. unde si quis eam petat in Missa *de Requiem*, Sacerdos debet ante, vel post Missam eam dare indutus stolâ aliâ. 169. *Varii casus resoluti.*

2. Non est danda die Veneris sancto, nisi pro viatico. Negat tamen Leander satis constare de præcepto, vel consuetudine obligante sub gravi.

3. Sacerdos, in Sacro daturus Communionem, potest sinistræ pollicem, & indicem abluere, & disjungere, saliva tamen communicantium, fortè digitis adhærens, decentiùs alio linteo, quàm purificatorio abstergitur.

4. Si dispensanti decidat hostia, locus tegendus est re mundâ, & posteà abluendus; vestis tamen ablutio, in quam cecidit, non est præcipienda, ut vitetur offensio, & pertur-

batio populi. Sunt, qui putant, Rubricam de ablutione loci non obligare sub gravi. Aliud videtur, si species vini decidissent; quia imbibuntur. Putat quoque Pasqual. opus non esse comburi id, in quod sanguis cecidit, sed satis esse ablui, & ablutionem mitti in sacrarium.

5. Si hostia decidat in sinum, vel intra vestes mulieris, permitti potest, ut illa, vel alia mulier eximat suâ manu, & reponat in Ciborium: est enim indecens, ut Sacerdos eam eximat, & vix fit sine scandalo. Quodsi eximi inde decenter non possit coram aliis, poterit mulier seorsim decedere ad privatam domum, ibique eximere, & referre. Abluendi tamen erunt digiti mulieris, & ablutio mittenda in sacrarium.

6. Si advertat, quòd communicans hostiam demittat in strophiolum, non tenetur publicè arguere, vel statim repetere; quia infamaretur fortè innocens, eò quòd præsentiat vomitum, aut putet hoc esse melius, quàm sumere in peccato, cujus fortè recordatur; debet tamen advertere Sacerdos, ut postea recipiat hostiam.

7. Si personæ gravitas, vel devotio sit magna, vel adsit alia causa rationabilis, desitque hostia parva, potest Sacerdos ei dare partem de sua majore, in Sacro consecrata; quia Christus ipse hoc fecit, nec jam scitur prohibitum. Quòd id ordinariè non fiat, ex eo est, quòd plerumque adsint minores, quæ etiam dividi possunt, ubi non sunt sufficientes, ità tamen, ut non offendatur populus.

8. Qui bis celebrat eodem die, non potest in prima Missa ablutionem dare Laico communi-

municanti; quia Laico non licet communicare sub utraque specie, excusat tamen Gobat à mortali, eò quòd non sit propriè communicare sub speciebus vini.

9. Ciborium renovari debet, & purificari circiter singulis mensibus, ne species corrumpantur, præsertim tempore, vel in loco humido. Non debet esse consecratum; conveniens tamen est, & usus habet, ut benedicatur, uti & lunula monstrantiæ.

10. Vermis inventus in Ciborio, & natus ex speciebus, aliæque sordes ibi contractæ comburi debent, & cineres mitti in sacram Piscinam.

11. Si infirmus rejiciat sacras species, non debent comburi, sed mundari, & aquâ dissipari in vitro, ità ut non maneant species panis. Secùs si sordibus ità essent permixtæ, ut discerni non possent; cineres tamen mittendi essent in sacram Piscinam.

12. Curandum est, ut lumen constanter ardeat ante venerabile Sacramentum, peccatque Pastor mortaliter, nisi justa causa excuset, per notabile tempus id negligendo.

CAPUT III.

De Sacramenti Eucharistiæ Subjecto, Effectibus, & Necessitate.

QUÆSTIO I.

Cui cum fructu, & licitè possit Eucharistia administrari?

Resp. Omni, & soli Baptizato ritè disposi- 170.
to

Soli Baptizato disposito

to cum fructu, seu Sacramentaliter, & spiritualiter dari potest; illicitè tamen datur pueris ante usum rationis, & perpetuò amentibus. *Ratio 1ma partis est*; quia omnis, & solus baptizatus dispositus est capax augmenti gratiæ, huic Sacramento respondentis, ùt constat ex dictis: si enim sumatur à non baptizato, sumi dicitur tantùm materialiter; si sumatur à Baptizato indisposito, sumi dicitur Sacramentaliter, sed non spiritualiter, si à Baptizato disposito, sumitur Sacramentaliter, & spiritualiter, seu cum fructu.

An pueris, & amentibus?

Ratio 2da partis est; quia licet pueri, & perpetuò amentes baptizati sint in gratia, nec aliâ dispositione indigeant ad fructum hujus Sacramenti, hocque olim fuerit pueris datum, nunc tamen id vetat consuetudo Ecclesiæ in reverentiam Sacramenti inducta, & fortè simul ex ea ratione, quod olim species vini instillatæ fuerint pueris, nunc autem illas Laicis dare non liceat.

Danda tamen est 1. Semifatuis, seu debilem usum rationis habentibus in articulo mortis, imò & in Paschate, si aliquâ pietate afficiantur; quia non sunt actualiter indispositi, & non carent omni devotione, nec exspectari potest, ùt in pueris, plenior rationis usus. Requirit tamen reverentia Sacramenti, ut non frequenter ipsis detur.

2. Amenti, qui olim habuit usum rationis, & laudabiliter vixit, vel qui ante amentiam dedit signa pœnitentiæ, danda Eucharistia in articulo mortis, modò absit periculum irreverentiæ: quia nec lex, nec Ecclesiæ consuetudo id prohibet; cùmque talis censeatur in gratia, potest hujus augmentum accipere, imò

imò ejus saluti meliùs consulitur, cùm valdè sit probabile, quòd in attrito possit causare gratiam 1mam, tali tamen amenti non est danda quotannis, ut consulatur reverentiæ Sacramenti, sed in solo articulo mortis pro viatico], modò præsumatur esse in bono statu, quòd ordinariè præsumendum est, nisi constet mortaliter peccâsse ante amentiam, nec constet de pœnitentia. Quodsi præsumendo erretur, non committitur irreverentia, nisi materialis, cui minister Sacramenti, bonâ fide procedens, non censetur cooperari.

3. Danda quoque est energumenis, ratione utentibus, & pœnitentibus; quia licèt fortè ob peccata à Dæmone torqueantur, miseris tamen, & afflictis non est neganda saluberrima medicina, cujus beneficio obsessi quandoque liberantur. Quàm frequenter autem talibus dari possit, relinquitur prudentis Sacerdotis judicio, cujus est considerare circumstantias, & advertere, an absit periculum irreverentiæ.

4. Dari quoque potest surdis, & mutis à nativitate, ubi per signa sunt instructi, & per nutus confessi. Surdo, muto, & simul cœco danda non est; quia instrui non potest, & infanti æquiparatur.

QUÆSTIO II.

Qui sint effectus Sacramenti Eucharistiæ?

Resp. Sunt hi: 1mus est nutrimentum, seu spiritualis refectio animæ, quæ est augmentum gratiæ cum jure ad gratias speciales actuales, quæ 171. *Gratia nutritiva.*

quæ suo tempore Eucharistiæ perceptæ intuitu dantur ad charitatem, vitamque spiritualem conservandam, & augendam per opera bona, nisi tamen gratiis illis per peccata seu mortalia, seu venialia frequentata ab homine ob exponatur. Porrò gratiam habitualem causat in ipsa sumptione, seu trajectione ex ore versus stomachum, aut saltem dum pervenit in stomachum, sique dispositio augeatur, dum species permanent, probabiliùs addit augmentum, quia causa necessaria causat secundùm dispositionem passi; secùs si dispositio non augeatur.

2dus est remissio venialium, modò saltem virtualiter sint retractata.

3tius est præservatio à mortalibus; quia confert gratias actuales, quibus vincamus tentationes, mandata, dum urgent, servemus, sicque perseveremus in gratia, & gloriam tandem consequamur secundùm illud Christi Joan. 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Qui manducat me, vivet propter me.*

4tus est dulcedo, & delectatio spiritualis, quæ tamen sæpe sensibilis non est, & impeditur per communicantis negligentem præparationem, distractiones, affectum ad terrena.

5tus est imminutio fomitis concupiscentiæ: auget enim charitatem; augmentum autem charitatis est imminutio cupiditatis, & gratiis, quas Eucharistia confert, actualibus excitantur pii motus contrarii motibus concupiscentiæ inordinatis.

6tus est influxus in gloriosam corporum resurrectionem: conjunctio enim, quam habuerunt cum vivificante carne Christi, movet Deum ad illa vivificanda ex illo Christi Joan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum san-*

sanguinem, habet vitam æternam, & ego eum resuscitabo in novissimo die. Alii, qui non refecti fuerunt Corpore Christi, suscitabuntur quidem, sed non isto speciali titulo. Ex his patet, quàm utilis sit frequens digna Communio.

QUÆSTIO III.

Quæ dispositio ad dignam Eucharistiæ sumptionem in suscipiente requiratur ex parte Corporis?

Resp. 1. Jure naturæ requiritur 1mò exterior habitûs, & corporis decens compositio, quæ internam animi devotionem, & reverentiam exhibeant: nam Sacramento huic debetur etiam externa veneratio, & adoratio; si enim terreno Regi ea debetur, multò magis Christo deferenda est. Hinc Sacerdos more Laico communicans debet esse indutus stolâ, ejus omissio tamen ad summum veniale est. La Croix N. 556. 172. *Decens compositio, & dispositio corporis.*

2. Requiritur, ut stomachus sic sit dispositus, ut potens sit retinere species. Quare si stomachus continuò revomat, vel statim per secessum cibos planè immutatos dejiciat, gravis est irreverentia communicare; quanquam qui bonâ fide sumpsit hostiam, & statim è stomacho rejicit, fructum Sacramenti accipit. Si tamen post Communionem incideret in gravem morbum, vel cum Communione sumpsisset venenum, & judicio Medici necessarius foret vomitus, posset potio ad eum procurandum sumi; rejectæ autem species tractandæ essent secundùm dicta sub N. 169.

3. Quamvis sordes corporeæ secundùm se non impediant Communionem, cùm hæc sit cibus animæ, cujus munditiem exigitur; si tamen pateant, & auferri possint, decens est, ut auferantur ante Communionem, si fieri commodè possit.

173. *Corollaria. Quæ non impediant.*

Hinc non impedit Communionem, imò fluxus sanguinis, lepra, menstruus fluxus mulierum, & alia similia, quæ sine culpa patientis eveniunt, & potiùs merentur commiserationem, quàm pœnam: cui Christus prælusit in parabola invitantis ad Convivium cœcos, & claudos.

2. Frequens etiam excreatio: licèt enim materia, quæ tussiendo ejicitur, plerumque ascendat ex pectore, via tamen, per quam ejicitur, non est ea, quâ cibi in stomachum descendunt. Unde non est periculum species, in stomachum demissas, ejiciendi. Decet tamen ad vitandum scandalum, ut sputum saltem ultra quinque Pater, & Ave, si nimiùm abundet, strophiolo excipiatur.

3. Pollutio involuntaria; quia, hac non obstante, potest justus devotè, & reverenter accedere, mentisque evagationes, imaginationesque venereas, præviâ meditatione, & ferventiore devotione coërcere. Si tamen eas pateretur vivaciores, consultiùs abstinet eo die ob majestatem Sacramenti; nisi tamen adsit rationabilis causa, v. g. obligatio celebrandi ex justitia, vel obedientia, fructus magnus festivitatis, regula Ordinis; tunc enim spernat illas imaginationes, & incongruitatem devotione ferventiore compenset. Imò expedit spernere, si advertatur pollutio ante Communionem sæpiùs evenire: nam conatur Dæmon

&

& sic à Communione impedire. Canones contrarii sunt tantùm Consilii, quando non adest rationabilis causa.

4. Nec per se actus conjugalis debito fine exercitus. Congruit tamen ab eo abstinere pridie Communionis, aut differre Communionem; quia impedit devotionem, & debitam tanto Sacramento reverentiam. Quæ contra afferri solent, sunt consilii tantùm. Nec obstat, quòd in lege Mosaica continentia à mulieribus requisita sit ante esum panis propositionis: nam illa fere tota in exterioribus occupabatur ceremoniis; lex autem Evangelica interiorem maximè requirit devotionem. Porro, nisi adsit rationabilis causa, non convenit statim post Communionem comedere, vel bibere, sed exspectandum, dum species sint consumptæ, quod in sanis, & calidioris stomachi fieri potest intra quadrantem horæ, & in Laicis citiùs, in aliis præsertim infirmis seriùs, regulariter in omnibus intra horam, nisi interveniat miraculum, ùt in S. Rosa La Croix N. 476. Spuere statim, etsi hostia tota descenderit, etiam non est conveniens, sed ad breve tempus exspectandum est regulariter loquendo. Quod si hostia adhæreat faucibus, non est digito, sed saliva, vel vino solvenda; ne autem adhæreat, aliquamdiu in lingua retinenda est, donec humectetur.

Resp. 2. Ex lege Ecclesiæ, & consuetudine, vim legis habente, & sub mortali obligante, requiritur in suscipiente regulariter jejunium naturale, consistens in eo, quod nihil per modum cibi, vel potûs, vel medicinæ ab ore in stomachum trajecerit à media nocte præcedente. Quòd jejunium naturale requiratur, 174. *Jejunium naturale.*

constat ex Conc. *Africano Cap.* 8. *Carthag.* 3, *C.* 29. *Trid. Sess.* 10. Et ex perpetua praxi Ecclesiæ descendente ab ipsis Apostolorum temporibus teste S. *Aug. Epist.* 118. *ad Januarium.* Voluit quidem Christus post Cœnam instituere Eucharistiam, ut memoriale passionis cum hac quasi conjungeret, & eam præbere Apostolis non jejunis; unde etiam mos olim fuit, ut in Anniversario die Cœnæ Domini Eucharistia sumeretur à cœnatis; sed eum tandem abrogavit Ecclesia, cui Christus potestatem dedit ordinandi circa Sacramenta, salvâ illorum substantiâ, quæ successu temporis judicaret ad majorem eorum reverentiam cedere, uti cedit ad reverentiam Eucharistiæ abstinentia à cibo, & potu ante sumptionem ejus: sic enim significatur cibum cœlestem cuilibet terreno esse præferendum, Christum velut cibum animæ primo debere in Fidelibus fundari, ut sic discerent discernere inter cibum divinum, & alium communem. Atque ob hunc finem graviter prohibetur cibus, & potus ante Communionem, vel prohibetur Communio non jejunis. Hinc deduco seqq.

175. *Corollaria.* *Quibus frangatur, vel non frangatur jejunium.*

1mò. Qui audito pulsu primo pro medio noctis adhuc comedit, vel bibit, etiam, quod ante in ore habuit, probabiliùs frangit jejunium; quia una pars media noctis tum completur, & altera incipit, sicut qualibet hora antecedens completur, dum sonat primus quadrans sequentis, & subsequens incipit: aliàs enim horæ essent inæquales, v. g. duodecima noctis esset longior primâ post meridiem toto illo spatio, quod intercedit inter primum, & ultimum pulsum duodecimæ noctis. Hoc etsi, physicè loquendo, non neget Dicastillo, putat tamen

tamen non censeri moraliter duodecimam esse, nisi audito ultimo pulsu, eò quòd horologium habeat se instar præconis, qui non censetur commissa proclamâsse, nisi dum finit proclamationem.

2. Non frangit jejunium naturale, qui deglutit lapillum, osciculum fructuum, fragmentum metalli, auri, plumbi, filum ex serico, vel lana, aut pilum; quia non habet rationem cibi, vel potûs: ad hoc enim requiritur, ut sit aliquid digestibile à stomacho, & aliquo modo, saltem secundùm suî partem convertibile in substantiam sumentis. Ità Lugo, & alii. Contra frangit jejunium, si mulier prægnans comedat corium, carbones, terram; vel domicella cretam, ut albescat; quia in iis continentur partes alterabiles, aut saltem ex modo, & intentione sumendi censetur in usu communi comedisse. Unde dicitur: talis mulier comedit terram, cretam &c.

3. Si cui musca involaret in fauces, & se ipsam in stomachum inferret, non violaretur jejunium; quia non censetur quis comedisse vel bibisse nisi trajecerit ipse in stomachum. Unde si is muscam, in faucibus hærentem, deglutiret, frangeret jejunium, juxta La Croix. Item non violatur jejunium, si quid per respirationem attrahatur, v. g pulvis, vel quid aëri permixtum, ut nebulæ, fumus, & similia. Item sumptio tabaci per nares, sive in pulvere, sive in folio, vel fumo; imò secundùm Henno, & alios nec guttula humoris, v. g. aquæ, quam vulgo dicunt Reginæ Hungaricæ, licèt aliquid delabatur in stomachum; quia sic non fit comestio, vel potatio, sed potiùs est trajectio salivæ, vel respiratio, vel attractio, seu afflatio

tio narium. Similiter fumatio tabaci non facilè solvet jejunium; quia etsi parum fumi attrahatur, attrahitur tamen per modum respirationis Masticare autem, sicut indecens est, sic & faciliùs jejunium solvet; quia vix impediri poterit, quin multæ particulæ succulentiores deglutiantur.

4. Vinum sumptum à Laicis pro ablutione post hostiam non violat jejunium, etsi priùs descendat; quia sumptio hostiæ, & vini manet una moraliter: nec obest jejunio, si saliva ex capite defluens, vel sanguis ex gingiva, aut sanies ex pustula oris fluens, deglutiatur, quia non sumuntur ab extrinseco. non enim sumitur ab extrinseco, quod spectat ad corpus, & in hoc permansisse censetur. Si tamen quis sanguinem ex vulnere digiti sugeret, & deglutiret, aut mulier lac ex suis mamillis, solveretur jejunium; quia, cùm sumatur à membro tam distante, censetur sumi ab extrinseco. Idem tenet La Croix, si quid, ex oculis, vel naribus effluens in os, deglutiatur.

5. Non solivit jejunium, quod se habet per modum salivæ, etsi planè ab extrinseco salivæ advenerit; quia non censetur venire ab extrinseco. Hoc autem habet se per modum salivæ, quod cùm sit minimum, à saliva inseparabile, etsi nondum in illam sit conversum, tamen cum saliva trajicitur: ùt si quis aquâ os abluat, cujus stilla salivæ mixta trajiciatur, saltem si præter intentionem fiat.

6. Si id, quod adhæret dentibus ex cœna, vel stillam aquæ quis præter intentionem deglutiat, jejunio non obest; ità Missale de defect. in celebratione Missæ: Secùs tenent multi, si cum intentione fieret. Obesset tamen,

si quis vesperi in os sumeret saccharum, & post mediam noctem deglutiret; quia, cùm sumptum sit in os, ut deglutiatur paulatim, tamdiu censetur durare comestio, quamdiu saccharum est in ore.

Denique non obest Jejunio, si quis in os sumeret aromata, ad confortandum caput, vel arcendum aërem infectum, si nihil deglutiat: utì nec, si inter Communionem, & Cœnam somnus non intercedat.

Resp. 3. Aliquando sufficiunt reliquæ dispositiones corporis & animæ sine Jejunio, ac *Primò* quidem, si infirmus prudenter judicetur moriturus sine viatico, nisi communicet non jejunus. *176. Quando non requiratur jejunium?*

2. Si infirmus non possit, nisi cum magna molestia, exspectare, dum sit jejunus; vel, si longè distet, & periculosè ægrotet. Item, si laboret febri, ex qua meritò timetur brevi deliraturus. Ubi diligenter observet Pastor, curandum esse, ut tales maturè confiteantur; quia experientiâ constat, quòd labantur in delirium, dum minimè putabatur, maneantque subinde privati ratione, & in eo statu moriantur. Quare, si febris sit vehemens, quamprimum detur viaticum, &, si sit periculum mortis, etiam Extrema Unctio: præstat enim, Sacramenta suscipi cum devotione, quàm à privato ratione.

3. Si Pastor exspectare non possit, pro infirmo muniendo, diem sequentem, v. g. quia manè occupandus est in Ecclesia: praxis enim Ecclesiæ docet, jejunium pro viatico non tam rigorosè requiri, videturque *Conc. Constantiense* absolutè eximere periculosè infirmos, si commodè non possint manere jejuni. Por-

rò potest idem sæpius fieri in eodem morbo; si æger, cessante priore periculo, sæpius in idem relabatur; modò inter utramque Communionem sufficiens tempus intercesserit, puta juxta plerosque septem, vel octo dies, vel etiam tantùm quatuor secundùm aliquos; quia Sacramentum hoc magnum est ægro levamen, magnumque præsidium contra dæmonis tentationes. Præcipit quidem *Rituale Rom.* ut infirmi ex devotione communicantes sint jejuni non minùs, ac cæteri; sed intelligitur de iis, qui non infirmantur ad mortem. De cætero non licet solo ægritudinis titulo communicare sine jejunio: unde, quando sine notabili molestia fieri potest, nec est periculum in mora, curandum est, ut sit æger jejunus, v. g. bibat aut comedat paulò ante medium noctis, & summo manè communicet.

4. Si aliàs Eucharistia deventura esset ad manus Hæreticorum, vel Infidelium, & profananda, nisi à non jejuno absumeretur.

5. Si Sacerdos post consecrationem hostiæ recordaretur, se non esse jejunum, vel, si pro vino per errorem in Calice habuerit aquam, & in Communione eam ex parte sumpserit, vel, si post consecrationem deficeret, & non haberetur nisi Sacerdos non jejunus, qui Sacrificium perficeret. In his enim casibus Sacrificium à non jejuno perficiendum, & sacræ species sumendæ essent.

6. Si Sacerdos post sumptam ablutionem inveniat particulas à se consecratas: has enim sumere potest, priusquam ab Altari decedat; quia spectant ad idem Sacrificium: non tamen, si peracto Sacro jam discesserit; quia actio sacrificandi jam censetur completa.

Dixi:

Dixi : *à se consecratas*; quia, si ab alio sint consecratæ, vel ab ipso in alia Missa, reservandæ sunt, si commodè possint, donec in alia Missa sumantur à jejuno; si autem asservari commodè non possint, sumuntur licitè à Sacerdote, etiam post vestes sacras depositas, ut docet Suar. Lugo, & alii. Si dubium sit, an particulæ, quas invenit, sint consecratæ, sumendæ sunt post utramque sacram speciem, vel post ablutionem. Post hanc tamen non licet sumere integram hostiam; quia usus Ecclesiæ tantùm se extendit ad fragmenta, quæ unam moraliter Communionem constituunt cum prioribus speciebus sumptis.

Ex dictis patet, tria ad violationem jejunii naturalis requiri. 1. Ut hoc, quod sumitur, habeat rationem cibi, vel potûs, vel medicinæ. 2. Ut sumatur per modum comestionis, vel potionis. 3. Ut sumatur ab extrinseco. Quid in dubio, an violatum sit Jejunium, liceat, colligitur ex dictis 1. P. N. 89.

QUÆSTIO IV.

Quæ dispositio animæ requiratur in Suscipiente ad dignam, & fructuosam Sacramenti Eucharistiæ susceptionem?

Resp. 1. Ad dignam, & fructuosam Communionem requiritur 1. Baptismi character. 2. In adultis intentio, saltem habitualis, secundùm dicta N. 63. 3. Per se loquendo, sub mortali requiritur status gratiæ alioquin enim, cùm Eucharistia sit Sacramentum vivorum, indignè quis suscipit illam in statu inimicitiæ, Chri- 177. 1. Status gratia.

sto quodammodo illudens, tractansque magnâ irreverentiâ Sacramentum. Hinc gravissimum committit sacrilegium, quod eò gravius est, quò sanctior est res, vel persona, quæ violatur. 4. Jure divino requiritur, per se loquendo, ut, qui sibi conscius est peccati mortalis, antè confiteatur, & absolvatur: ait enim Apostolus 1. ad Cor. 11. *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat.* Quæ probatio juxta unanimem DD. consensum, Ecclesiæque declarationem, & traditionem intelligenda est de sacramentali Confessione. Id, quod etiam colligitur ex *Trid. Sess.* 13. *C.* 7. ubi, postquam dixisset, plena formidinis verba apud Apostolum legi: *Qui manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini.* Subdit: *Quare communicare volenti revocandum est in memoriam ejus præceptum: probet autem se ipsum homo: Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus, sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat.* Idem repetit *Can.* 11. Et contrarium asserentem excommunicat.

2. *Prævia mortalium confessio.* Nihilominus aliqui in dubium revocant, an, qui confessus, & absolutus posteà ante Communionem recordatur peccati mortalis, inculpabiliter omissi, teneatur id ante Communionem confiteri, vel possit illius Confessionem differre in tempus, quo iterum confitebitur; quia, inquiunt, est in statu gratiæ, & absolutus indirectè à peccato inculpabiliter omisso; proinde ratio non est, cur antè teneatur id confiteri; cùm peccata, quæ post diligens examen memo-

memoriæ non occurrerunt, in Confessione inclusa censeantur. Verùm hæc sententia, quamvis Honorato Fabri probabilis videatur, *in Apolog. Tr. 1. p.* 384. à Moya dicitur improbabilis, ab Arriaga, defendi non posse, à La Croix non tuta in praxi, rationesque pro illa nihil evincunt, ùt ostendit Lugo hìc N. 126. Et *Ratio est*; quia contra eam est non tantùm communissima, sed praxis etiam, & sensus Fidelium, tenentium, omnia mortalia ante Communionem esse confitenda.

Dixi autem: *Per se loquendo*: quia in necessitate sufficere potest perfecta contritio; ùt 1. Si deesset Hostia consecrata & Sacerdoti non esset copia Confessarii, dum viaticum dandum est infirmo. 2. Si Sacrificium, vel Communio non posset omitti sine gravi infamia: utì si Laicus, sedens in scamno communicantium, vel Sacerdos, Missâ jam inchoatâ, recordaretur peccati mortalis: neque enim tunc teneretur recedere, vel ad se vocare, cui confiteretur cum periculo infamiæ. 3. Si Sacerdos teneatur ex Justitia celebrare, ut populus die sacro audiat Missam &c.

Porrò Sacerdos, in tali necessitate celebrans, tenetur ex præcepto *Trid. Sess.* 13. *C.* 7. postea confiteri quamprimum, id est, statim, atque copiam Confessarii habuerit, etiam ipso die, quo celebravit, si sine magno incommodo fieri possit, ne exponatur periculo iterum celebrandi sine Confessione: tunc autem non est copia Confessarii, quando sine gravi incommodo, vel damno haberi non potest, cui possit confiteri. Cæterùm, si aliud non obstet, tò *quamprimum* per alios extenditur ad triduum. V. Anal. N. 168.

178. Resp. 2. Ad spiritualem dulcedinem, & delectationem requiritur insuper devotio, & actualis intentio; quia spiritualis dulcedo oritur ex piis cogitationibus, & affectibus, quæ per distractionem, & carentiam devotionis impediuntur. Imo impeditur etiam majus augmentum gratiæ habitualis, & copiosior gratia specialis actualis: licèt enim ad aliquod augmentum gratiæ accipiendum sufficiat immunitas ab omni mortali, cùm hoc solùm sit obex gratiæ, & Sacramenta non ponentibus obicem conferant, tanquam causæ necessariæ gratiam; attamen, cum eam causent majorem, vel minorem pro dispositione suscipientis, ubi deest devotio, aut est minor minus conferunt gratiæ. Hinc, quamvis aliquod augmentum gratiæ accipiat, peccat tamen venialiter peccato speciali irreverentiæ, qui communicat cum veniali actuali, ipsum actum Communionis afficiente, v. g. cum affectu vanæ gloriæ, cum voluntaria distractione, cum actuali complacentia in peccato veniali; quia ratione Eucharistiæ redundat specialis irreverentia in peccatum illud veniale comitans, aut etiam in ipsam Eucharistiæ susceptionem: sicut enim irreverentia est, voluntariè distrahi, cùm communicas; sic est irreverentia communicare, dum es distractus. Omnis quippe actus Religionis debet fieri cum aliqua reverentia. Hoc tamen non impedit, quin susceptio sit adhuc simpliciter bona.

3. Devotio.

Dices. Si ad augmentum gratiæ sanctificantis non requiritur actualis devotio, omnes Sacerdotes, qui in statu gratiæ celebrant quotidie, magnum acquirent illius augmentum; quod tamen de aliquibus credi vix potest, cùm

cùm sint, qui in spiritu parum proficiant; ergo. Resp. Neg. min. Quia gratia habitualis, & virtutes supernaturales sub sensum & experientiam non cadunt: neque per eas formaliter excluduntur habitus vitiosi contrarii, nec passiones, ad sensibilia inclinantes, formaliter temperantur; sed tantùm virtualiter, quatenus actus eliciunt tendentes in oppositum. Cæterùm constat, quòd tales Sacerdotes existant in omnibus arduis pro gloria Dei fortiores, quàm vulgus hominum, & præserventur à mortalibus longo saltem tempore; ab his autem præservari magnum est gratiæ beneficium.

Resp. 3. Devotio actualis, quam exigit Eucharistia, postulat, tum ut suscipiatur cum viva fide, spe firmâ, charitate ardenti, & magnâ humilitate; tum ut cor abstrahatur ab omni affectu terreno, & peccato veniali; tum ut, suscepto jam Sacramento, tempore aliquo anima occupetur gratiarum actione, colloquiis cum Christo per actus Fidei, Spei, Charitatis, suî oblationis, petitionis gratiæ sibi, & aliis &c. tum denique, ut dies illa transigatur singulari curâ, cohibente inanes cogitationes verba otiosa, conversationes non necessarias, & inutiles, & excitante frequentem Christi memoriam, piosque erga eum affectus. Id enim exigit Christi majestas, & charitas, tam amanter se communicantis creaturæ, & tam ardenter ejus profectum, & salutem desiderantis. Hinc, qui voluntariam pollutionem nocte antecedente commisit, non est permittendus die immediatè sequenti communicare, nisi urgeat necessitas, vel alia adsit ratio prudens; quia est indecens ob sordes, & haberi vix potest

179. *Qualis esse debeat devotio?*

test actualis devotio: carnalis enim voluptas, præsertim vehemens, mentem deprimit, distrahit, & à spiritualibus avocat. Idem dicendum de conjugatis, qui ob voluptatem præcisè copulam habuerunt.

QUÆSTIO V.

An, & quando Christi Fideles teneantur Eucharistiam sumere?

180. *Tenentur omnes baptizati sæpius in vita, si ratione utantur.* Resp. 1. Tenentur omnes, ratione utentes, ex præcepto divino eam sumere sæpiùs in vita; quia Christus eam instituit per modum cibi spiritualis, quo anima nutriatur, & roboretur; cibus autem sæpius sumendus est. Intelligitur ex illo Christi Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis.* Christus tamen tempus non determinavit, sed terminandum reliquit suo in terris Vicario, prout magis congruet.

2. In quovis probabili mortis periculo, uti in gravi morbo, instante conflictu, difficili partu, periculosâ navigatione &c. *Excipe*, nisi paucis diebus antè communicaverit, ùt docet Suar. Constat ex praxi, & usu perpetuo Ecclesiæ ministrandi omnibus in periculo mortis constitutis, & ideo eam asservandi. Deinde in articulo mortis, & periculo ejus probabili maximè opus est robore spirituali ad difficultates, quæ solent tum esse majores, superandas, & in eo de animæ æternæ vita agitur.

Dixi: *Tenentur omnes*; quia verba Christi sunt universalia. Hinc quoque adulti non baptizati tenentur Baptismum etiam ideo suscipere

pere, ut huic præcepto satisfaciant, peccantque speciali peccato, si eam negligant: sicut & peccant excommunicati, si non procurènt absolutionem ab excommunicatione, ut possint communicare. Sotus tamen, Sanch. in Decalogum Lib. 1. Castrop. & alii apud La Croix docent probabiliter, hoc præcepto obligari solos baptizatos, sicut hi soli tenentur præcepto Confessionis. Nec tenetur non baptizatus Baptismum suscipere, ut præcepto Confessionis satisfaciat. Verùm est in hoc clarum discrimen; quia peccata ante Baptismum commissa non sunt materia Confessionis. Porrò, ut huic præcepto satisfiat, debet Eucharistia sumi sacramentaliter, & cum fructu: Christus enim voluit sumi, ùt cibum animæ. Vide *Anal.* 148.

Resp. 2. Sub mortali tenentur omnes & singuli baptizati utriusque sexûs, cùm ad annos discretionis pervenerint, singulis annis, saltem in Pascchate, per se loquendo, in propria Parochia ex manu Parochi sui, vel ab eo delegati, & in fine vitæ pro viatico sumere dignè Eucharistiam, ex præcepto etiam Ecclesiæ, idque sub pœna interdicti ingressûs Ecclesiæ, & privationis Ecclesiasticæ sepulturæ. Ità statuitur in *Concil. Lateran. sub Innoc. III. Cap. Omnis, de pœnit. & remiss.* & *Concilio Nicæno Cap. de his. Causa* 26. his verbis: *De his verò, qui recedunt ex corpore, antiqua legis regula observabitur etiam nunc; ità ùt, si quis fortè recedit ex corpore, necessario vitæ sua viatico non defraudetur.* Quòd autem in Parochia è manu Parochi sumi debeat, declarat consuetudo Ecclesiæ, vim legis habens. Hinc 181. *Et ratione utentes in Paschate de manu Parochi.*

182. *Quando danda pueris?*

Deduco 1. Pueri, secundùm dicta 1. P. n. 167, tenentur communicare, non præcisè, quan-

quando usum rationis sunt adepti; sed quando ad eam discretionem pervenerunt, ut per ætatem sint idonei ad cibum cœlestem, à terreno distinguendum, ac reverenter, & devotè sumendum: id quod Pastoribus dijudicandum committitur. Ità habet praxis Ecclesiæ. In periculo tamen mortis puero, capaci Confessionis, & sufficienter instructo, dandum est sacrum viaticum, etsi aliàs sacra Communio nec data, nec modò danda fuisset: nam est in eo statu, ut tempus commodius, & melior dispositio non possit exspectari præceptum implendi. Dari etiam potest in dubio de usu rationis pleno. Lugo, La Croix N. 648.

183. *In quo loco non satisfiat in Paschate?* Deduco secundò sequentia. 1. Non satisfacit, qui Communionem Paschalem sumit in Ecclesia Cathedrali extra suam Parochiam; quia singulæ Parochiæ habent suos terminos, & singuli Parochi sua Jura distincta. Potest tamen Parochus suo subdito dare licentiam, ut extra Parochiam communicet, & Communionem etiam illi dare alibi ad implendum præceptum. Licentia autem non facilè præsumi debet; quia petitio est agnitiò Pastoris; si verò non petatur, non recognoscitur Pastor, sicque est rationabiliter invitus.

2. Sæculares non satisfaciunt in Paschate communicando in Ecclesiis Regularium.

3. Licèt Sacerdos, per consuetudinem receptam, celebrando ubique satisfaciat pro Communione Paschali; si tamen non celebret, tenetur communicare in Parochia; quia, agendo more Laici, tenetur ùt Laicus.

4. Vagi, cùm Parochiæ nullius sint, possunt tempore Paschali, quod à Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis in his locis, & in

quia

quibusdam diutius durat, communicare, ubi volunt. Idem est de iis, qui intra tempus Paschale domum redire nequeunt. Hi non tenentur tamen, si brevi sint redituri, & in anno semel communicârint; quia possunt postea velle communicare è manu proprii Parochi.

5. Non satisfit præcepto Communionis Paschalis per Communionem sacrilegam; quia ex determinatione Ecclesiæ tum obligat præceptum divinum, quod exigit Communionem fructuosam. Et *Innoc. XI.* damnavit doctrinam oppositam. Hinc, qui ex ignorantia invincibili infructuosè communicâsset, non satisfecisset. Qui tamen in sua Parochia communicâsset sacrilegè, non teneretur iterum in ea de manu Parochi communicare, sed satisfaceret communicando alibi; quia Parochum jam recognovit, illamque partem præcepti implevit.

6. Qui prævidet, se toto tempore Paschali impediendum à Communione, an teneatur prævenire, distinguendum est: nam, si semel in anno communicâsset, aut esset communicaturus, non tenetur prævenire; quia præceptum necdum urget: neque tum illi satisfit; sed tenetur, impedimento cessante, denuo communicare in Paschate; si verò nec antè eo anno communicâsset, nec postea habiturus esset occasionem communicandi, teneretur prævenire; quia præceptum hoc Communionis est virtualiter duplex: nempe obligans ad communicandum semel in anno, & in Paschate; hocque partiale præceptum etiam graviter obligat, cùm sit magni momenti ratione finis, qui est commemoratio tum Cœnæ Domini, tum cruenti Sacrificii in Cruce circa id tem-

An teneatur prævenire, qui non poterit in Paschate?

pus peracti. Quare, si intra annum non communicavit, nec communicandi habiturus sit occasionem, tenetur prævenire, ut satisfaciat præcepto communionis annuæ. Varii autem variè tempus anni computant. Quidam numerant à prima Januarii; alii ab ultima Communione; alii à Paſchate ad Paſcha cum Suar. Quomodocunque autem computetur, non poteſt unâ Communione ſatisfieri pro duobus annis, cùm præceptum ſingulis annis unam exigat. Quodſi quis prævideret, ſe non poſſe ſecundâ hebdomade communicare, teneretur in prima; quia præceptum jam urget.

7. Si quis in Paſchate neglexit, vel non potuit communicare, iterum diſtinguendum eſt: nam, ſi per annum, lapſo tempore Paſchali, finitum non communicavit, probabiliùs tenetur ſtatim communicare, ubi moraliter poterit; totiesque peccat, quoties habet occaſionem, vel habere facilè poteſt, eamque negligit; quia præceptum primariò obligat, ut ſingulis annis ſumatur Communio, & ſecundariò determinat tempus Paſchale, non ut obligatio finiatur; ſed ut urgeatur impletio præcepti divini, & non nimium differatur, ùt patet ex verbis legis: nam Lateran. dicit, ſumendam eſſe Euchariſtiam ſemel in anno, ad minus in Paſchate, & Trid. ſingulis annis, ſaltem in Paſchate. Si autem communicavit illo anno, non tenetur ſtatim communicare poſt Paſcha, niſi fortè per accidens, ad tollendum ſcandalum, vel recognoſcendum ſuum Paſtorem; quia præcepto annuæ Confeſſionis ſatisfecit, præcepto autem communicandi in Paſchate præterito ſatisfacere ampliùs non poteſt.

8. Famuli commenſales Regularium mendican-

dicantium satisfaciunt in eorum tempore com- municando ex *Bulla Leonis X.* Idem dic de studiosis in scholis Societatis JESU ex tacito consensu Pastorum, qui sciunt meliùs à Professoribus invigilari, quàm possint ipsi.

9. Puerperæ, necdum in Ecclesiam introductæ, debent vel domi communicare, vel petere, ut tempus extendatur; quod potest ex rationabili causa Sacerdos proprius, quo nomine venit Episcopus, & Parochus, & ex horum tacito consensu etiam Confessarius, teste La Croix N. 650.

Deduco 3tiò sequentia. 1. Qui manè sanus communicavit, vel celebravit, & postea incidit in periculum mortis, non tenetur iterum communicare: quia periculum erat moraliter præsens, adeoque satisfecit præcepto de viatico pro felici transitu ex hac vita in alteram. Idem dicunt multi apud La Croix ad casum, quo quis ante octo dies communicâsset; eò quòd mors fuerit vicina, & ad eam per Communionem se dispósuerit, sicque habeatur finis præcepti; sed probabilius est oppositum; quia mors necdum imminebat. An autem, qui manè ex devotione communicavit & à prandio incidit in periculum mortis, iterum sumere possit Eucharistiam pro viatico, majus dubium est. Negat communior; eò quòd non liceat eodem die bis communicare, & præcepto sit satisfactum. Affirmat cum quibusdam Illsung; quia non communicavit in periculo mortis.

184. *Quid de viatico sacro?*

2. Qui prævidet, in periculo mortis impendenti se non posse communicare, tenetur prævenire; quia periculum proximè prævisum est moraliter præsens.

3. Judex tenetur reo concedere spatium communicandi pro viatico, quod dari potest,

post horam occidendo, & ægro statim morituro.

4. Viaticum potest, debetque peti ab excommunicato, etiam non tolerato, si alius haberi non possit: Ecclesia enim censetur id in necessitate permittere, in qua Sacerdos, & Diaconus potest se ipsum communicare.

5. Qui tempore Paschali in periculo mortis non communicat, duplex specie peccatum committit; quia præcepta sunt specie diversa ex diverso fine.

6. In dubio, an æger sit per vomitum rejecturus viaticum, posset ei dari parva particula, etiam in liquore, quam crederetur non rejecturus; aut primò hostia non consecrata, quam si retineat, poterit dari consecrata; monendus tamen, ne adoret primam. De frequenti, & quotidiana Communione dixi in *Neo Conf. practicè instructo.* N. 254.

CAPUT V.

De Ritu Eucharistiæ, & Sacrificio Missæ.

QUÆSTIO I.

Quid sit Sacrificium in genere?

185. *Sacrificiũ propriè dictum.* RESP. Sacrificium, propriè dictum, & formaliter spectatum, est oblatio rei sensibilis externæ, authoritate publicâ determinatæ cum suî destructione, aut immutatione aliqua, à legitimo Ministro facta Deo in contestationem supremi ejus dominii in vitam, mortem,

esse

esse, & non esse omnium creaturarum, nostræque erga eum subjectionis.

Dixi 1. *Sacrificium propriè dictum*; quia latiùs acceptum est quælibet actio in vel externa, quâ Deus colitur, & sic dicitur Psal. 4. *Sacrificate Sacrificium Justitiæ.* Et Psal. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.*


Dixi 2. *Spectatum formaliter*: nam materialiter, & objectivè sumptum est res oblata, completè verò est oblatio, simulque res oblata;

Dixi 3. *Oblatio rei externæ sensibilis*; quia, cùm Sacrificium sit institutum ad cultum publicum, ab hominibus Deo exhibendum, debet esse sensibus perceptibile.

Dixi 4. *Cum aliqua suî immutatione, vel destructione*, sive illa sit physica, uti, quando olim mactabantur pecora: sive moralis, utì, quando res illa inutilis reddebatur ad usum humanum, cùm v. g. effundebatur liquor. Sic enim indicabatur Dei dominium in esse & non esse rerum vitam & mortem.

Dixi 5. *A legitimo Ministro*, id est, deputato authoritate publicâ; quia Sacrificium offertur nomine Communitatis, adeoque Minister deputari debet authoritate publicâ ejus, qui illi præest.

Dixi 6. *Facta Deo*; quia illi soli offertur Sacrificium. Ex quo intelligitur, finem immediatum Sacrificii esse cultum Dei &c.



QUÆSTIO II.

An, & quale in lege nova offeratur Deo in Missa Sacrificium?

Nomen *Missa* quibusdam videtur vox Hebraica, idemque significare, quod spontanea oblatio: aliàs videtur vox Latina, & significare Hostiam missam, seu oblatam Deo: & hinc in fine dicitur ad populum: *Ite Missa est*, scilicet hostia. Cæterùm per Missam ordinariè intelligitur totus ille ritus, quem Sacerdos in Altari à principio usque ad finem peragit. Unde hìc quæritur, an in Missa Deo offeratur Sacrificium. Ad quod

186. *Offertur in Missa.* Resp. In Missa offertur Deo verum, proprieque dictum Sacrificium. Est de fide: tum ex Scriptura, *ad Hebr. cap.* 5. & 1. *ad Cor. cap.* 10. tum ex Conciliis *Constantiensi Sess.* 13. & *Trid. Sess.* 22. *Can.* 1. tum ex perpetua traditione Ecclesiæ. *Ratio* autem *est*; quia omnia, quæ ad veri, proprieque dicti Sacrificii rationem pertinent, reperiuntur in Missa: nam 1mò in ea offertur Deo res sensibilis, nempe Christus sub speciebus panis & vini, idque per Ministrum legitimum, nempe Christum, qui est Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, & Sacerdotem ad id ordinatum.

Quomodo in Missa, fiat immutatio rei obla- 2. Res oblata Deo in recognitionem supremi ejus dominii in vitam & mortem, in esse & non esse creaturarum omnium destruitur tum misticè, cùm Corpus, & Sanguis Christi vi verborum separentur ab invicem, tum quadam ratione realiter; quia tota Christi humanitas

manitas sub speciebus corruptibilibus constituitur in statu realiter diverso, modoque quasi mortuo, & inutili ad omnes functiones corporeas exercendas, atque tendente ad desitionem, quatenus, speciebus corruptis, necessariò desinit ibi esse. Atque ità Christus accipit novum modum essendi; quo Deus intelligitur Author vitæ; quia autem modus ille essendi tendit ad corruptionem, intelligitur Deus & mortis habere potestatem. *ta, seu Christi?*

3. Res oblata etiam est determinata à suprema potestate, nempe à Christo Domino; quia idem, quod ipse in ultima Cœna obtulit, offerri jussit ab Apostolis, eorumque in Sacerdotio Successoribus, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.*

Ex his colliges sequentia: 1mò. Sacrificium Missæ adæquatè acceptum, ùt communiter accipitur, supponit pro consecratione, & victima; inadæquatè verò, activè, & formaliter sumptum essentialiter probabiliùs consistit in sola consecratione. *Ratio est*; quia sola Consecratio fit in nomine, & persona Christi, qui est principalis offerens, & hostia; materialiter denique, & passivè acceptum est ipsa Victima, seu Christus oblatus sub speciebus panis & vini. Unde definitur adæquatè spectatum Sacrificium, in quo Christus per conversionem panis in ejus corpus, & vini in ejus sanguinem, sub speciebus eorum offertur Deo in contestationem supremi ejus dominii in vitam, & mortem, esse, & non esse omnium creaturarum, nostræque erga eum subjectionis. 187. *Corollaria* *Sacrificii Missæ definitio.*

2. Eucharistia, ùt Sacrificium, differt ab Eucharistia, ùt est Sacramentum; quia, ùt Sacra-

mentum, ordinatur immediatè ad hominis sanctificationem, ut Sacrificium, immediatè ad cultum Dei refertur; quanquam & sanctificatio hominis ultimata referatur ad Dei cultum.

3. Christus in Cruce verum, propriéque dictum obtulit Sacrificium juxta illud ad *Ephes.* 5. *v.* 2. *Tradidit se ipsum pro nobis in oblationem, & hostiam.* Et ratio est; quia omnia ad Sacrificium requisita ibi reperiuntur: nam Christus, quà homo, mediator inter Deum, & hominem, ad id se obtulit, & à patre positus est Sacerdos maximus, ut infinito cultu latriæ hostiam se offerret, esseteque propitiatio pro peccatis nostris, & redimeret nos in sanguine suo, transferens de morte ad vitam. Nec obstat, quòd Christus se ipsum non occiderit; nam sufficit, quòd mortem, quam impedire poterat, Sacerdos destinatus acceptaverit, & liberè sibi inferri permiserit.

4. Differt Sacrificium Missæ à Sacrificio Crucis; quia hoc in ara Crucis peractum est cum physicâ effusione sanguinis, & Christi destructione, fuitque meritorium, & non significativum Sacrificii alterius; illud verò peragitur cùm sanguinis effusione solùm mystica, estque significativum Sacrificii Crucis, non meritorium ex parte Christi, sed applicativum Sacrificii Crucis, & meritorum Christi. Sunt tamen idem quoad rem oblatam.

5. Sacrificium Missæ differt accidentaliter à Sacrificio, quod Christus in ultima Cœna obtulit: nam in hac Christus obtulit se ipsum adhuc passibilem, vel mortalem, idque in signum mortis suæ futuræ, in Missa autem offertur jam immortalis, & impassibilis in signum rememorativum mortis præteritæ. An rea

rus oblata sit simul substantia panis, & vini, & horum species, controvertitur, Affirmant aliqui, alii negant, eò quòd eadem nunc hostia offeratur in Missa, quæ oblata fuit in Cruce; verùm hoc alii intelligunt de hostia primaria, & quo ad substantiam. An essentia Sacrificii salvetur in Consecratione unius speciei, etiam dubium est. Probabilis est affirmativa, quia in consecratione v. g. panis intelligitur adhuc mystica Christi destructio, & reliqua ad Sacrificium requisita. Utriusque tamen Consecratio est de præcepto.


QUÆSTIO III.

Quis, quotuplex, & quantus sit valor Sacrificii Missæ?

Resp. 1. Valor Sacrificii Missæ est condignitas ejus 1. Ad infinitam Dei complacentiam; quia est cultus latriæ infinitus. 2. Ad agendas pro beneficiis gratias Deo. 3. Ad propitiandum Deum peccatis offensum. 4. Ad impetrandum beneficia, & gratias: unde vis ejus quadruplex est, nempe Latreutica, quâ valet ad colendum Deum; Eucharistica, quâ valet ad agendas Deo pro acceptis beneficiis gratias; Propitiatoria, quâ valet ad placandum Deum peccatis offensum, ne in ira contineat misericordiam suam, sed peccata remittat; Impetratoria, quâ valet ad impetranda beneficia. Et hinc Sacrificium Missæ est Latreuticum, Eucharisticum, propitiatorium, & Impetratorium, æquivaletque, imò præcellit omnibus veteris legis Sacrificiis simul sumptis. 188. *Valor quadruplex.*

189. *Infinitus certo respectu.* Resp. 2. Valor Sacrificii Missæ, ùt à Christo oblati est in actu primo, seu secundùm se simpliciter infinitus, tam ex parte rei oblatæ, quàm personæ offerentis, quæ est Christus; valor tamen ejus, ùt impetratorium, & satisfactorium est in actu secundo finitus, id est, non causat infinitum effectum; quia Christus id non ordinavit, nisi ad obtinenda beneficia, & remittenda peccata finita; & hinc Ecclesia multiplicat Sacrificia ad eundem effectum. Et ratio congruentiæ est: quia expediebat illud repeti, tum ut sæpiùs Deo cultus latriæ, Majestati ejus condignus, deferretur, & memoria Passionis Christi frequenter recoleretur; tum ut homines excitarentur ad id frequentandum, & curandum. Ut verò Latreuticum, & Eucharisticum, est valoris infiniti in actu secundo; quia Deus in eo sibi infinitè complacet, & pro beneficiis Deo redditur cultus actu infinitus.

Dixi; *Sacrificii, ùt à Christo oblati*: nam ùt offertur à Sacerdote nomine suo, & Ecclesiæ, ab assistentibus, aut ad id concurrentibus, etsi sit infinitum ex parte rei oblatæ; non tamen ex parte offerentium; quia in oblatione honorifica spectatur personæ offerentis dignitas, quæ si finita sit, oblatio est tantùm valoris finiti; est enim submissio tantùm finita: & sic oblatio, quâ Beatissima Virgo obtulit in templo Filium suum, fuit tantùm valoris finiti.



QUÆS-

QUÆSTIO IV.

Qui sint effectus, fructusque Sacrificii Missæ, & quomodo hi causentur, & dividantur?

Cùm Sacrificium Missæ sit cultus Dei excellentissimus, certum est, quòd illud offerre cum debita dispositione, sit magni meriti; proinde optimè sibi consulent, qui quotidie dignè celebrant, aut illi intersunt: sed de hoc fructu hìc non quæritur; sed de eo, qui ex opere operato provenit, de quo

Resp. 1. Effectus ejus, ùt est latreuticum, est complacentia Dei tum ratione rei oblatæ, tum ratione principalis offerentis, qui est Christus Dominus, quà homo ratione unionis hypostaticæ dignitatis infinitæ, exhibens per illud Sacrificium sanctissimæ Trinitati cultum, latriæ perfectissimum, utpote ipse dignitatis infinitæ. 2. Ejus effectus, ùt est Eucharisticum, est quædam exsolutio debiti gratitudinis, pro acceptis beneficiis, cùm sit oblatio reciproca hostiæ pro illis cum eorum recognitione. 3. Ut propitiatorium est, ejus effectus est placatio Dei, & remissio peccatorum, & eatenus etiam satisfactorium est: eâ enim sub ratione exhibendo passionem, & satisfactiones Christi movet Deum ad clementiam, ne pœnas inferat, pergat irasci, ulcisci: juxta illud *Trident. Sess.* 22. *C.* 2. *Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit.* Denique effectus ejus, ùt est impetratorium, sunt gratiæ super-

192. *Effectus & fructus.*

supernaturales, aliaque beneficia etiam temporalia, quatenus ad salutem conducunt: ad hos enim effectus omnes Sacrificium Missæ est institutum; uti declarat praxis Ecclesiæ, illud in eum finem offerentis.

Unde patet, quòd fructus Sacrificii Missæ sint gratiæ, aliaque beneficia, & remissio peccatorum: quatenus enim est impetratorium, movet Deum ad conferendas gratias, & beneficia, & hic fructus impetratorius dicitur; quatenus verò est propitiatorium, movet eum ad misericordiam, ne pœnas promeritas inferat; sed placatus donum pœnitentiæ concedat, peccataque intuitu satisfactionum Christi remittat: & hic fructus dicitur satisfactorius, sicque indirectè hoc Sacrificium confert ad auxilia gratiæ impetranda, quatenus directè aufert indignationem, quæ obstabat quò minùs gratiæ uberiores conferrentur; & non solùm impetrando, sed etiam placando confert ad peccata delenda.

191. *Aliquos fructus causat mediatè tantùm alios immediatè.* Resp. 2. Sacrificium Missæ non causat hos fructus omnes immediatè ex opere operato, sed aliquos tantùm mediatè, alios immediatè; nam 1mò, nec sic gratiam primam sanctificantem, & remissionem peccati mortalis, quoad culpam, nec in justis augmentum gratiæ sanctificantis causat, sed solùm mediatè.

Ratio 1ma partis; quia ad ea sic causanda instituta Sacramenta sunt, non verò Sacrificium: hoc enim immediatè institutum est ad cultum Dei, constatque à posteriori: nam nemo dicet posse justificari immediatè peccatorem attritum per Sacrificium, pro eo oblatum, aut dormientes justos, & parvulos crescere

cere in gratia sanctificante, si pro iis offeratur Missæ Sacrificium.

Ratio 2dæ partis; quia immediatè, & ex opere operato causat auxilia gratiæ, quibus peccator moveatur ad perfectam eliciendam contritionem, vel suscipiendum cum attritione Sacramentum pœnitentiæ; atque sic mediatè gratiam sanctificantem, & remissionem peccati mortalis causat, ùt constat ex *Trident. cit.* Auxilia tamen non semper causat efficacia, uti constat experientia: nam peccatores, pro quibus Sacrificium offertur, non omnes convertuntur; & aliàs donum finalis perseverantiæ posset infallibiliter obtineri. 3. Alicujus pœnæ temporalis pro peccatis, quoad culpam remissis, adhuc debitæ remissionem causat ex opere operato infallibiliter; quia ex institutione Christi vim habet singularem applicandi fructus passionis, & satisfactiones Christi, ut colligitur ex *Trident. Sess.* 22. *C.* 1. & *Sess.* 23. ubi & docet hoc Sacrificium ritè offerri pro Vivis, & Defunctis. 4. Ex opere operato causat etiam mediatè saltem in justis remissionem venialium, quatenus impetrat auxilia gratiæ, quibus excitantur ad actus virtutum peccatis oppositos; imò probabiliter venialia justis remittit immediatè, ubi nullus ad illa est affectus etiam habitualis. 5. Causat beneficia temporalia, sed non infallibiliter; quia, quod Sacerdos petit, sæpe non est secundùm leges divinæ providentiæ, adeoque nec secundùm voluntatem Christi; neque expediebat tam ampla potestas hominibus impetrandi, quod vellent. An autem quæ causat non infallibiliter, sint propriè ex opere operato, controversia est de nomine. Affirmat Vasq. eò

quòd

quòd procedant ex opere propter ipsius dignitatem non attentâ Ministri probitate, vel malitiâ. Negat Suar. & Lugo, requirentes ad hoc, ut insuper procedant sine frustrationis periculo, certâ lege, & infallibiliter, ubi non est obex.

192. *Fructus ex parte participantium.* Resp. 3. Fructus Sacrificii Missæ ex opere operato procedens, dividitur in generalem, specialem, specialiorem: & specialissimum.

1mò. Generalis est, qui respondet Sacrificio, quatenus est opus positum à Sacerdote, ut operante nomine Ecclesiæ; hunc fructum, per se loquendo, participant omnes fideles, scilicet per modum impetrationis. Neque potest Sacerdos eum sibi applicare, vel alteri; quia Sacerdotes jure divino sunt constituti à Deo, ut pro peccatis populi offerant Sacrificia ad Hebr. 3. An omnes fideles participent fructum satisfactorium, dubium est. Affirmant aliqui cum Vasq. Tannero hic D. 5. Q. 8. putantes omnes Fideles capaces, Vivos, & Defunctos ex eo participare infallibiliter ex opere operato, ità ut aliquid de pœna peccatis quoad culpam remissis debita deleatur, eò quòd Christus sic Sacrificium potuerit instituère, & sic institutum esse congruat Majestati tanti Sacrificii. At aliis id videtur minùs credibile: ex tot enim millenis Sacrificiis quotidie oblatis, quivis justus, vivus, & defunctus immensæ pœnæ remissionem consequeretur. Proinde ii solùm pœnæ alicujus remissionem accipiunt, pro quibus specialiter oratur, vel offertur, vel qui Sacrificio assistunt, &c. Fatendum tamen, quòd Fideles singuli non ideo minùs participent de fructu impetratorio, quia ferè sunt innumeri: nam omnes per legatum Ecclesiæ offerunt. Unde quò plures sunt digniores,

tet, eò plus fructûs confertur ; quia singuli etiam offerunt pro aliis, ùt habetur in his verbis Canonis : pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerant.

2. Fructus specialis Sacrificii est, qui obvenit assistentibus, & cooperantibus ad illud.

3. Specialior est, qui obvenit illi, vel illis, quibus Sacerdos specialiter Sacrificium applicat : ùt, qui dederunt stipendium, Missam in eum finem fundarunt, &c. Hi participant ex opere operato de Sacrificio, ùt est impetratorium, propitiatorium, &, si nihil obstet, satisfactorium, possuntque fructum suum applicare alteri, sicut reliqua sua bona opera : Sacrificium enim offertur per modum cultûs publici, repræsentatque Christi merita omnibus communia. Quare fructus ille est omnibus communicabilis. Aliud est de fructu, à Sacramentis ex opere operato proveniente : forma enim Sacramentorum v. g. Baptismi demonstrat personam abluendam, Confirmationis forma personam spiritualiter roborandam, Eucharistiæ Sacramentum causat suum effectum velut cibus spiritualis, qui per se tantùm prodest sumenti illum. Fructus specialior ab aliis dicitur ministerialis ; quia pro arbitrio Ministri applicatur.

4. Fructus specialissimus est, qui obvenit Sacerdoti offerenti, velut personæ privatæ offerenti. An hunc possit alteri applicare, incertum est, & hinc pro eo nequit stipendium accipere speciale, ùt constat ex Damnata VI. ab Alexandro VII.



QUÆS-

QUÆSTIO V.

Pro quibus Sacrificium Missæ offerri possit?

193. *Per se pro omnibus fructûs alicujus capacibus.* Resp. Per se loquendo, pro omnibus, qui fructûs ejus alicujus, vel effectûs sunt capaces. Sicut enim Christus pro omnibus hominibus se obtulit in Ara Crucis; sic & offerri potest in Sacrificio Missæ pro omnibus, qui effectûs alicujus ex illo sunt capaces. *Si quis dixerit*, inquit Trident. Sess. 22. Can. 3. *Missæ Sacrificium non esse propitiatorium, vel soli prodesse sumenti: neque pro Vivis, & Defunctis, peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere; Anathema sit.*

194. *Corollaria.* Hinc 1. offerri potest pro adultis fidelibus justis, & injustis: illi enim capaces sunt fructus impetratorii, & satisfactorii: hi verò impetratorii.

2. Pro Infantibus baptizatis; quia iis impetrari possunt beneficia suo tempore danda.

3. Pro Catechumenis, & energumenis; quia nullibi reperiuntur exclusi.

4. Pro Infidelibus, Turcis, Judæis, ut convertantur: si enim licet offerre pro impetranda pluvia, aliisque beneficiis temporalibus; cur non pro salute animarum infidelium?

5. Pro excommunicatis toleratis, non verò pro non toleratis; quia id Ecclesia prohibet: & hinc dixi: *Per se loquendo.* Privatim tamen pro iis orare Sacerdos posset.

6. Pro animabus in purgatorio, quia capaces sunt fructûs satisfactorii, imò & impetratorii,

torii, quatenus à Deo impetrari potest, ut homines in hac vita degentes piis inspirationibus excitet ad succurrendum animabus illis, precibus, eleëmosynis, sacrificiis, aliisque sanctis operibus. An autem per Sacrificium Missæ animæ in Purgatorio, pro quâ offertur, infallibiliter remittatur, saltem pars pœnæ, adhuc debita, aut liberetur infallibiliter ea, pro qua celebratur in Altari privilegiato, utrimque probabiliter controvertitur, De quo videri potest La Croix L. 6. P. 2, N. 53. N. 59. & N. 524.

7. Offerri potest Deo in gratiarum actionem pro beneficiis, concessis humanitati Christi, Bmæ Virgini, aliisque Sanctis, proque eorum honore gloriaque accidentali augenda. Est enim illis honori, quòd in tanto Sacrificio nominentur; quòd per eorum intercessionem supplicetur Deo; quòd Deus, eorum intercessione interveniente, nobis beneficia conferat, sicque Sanctos suos honorificet. Hinc Sacerdos post Offertorium in Missa petit, ut prosit Sanctis ad honorem, & nobis ad salutem. Et hoc est offerre in honorem Sanctorum Sacrificium, quod fit soli Deo.

8. Offerri non potest pro damnatis; quia fructûs nullius sunt capaces.

QUÆSTIO VI.

Quando Sacrificium Missæ majorem, & quando minorem fructum conferat?

Resp. 1. Oblatum pro meliùs disposito, plùs ei prodest ex opere operato, quàm oblatum 195. *Plùs prodest* pro

meliùs dispo-sito. pro minùs dispoſito. *Ratio eſt*; quia ex opere operato prodeſt per modum cauſæ neceſſariæ: ergo ſicut Sacramenta meliùs diſpoſitis conferunt majorem gratiam, ità & Sacrificium. Et hinc etiam patet, cur unum Sacrificium non ſufficiat ad impetrandum omne bonum, & placandum Deum pro omnibus peccatis: hoc enim provenit tum ex defectu noſtræ devotionis, tum quia non conveniebat.

196. *An etiam, ſi à ſancto Sacerdote offeratur?* Reſp. 2. Sacrificium, oblatum à ſancto Sacerdote, ex opere operato non plùs prodeſt, quàm oblatum à malo; quia ſic ſpectatum eſt opus Chriſti, & continet eandem virtutem, nempe merita Chriſti, & hoc ſenſu dicitur Miſſa Sacerdotis mali tanti valere, quanti valet Miſſa Sacerdotis boni. Ex opere tamen operantis plùs prodeſt, ſi nempe, & hunc fructum alteri donet. Etſi enim Sacrificium, quatenus à Chriſto, mali etiam Sacerdotis miniſterio, offertur, effectus ſuos, & quidem ſtatim complacentiam Dei, & ſolutionem gratiarum, juſtisque remiſſionem pœnæ ſaltem quoad partem; auxilia verò gratiæ, aliaque beneficia, ſi non in ſe, attamen in æquivalenti opportuno tempore ex opere operato (quod ſoli conſecrationi, quâ Chriſtus miniſterio Sacerdotis ſe ſacrificat) convenit, cauſet infallibiliter; atque ritus & orationes in Miſſis, aliisque officiis publicis, quatenus ab Eccleſia, utpote ſemper Deo grata, fiunt per malum Sacerdotem, ſint fructuoſæ; quò tamen dignior eſt Sacerdos, & quantò majori cum devotionis, & charitatis affectu ea peragit, tantò majorem vim habent impetrandi, & ſatisfaciendi ex opere operantis: Unde ſimpliciter fructuoſior eſt Miſſa, à bono, quàm à malo Sacerdote cele-

celebrata. Idem est de ministrantibus, & cooffertentibus, qui assistunt.

Resp. 3. Oblatum specialiter pro multis non tantum prodest singulis, quàm oblatum pro uno tantùm: sic habet communis Fidelium sensus, qui dant stipendium, ut pro sua intentione offeratur: pro ratione est voluntas Christi, ut sic homines excitarentur ad procuranda Sacrificia, & sustentandos Ministros, quæ ex magna parte non obtinerentur. si Missa pro civitate, vel regno, vel toto mundo, oblata, singulis tantum prodesset, quantum, si pro uno tantùm. Et aliàs posset Sacerdos, qui à duobus stipendia accepisset, satisfacere legendo unam Missam, quod falsum esse constat ex opposita opinione damnata. Econtra; si plures audiant Sacrum, non minùs singuli participant, quàm si unus audiret: est quoque communis sensus, sicque conveniebat à Christo ordinari, ne Fideles arcerentur à concursu, & communi devotione; sed potiùs allicerentur, ut conjuncto fervore cum majore solennitate divinis interessent. Vide Analis. n. 152. 197 *An si pro uno tantùm?*

Porrò, ut Fideles generalem fructum participent, non requiritur in Sacerdote intentio expressa; sed sufficit virtualis, quâ intendat celebrare secundùm Christi institutionem, & Ecclesiæ praxin. Nec in Fidelibus requiritur intentio, aut cognitio, sed sufficit, quòd sint membra Ecclesiæ, & sic omnes de plenitudine Christi accipimus. Ut tamen quis specialem fructum participet, requiritur intentio celebrandi pro ipso in Sacerdote: Sacerdotes enim Christus constituit dispensatores mysteriorum Dei, quorum operatio non extendit se ultrà intentionem eorum.

QUÆSTIO VII.

An Sacerdotes teneantur aliquando celebrare Missam vi Ordinis?

298. *Tenentur aliquoties in anno.* Resp. Tenentur omnes jure divino sub mortali etiam vi Ordinis: nam 1. teste *Trid. Sess.* 22. C. 1. Christus, in ultima Cœna Apostolos ordinans Sacerdotes, illis, eorumque Successoribus id præcepit his verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.* 2. Sacerdotes in sua ordinatione accipiunt non tantùm potestatem, sed munus Sacrificium offerendi suscipiunt potestati illi per se annexum, dicente Apostolo ad Hebr. 5. *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat Sacrificia.* Jam verò quisque tenetur munus susceptum obire, & quidem sub mortali in re gravi, uti hic est, & potestate sibi traditâ uti in honorem Dei, & salutem proximi. Aliàs cum servo inutili, qui Matthæi 25, talentum abscondit, condemnabitur. Hinc Pius V. sententiam Cajetani, contrarium docentis, tanquam improbabilem jussit expungi, & *Trid. Sess.* 25. *C.* 14. monet Episcopos, ut quoscunque Sacerdotes etiam non curatos adigant ad celebrandum diebus Dominicis, & Festis solennioribus. Putant tamen *S. Thom.* 3. *P. Q.* 82. *Art.* 10. satisfacere præcepto illum, qui per annum quater, vel quinquies Festis solennioribus celebrat; modò aliunde v. g. ratione Beneficii non obligetur ad frequentiùs celebrandum.

QUÆS-

QUÆSTIO VIII.

Quo die, quâ horâ, quoties liceat celebrare?

Resp. 1. Regulariter licet omni die celebrare cuilibet Sacerdoti, excipitur Feria 5ta, & 6ta cum Sabbato majoris Hebdomadæ: nam Feria 5ta ex laudabili consuetudine, una tantùm dicitur Missa publica in qua reliqui Sacerdotes communicant in memoriam Cœnæ ultimæ, in qua Christus Sacrificium obtulit, & Apostoli communicârunt. Privatim tamen celebrare saltem ex causa rationabili licere cuilibet Sacerdoti, habet satis communis sententia cum Suar. Lugone, & aliis passim teste La Croix. Si Decretum aliquod S. Congreg. in contrarium exstat, id aut non est legitimè promulgatum, aut non receptum in Germaniâ, ùt declarat consuetudo. Deinde Feria 6. prohibetur Missa sub mortali, nec datur Communio, nisi fortè infirmus sit viatico muniendus; quia eo die Ecclesia recolit cruentum Sacrificium in Cruce oblatum. Hinc si pridie non reservâsset Sacerdos hostiam majorem, adhibenda esset minor, si adsit consecrata; si desit, curet Parochus, ut alius Sacerdos celebret privatim, & duas hostias consecret. Si alius haberi nequeat, & timeatur inevitabile scandalum, Parochus privatim celebret servato jejunio, & duas hostias consecret; quia præceptum naturale de scandalo vitando prævalet Ecclesiastico. Denique Sabbato sancto celebratur quoque tantùm unica Missa publica; nec consultum est plures privatim dici, etsi id li-

199. *Omni die, exceptâ hebdomadâ sanctâ.*

An Feria 5. & Sabbato majoris hebdomada?

cere multi doceant. Imò nec eo die licet præsente funere; quia Ecclesia id prohibet.

200. *Quâ horâ.* Resp. 2. Jure communi Missa non est absolvenda ante auroram, id est sesqui hora ante solis ortum, nec post meridiem inchoanda: sic habent Rubricæ; & generalis consuetudo. Excipe 1mò diem Nativitatis Domini. 2. Nisi sit necessitas pro viatico infirmi conficiendo. 3. Nisi consuetudo, & tacita ordinarii licentia aliud permittat, aut justa causa excuset: nam in multis locis hora anteverritur, vel differtur, vel in hyeme in gratiam opificum maturiùs celebratur; idemque fieri potest, si in magna solennitate alioquin non omnes Missæ dici possent, aut quis iter suscepturus, non posset commodè seriùs celebrare. Possunt quoque Superiores Religiosi cùm suis dispensare, ut ex justa causa maturiùs celebrent; quia possunt cùm suis, quòd Episcopi cùm Sæcularibus. La Croix N. 225. An cæteroquin liceat Missam inchoare post duodecimam, spectanda est consuetudo, & ordinatio Episcopi. Pius V. prohibuit celebrari vesperi, id est, post Tertiam. Ex rationabili causa, ubi specialiter non est prohibitum, putant multi licere celebrare post meridiem, modò incipiatur ante Primam, imò juxta Dicast. Nav. Gobat ante Tertiam. Noctem Nativitatis quod attinet, voluit quidem Sacra Cong. non omnes Missas dici de nocte; contrarium tamen obtinet consuetudo non improbanda, si ob copiam Sacerdotum non omnes Missæ reliquæ aliàs commodè dici possint. An Missa licitè dici posset, Matutino cum Laudibus non persoluto, dubium fuit ob *Rubricas Missales*: sed nunc communis affirmat, si adsit aliqua-

lis

... causa; quia Rubricæ vel non sunt præceptivæ, vel loquuntur de Missa conventuali in Collegiatis, vel non obligant, nisi sub veniali, ubi non adest causa: non enim est specialis connexio Missæ cum Matutino.

Resp. 3. Etsi olim Sacerdos toties licitè potuerit celebrare quotidie, quoties placebat; nunc tamen non licet, nisi semel quolibet die. *Cap. Consuluisti de Celebrat. Miss.* 101 *Per se tantùm semel de die licet celebrare.*

Excipitur 1mò dies Nativitatis, in quo cuilibet licet ter celebrare, etsi ad id non sit obligatio, uti nec ad audienda tria Sacra. Non potest tamen, qui bis celebravit, dein licitè Laico more communicare; quia sola celebratio terna permittitur. Ordinatus Sacerdos in Natali Domini potest dein duas Missas dicere; quia non communicavit more Laico, sed de suo Sacrificio.

2. Si Parochus habeat duas Parochias, aut sit casus alius necessitatis, vel causa gravis, v. g. si Parochus vicinus die festo ægrotet, aut absit, & populus Missæ alibi interesse non posset. In his tamen spectanda consuetudo, & ordinatio Episcopi, cujus licentia requiritur, si accessus non sit nimis difficilis. Secùs potest quisque prudens de causa judicare.

3. Si in subito casu viatico muniendus esset infirmus, & deesset hostia consecrata: in hoc casu multi cum Tambur. censent, posse celebrari etiam à non jejuno. Si tamen Sacerdos in primo Sacro moneretur ante sumptionem hostiæ, particula de majore hostia danda foret infirmo. Denique qui habet duas parochias, potest in Natali Domini sex Missas celebrare, si aliis diebus ei liceat in qualibet celebrare semel

QUÆSTIO IX.

An locus, in quo Missa celebratur, debeat esse sacer? à quo consecratus, vel benedictus? & quomodo is polluatur, exsecretur, seu profanetur?

202. *Per se locus debet esse sacer.*

Resp. 1. Sub mortali, per se loquendo, debet esse locus consecratus, vel authoritate Episcopi benedictus, vel saltem ab eo ad cultum divinum deputatus. Constat ex *Trid. Sess.* 22. *& ex Cap.* 11. *de Consecratione Dist.* 1 Idque exigit reverentia tanti mysterii, & augmentum devotionis populi.

Dixi 1. *Per se loquendo*: nam in Altari portatili, seu lapide, ab Episcopo consecrato, licet celebrare extra locum sacrum in necessitate, ut si Ecclesia sit deruta, vel combusta, & populus aliàs audire Sacrum non possit; vel si Ecclesia desit, ut in castris, in longa navigatione: tunc enim in litore maris, imò in ipso mari pacato, alio Sacerdote, vel Diacono tenente calicem, celebrari poterit. Item tempore pestis, quando in templo sine periculo legi non potest: tunc enim in privatis ædibus fieri poterit.

Dixi 2. *Vel ab eo ad cultum divinum deputatus*: nam imò potest Episcopus facultatem concedere in ædibus privatis non tantùm Sacellum publicum, id est, quod ingressum ex via publica habeat; in quo perpetuò celebrari Missa possit; sed etiam Oratorium privatum, ad quod ex via publica non sit accessus, ex gravi causa erigendi, v. g. nobili constanter infirmo. Sic enim in his partibus

tibus habet praxis Episcoporum. Nec obstat Decretum *Clementis XI.* apud La Croix L. 6. P. 2. post N. 258. quia non loquitur de casu infirmitatis, aut necessitatis.

Circa hoc tamen notandum, causam allegatam concessionis debere esse veram; aliàs privilegium non subsistit: & locum debere servari mundum, clausum saltem cortinâ. & in eo non exerceri profana, v. g. convivia, non collocari lectum &c. Deinde, si in concessione exprimatur, ut una tantùm Missa quovis die dicatur, secundam legere sub mortali non licet. Unde celebraturus in tali Oratorio, bene se informet. Excipiuntur quoque certa Festa, quod aliqui putant non habere vim legis, maximè, ubi consuetudo est contraria. An extranei in tali Oratorio satisfaciant præcepto audiendæ Missæ, dixi P. 2. N. 287. *Oratorium privatum.*

2. Regulares ex privilegio speciali, non requisito Episcopo, possunt in suis domibus, cellis infirmorum, grangiis, & villis, ubi resident, erigere Oratoria, & Capellas domesticas, & Sacra dicere in Altari portatili, seu lapide consecrato; estque hoc privilegium locale, vi cujus etiam externi possunt ibi celebrare, & satisfacere præcepto audiendi Missam. Nec huic privilegio derogavit *Trident.* quod loquitur tantùm de domibus privatis & profanis, quo nomine non veniunt domus Religiosorum. Nec Decretum *Clementis XI.* quia solùm declarat, quæ privilegia à *Trid.* sint revocata, & non afficit post *Trid.* concessa, quale est præsens Societati JESU à *Greg. XIII.* concessum.

3. Potest simplex Sacerdos ex licentia Epi-

scopi Ecclesiam benedicere aspersione aquæ communis benedictæ.

Resp. 2. Locum consecrare, benedicere, pollutum reconciliare de jure est solius Episcopi; possunt tamen Superiores Religiosi, vi privilegii à *Leone X.* concessi, solenniter benedicere sui Ordinis Ecclesias, Cœmeteria, Oratoria ubicunque existentia, & polluta reconciliare. Potest quoque simplex Sacerdos, de licentia Episcopi, Ecclesiam benedictam tantùm, & dein pollutam reconciliare, aspersione aquæ benedictæ: consecratam, & dein exsecratam, reconciliare potest solus Episcopus *Cap. 9. de consecratione Eccles.* Porrò non reconciliatur per solam Missæ celebrationem, etsi bonâ fide in ea factam; quia consecratio, & benedictio Ecclesiæ est instituta Jure Canonico, adeoque fieri debet per ritus, ab eo præscriptos, deputatioque ejus fit per potestatem Ecclesiasticam ad cultum divinum; nullus enim Canon id per celebrationem Missæ fieri posse statuit.

203. *Sacrare & reconciliare locum quis possit?*

204. *Quando Ecclesia polluatur.*

Resp. 3. Ecclesia polluitur, ità, ut reconciliatione egeat, nec antè sub mortali liceat in ea celebrare ex præcepto Ecclesiæ.

1. Per injuriosam humani sanguinis effusionem, quæ vox copiam sanguinis indicat, *Cap. ult. de consecrat. Ecclesia.*

2. Per homicidium voluntarium, & injuriosum, factum in Ecclesia, etiam sine sanguinis effusione v. g. per venenum, strangulationem &c. Secùs si sit involuntarium. Dixi; *Factum in Ecclesia*: nam non polluitur, si quis foris percussus ad eam confugiat, ibique moriatur, aut multum sanguinis effundat; at polluitur, si, vulnere in Ecclesia accepto, foras

exeat,

exeat, & ibi moriatur, vel sanguinem copiosum fundat; quia mors & effusio causata est in Ecclesia. Idem dicendum, si quis in Ecclesia existens vulneretur v. g. jactu lapidis, vel glande plumbea ab existente extra Ecclesiam, ex *Cap.* 4. *De Consecrat.* Delbene ait, non esse improbabile, quòd sanguinis effusio debeat fieri in Ecclesia: La Croix N. 282. quia jus Canonicum hoc dicit, & materia est odiosa.

3. Per voluntariam humani seminis effusionem, si fiat publica, ex *Cap. ult. de Consecrat.* Etiam per actum conjugalem, nisi inclusos excusaret periculum incontinentiæ lethalis; *quia ubi lex non distinguit*, nec nos distinguere debemus; effusio iterum denotat copiam seminis, qualis non est distillatio.

4. Per sepulturam excommunicati non tolerati; secùs est de tolerato, & hæretico non denunciato speciatim. Hinc non polluitur Ecclesia in Germania, ubi hæretici permixti habitant Catholicis, per illorum sepulturam, etsi hæc illicita foret.

5. Per sepulturam infidelis, non baptizati, *Cap.* 27. & 28. *de Consecrat. Dist.* 1. Per Catechumeni sepulturam in loco sacro probabiliter non polluitur; quia est professione fidelis. An per sepulturam infantis non baptizati polluatur, distinguendum est: nam si sit ex parentibus infidelibus, polluitur; quia censetur infidelis professione parentum: si autem sit ex parentibus fidelibus, pollui negant Palud. Pasq. & alii; quia nec in se, nec professione parentum est infidelis positivè, jura autem odiosa intelligi debent de positivè infideli, saltem professione parentum, & quando-

que nominatur paganus, quo nomine venit positivè infidelis. Pollui affirmat communior cum Suar. Lug. & aliis apud La Croix N. 287. quia talis infans est infidelis saltem negativè. Quidquid sit de hoc; talis infans sepeliri non debet in loco sacro, fidelium sepulturis destinato; sed in loco diviso à cœmeterio per murum, vel sepem, ùt habet consuetudo.

Quæ hactenus dixi de Ecclesia, procedunt etiam de Cœmeterio benedicto; ità ut mortale sit in eo sepelire non baptizatos &c. & eodem modo reconciliatur. Cæterum nec Ecclesia, nec Cœmeterium censetur pollui, adeoque nec indiget reconciliatione; nisi factum publicè constet, & sit notorium, ità, ut nulla tergiversatione celari possit.

205. *Quando exsecretur?* Resp. 4. Ecclesia exsecratur, seu consecrationem amittit, si parietes secundùm majorem suî partem corruant, aut destruantur, vel omnis eorum crusta, vel saltem major ejus pars simul auferatur, secùs si per partes parietes paulatim, & successivè auferantur, & reficiantur; quia censetur tunc manere idem numero templum, modò tamen pars addita non sit major; quia traheret ad se minorem. Neque si solum tectum cum fornice corruat, aut auferatur; quia Consecratio adhæret potissimum parietibus, & exterioribus crustis, in quibus linitio, & Cruces fiunt. Ex *Can.* 20. *de Consecrat. Dist.* 1. juncto *Cap. ligneis de Consecrat.* Si tamen unus paries totus simul destrueretur, videtur desinere Consecratio; quia desinit forma templi veri, quod constare debet 4. parietibus.

Porrò exsecratâ Ecclesiâ non ideo exsecrantur

tur Altaria, nec viciſſim. Polluta tamen Eccleſia polluuntur Altaria, imò & Cœmeterium, ſi ſit contiguum; quia acceſſorium ſequitur conditionem ſui principalis: ſecùs ſi ſit remotum. Econtra, polluto Cœmiterio, non polluitur ideo Eccleſia; quia minus non trahit ad ſe majus, nec acceſſorium principale.

Nota. Nomine Eccleſiæ hìc venit non quivis locus ſacer, ſed locus communis ab Epiſcopo conſecratus, vel benedictus, ut in eo publicè celebretur: unde eo nomine non venit Sacriſtia, campanile, turris; ſed tantùm ſpatium interius à tecto interiore uſque ad pavimentum, & à pariete ſummi Altaris ad parietem oppoſitum ſecundùm dicta P. 2. N. 197. Quare, ſi quid ex prædictis committatur ſupra fornicem templi, vel tectum, vel in cameris adhærentibus, vel in Sacriſtia illo ſpatio non incluſa, vel in ſpecu ſubterranea, non deputata ad ſepulturam; vel in Oratorio privato, vel in domo, ab Epiſcopo deputata ad celebrandum; non prohibetur ideo in hoc, vel in Eccleſia celebrare. Sunt tamen, qui putant nomine Eccleſiæ etiam venire loca publica, ſine conſecratione, & benedictione ab Epiſcopo deputata, ut ibi celebretur, ùt ſunt Eremitoria aliqua, & hoſpitalia. In dubio, an Eccleſia ſit polluta, habenda eſt pro non polluta; quia poſſeſſio eſt pro ejus ſanctitate. Si aliqui pollutam affirment, alii negent, ſtandum eſt judiciò Epiſcopi, qui, ſi toleret, hoc ipſo tollit pollutionem. La Croix N. 293. Quando exſecretur Altare, Calix, &c. patebit Q. ſequente. 206. *Quid hic veniat nomine Eccleſiæ*



QUÆS-

QUÆSTIO V.

Quæ prætereà requirantur ad licitè celebrandum?

307. Resp. Requiritur 1mò lapideum Altare ab Episcopo consecratum, fixum, vel portatile, tam amplum, ut hostiam, & majorem partem calicis capiat. Ex *Miss. Rom.* Utrumque amittit suam consecrationem, si non maneat moraliter secundùm formam artificialem idem, aptumque ad finem suum. Hinc perit consecratio, si lapis ità frangatur, ut nulla pars ejus calicem cum patena capere possit: si ità destructa sit forma artificialis, ut, qui antè vidisset, non agnosceret pro eodem: Item si in Altari fixo removeatur lapis à basi. Econtra non perit Consecratio per fissuram, modò ambæ partes lapidis nec à se, nec ab inferiore structura separentur: Fissura enim non tollit formam; sed est instar vulneris, potestque glutine uniri, sicque manet unus lapis. Nec si structura Altaris fixi tota, integra ad alium locum Ecclesiæ transferatur; Imò notat Gobat non perire Consecrationem per separationem lapidis à Basi, si non sit consecrata pars utraque nec si lapis sit fractus; tantùm in quatuor cornibus. Nec portatile exsecratur, si addatur, vel tollatur lignea circa circum capsula; uti nec hoc polluitur, pollutâ Ecclesiâ. Imò, si divideretur in duas partes; quarum qualibet calicem cum patena caperet, posse servire in duabus aris, habet communis, teste La Croix N. 301. quia totus lapis est consecratus. At si neutra pars sit eò sufficiens, & uni

1. Altare lapideum. Quando Altare exsecretur?

uni aliquid agglutinetur, non ideo recipit consecrationem.

Controvertitur, an pereat Consecratio Altaris, si frangatur sigillum, vel removeatur sepulchrum cum reliquiis. Affirmant multi Canonistæ, & cum iis Azor, Sporer. & alii. Negant probabiliter Lugo, Dicast. Vasq. aliique multi; quia ista adduntur decentiæ causa, & non sunt de essentia Altaris consecrati: nemo enim dicit, in Altari portatili necessariò poni debere reliquias. Consuetudo tamen habet, ut tunc Altare de novo consecretur, quod tamen tantùm Consilii esse dicunt Castrop. & alii. Hæc fusiùs discussa videri possunt apud La Croix N. 306. 208. *An exsecretur, si sigillum frangatur?*

2. Requiritur Calix cum patena, ab Episcopo, vel alio ex privilegio Papæ consecratus; debetque esse ex auro, vel argento: aut, si paupertas cogat, saltem ex stanno; quod sufficere putat *S. Thom.* 3. *P. Q.* 83. *A.* 3. *ad* 6. etsi non cogat paupertas, quem sequuntur alii contra alios. Non est tamen necesse, ut patena sit ejusdem materiæ cum calice, modò sit talis, ex qua calix esse potest. 209. *2. Calix consecratus.*

Porrò calix exsecratur 1. Dum cuppa calicis fixi per fractionem separatur à pede; quia consecratio cadit in totum calicem per modum unius indivisibiliter; secùs est, si pes sit tornatilis: tum enim consecratio cadit in solam cuppam. 2. Si interior cuppæ superficies denuò inauretur; quia superficies, utpote immediatè contingens Eucharistiam, debet esse consecrata. Idem dic de patena. 3. Si fiat inutilis ad Sacrificium v. g. ob foramen in cuppa. Econtra calix non exsecratur, idem est de patena, si inauratio paulatim pereat: quia remanens est con- *Quando Calix exsecretur?*

consecratum; neque, si quis eum sacrilegè adhibuisset ad usus profanos, vel artifici detur reficiendus, modò fractura non sit notabilis, nec superficies interior cuppæ mutetur: nam nullibi jus, quod in istis casibus exsecretur, statuit.

210. *3. Tres mappæ lineæ.* 3. Requiruntur in Altari tres mappæ lineæ, ab Episcopo, vel Sacerdote, habente potestatem, benedictæ. Ex consuetudine sufficiunt duæ, & pro tertia servire potest Corporale: imò una longa potest servire pro pluribus, si duplicetur, vel triplicetur, saltem quoad illam partem, in qua est lapis consecratus; aut, si totum Altare sit consecratum, in qua ponitur calix & patena. Extra necessitatem celebrare absque omni mappa, est mortale; in gravi necessitate juxta Suar. culpâ, vacat; imò tunc posse adhiberi non benedictam, quæ dein ad usus profanos redeat, docent cum Suar. Laym. Spor. & alii.

211. *4. Corporale.* 4. Requiritur Corporale lineum, mundum, benedictum ab Episcopo, vel ab alio, potestatem habente, quod sit sufficiens ad continendum calicem, & patenam. Item palla similiter benedicta, & linea, saltem quâ parte calicem tangit, & purificatorium lineum, quod non necessariò debet esse benedictum. Hinc in defectu posset pro eo adhiberi strophiolum mundum, quo tamen postea non erunt ampliùs tergendæ nares. Purificatorium lavandum primò debet à persona sacra lavari; sufficit tamen, si sit Clericus tonsuratus; nec est mortale, si prima lotio fiat à Laico, nec, si aqua non mittatur in Sacrarium, sed in alium locum decentem. Econtra, mortale est celebrare sine Corporali benedicto, nisi excuset necessitas.

Idem

Idem dicit Suar. de palla ; sed negant alii. Si palla desit, & intra quadrantem horæ haberi nequeat, potest calix tegi alio Corporali, quod esse posse ex canabe, vel gossipio probat usus, inquit Gobat.

5. Requiritur lumen ex duplici candela cerea. Non esset tamen mortale cum una sine contemptu celebrare : imò in necessitate sufficit una quin & lumen ex sebo, vel lampade. Sine omni autem lumine, etiam in gravi necessitate, celebrare, juxta communiorem est mortale. Probabilis tamen etiam est opposita sententia : quia non est secundùm se necessarium ad reverentiam, sed solùm ex præcepto Ecclesiæ, à quo excusat gravis necessitas. Unde, si Missa sit incepta cum lumine, & perducta post Offertorium, citra Consecrationem, & tum utrumque lumen extinguatur, nec possit reaccendi, probabiliùs Missa est continuanda ; quia talis abruptio magis inconveniens est, quàm ista carentia luminis. Ità contra alios Lugo & La Croix ob eandem rationem. Si una candela extinguatur sub Missa, monito Ministro, pergat Sacerdos ; Si verò utraque, judicet ex circumstantiis : si enim id fiat ante Consecrationem immediatè, & statim accendi possint, exspectet, dum accensæ sint : si post Consecrationem, pergàt ; quia continuatio Missæ est decentia intrinseca, quare præferri debet decentiæ extrinsecæ luminis. Porrò candelæ profanæ in Missa possunt adhiberi ; sique ex cera haberi possint, & adhibeantur ex alia materia, non est mortale; sebum tamen in defectu ceræ debet præferri oleo. Quod si sebaceæ tantùm candelæ haberi possint, ex sola devotione cum iis celebrare licitum dicit cum aliis Gobat.

212. 5. *Lumen.*

6. Re-

QUÆSTIO IX.

An locus, in quo Missa celebratur, debeat esse sacer? à quo consecratus, vel benedictus? & quomodo is polluatur, exsecretur, seu profanetur?

202. *Per se locus debet esse sacer.* Resp. 1. Sub mortali, per se loquendo, debet esse locus consecratus, vel authoritate Episcopi benedictus, vel saltem ab eo ad cultum divinum deputatus. Constat ex *Trid. Sess. 22. & ex Cap. 11. de Consecratione Dist. 1* Idque exigit reverentia tanti mysterii, & augmentum devotionis populi.

Dixi 1. *Per se loquendo*: nam in Altari portatili, seu lapide, ab Episcopo consecrato, licet celebrare extra locum sacrum in necessitate, ùt si Ecclesia sit deruta, vel combusta, & populus aliàs audire Sacrum non possit; vel si Ecclesia desit, ùt in castris, in longa navigatione: tunc enim in litore maris, imò in ipso mari pacato, alio Sacerdote, vel Diacono tenente calicem; celebrari poterit. Item tempore pestis, quando in templo sine periculo legi non potest: tunc enim in privatis ædibus fieri poterit.

Dixi 2. *Vel ab eo ad cultum divinum deputatus*: nam imò potest Episcopus facultatem concedere in ædibus privatis non tantùm Sacellum publicum, id est, quod ingressum ex via publica habeat; in quo perpetuò celebrari Missa possit; sed etiam Oratorium privatum, ad quod ex via publica non sit accessus, ex gravi causa erigendi, v. g. nobili constanter infirmo. Sic enim in his partibus

tibus habet praxis Episcoporum. Nec obstat Decretum *Clementis XI.* apud La Croix L. 6. P. 2. post N. 258. quia non loquitur de casu infirmitatis, aut necessitatis.

Circa hoc tamen notandum, causam allegatam concessionis debere esse veram; alias privilegium non subsistit: & locum debere servari mundum, clausum saltem cortinâ, & in eo non exerceri profana, v. g. convivia, non collocari lectum &c. Deinde, si in concessione exprimatur, ut una tantùm Missa quovis die dicatur, secundam legere sub mortali non licet. Unde celebraturus in tali Oratorio, bene se informet. Excipiuntur quoque certa Festa, quod aliqui putant non habere vim legis, maximè, ubi consuetudo est contraria. An extranei in tali Oratorio satisfaciant præcepto audiendæ Missæ, dixi P. 2. N. 287. *Oratorium privatum.*

2. Regulares ex privilegio speciali, non requisito Episcopo, possunt in suis domibus, cellis infirmorum, grangiis, & villis, ubi resident, erigere Oratoria, & Capellas domesticas, & Sacra dicere in Altari portatili, seu lapide consecrato; estque hoc privilegium locale, vi cujus etiam externi possunt ibi celebrare, & satisfacere præcepto audiendi Missam. Nec huic privilegio derogavit *Trident.* quod loquitur tantùm de domibus privatis & profanis, quo nomine non veniunt domus Religiosorum. Nec Decretum *Clementis XI.* quia solùm declarat, quæ privilegia à *Trid.* sint revocata, & non afficit post *Trid.* concessa, quale est præsens Societati JESU à *Greg. XIII.* concessum.

3. Potest simplex Sacerdos ex licentia Epi-

scopi Ecclesiam benedicere aspersione aquæ communis benedictæ.

203. *Sacrare & reconciliare locum quis possit?* Resp. 2. Locum consecrare, benedicere, pollutum reconciliare de jure est solius Episcopi; possunt tamen Superiores Religiosi, vi privilegii à *Leone X.* concessi, solenniter benedicere sui Ordinis Ecclesias, Cœmeteria, Oratoria ubicunque existentia, & polluta reconciliare. Potest quoque simplex Sacerdos, de licentia Episcopi, Ecclesiam benedictam tantùm, & dein pollutam reconciliare, aspersione aquæ benedictæ: consecratam, & dein exsecratam, reconciliare potest solus Episcopus *Cap. 9. de consecratione Eccles.* Porrò non reconciliatur per solam Missæ celebrationem, etsi bonâ fide in ea factam; quia consecratio, & benedictio Ecclesiæ est instituta Jure Canonico, adeòque fieri debet per ritus, ab eo præscriptos, deputatioque ejus fit per potestatem Ecclesiasticam ad cultum divinum; nullus enim Canon id per celebrationem Missæ fieri posse statuit.

204. *Quando Ecclesia polluatur.* Resp. 3. Ecclesia polluitur, ità, ut reconciliatione egeat, nec antè sub mortali liceat in ea celebrare ex præcepto Ecclesiæ.

1. Per injuriosam humani sanguinis effusionem, quæ vox copiam sanguinis indicat, *Cap. ult. de consecrat, Ecclesia.*

2. Per homicidium voluntarium, & injuriosum, factum in Ecclesia, etiam sine sanguinis effusione v. g. per venenum, strangulationem &c. Secùs si sit involuntarium. Dixi: *Factum in Ecclesia*: nam non polluitur, si quis foris percussus ad eam confugiat, ibique moriatur, aut multum sanguinis effundat; at polluitur, si, vulnere in Ecclesia accepto, foras exeat,

exeat, & ibi moriatur, vel sanguinem copiosum fundat; quia mors & effusio causata est in Ecclesia. Idem dicendum, si quis in Ecclesia existens vulneretur v. g. jactu lapidis, vel glande plumbea ab existente extra Ecclesiam, ex *Cap.* 4. *De Consecrat.* Delbene ait, non esse improbabile, quòd sanguinis effusio debeat fieri in Ecclesia: La Croix N. 282. quia jus Canonicum hoc dicit, & materia est odiosa.

3. Per voluntariam humani seminis effusionem, si fiat publica, ex *Cap. ult. de Consecrat.* Etiam per actum conjugalem, nisi inclusos excusaret periculum incontinentiæ lethalis; *quia ubi lex non distinguit*, nec nos distinguere debemus; effusio iterum denotat copiam seminis, qualis non est distillatio.

4. Per sepulturam excommunicati non tolerati: secùs est de tolerato, & hæretico non denunciato specialim. Hinc non polluitur Ecclesia in Germania, ubi hæretici permixti habitant Catholicis, per illorum sepulturam, etsi hæc illicita foret.

5. Per sepulturam infidelis, non baptizati. *Cap.* 27. *&* 28. *de Consecrat. Dist.* 1. Per Catechumeni sepulturam in loco sacro probabiliter non polluitur; quia est professione fidelis. An per sepulturam infantis non baptizati polluatur, distinguendum est: nam si sit ex parentibus infidelibus, polluitur; quia censetur infidelis professione parentum: si autem sit ex parentibus fidelibus, pollui negant Palud. Pasq. & alii; quia nec in se, nec professione parentum est infidelis positivè, jura autem odiosa intelligi debent de positivè infideli, saltem professione parentum: & quando-

quæ nominatur paganus, quo nomine venit positivè infidelis. Pollui affirmat communior cum Suar. Lug. & aliis apud La Croix N. 287. quia talis infans est infidelis saltem negativè. Quidquid sit de hoc ; talis infans sepeliri non debet in loco sacro, fidelium sepulturis destinato ; sed in loco diviso à cœmeterio per murum, vel sepem, ut habet consuetudo.

Quæ hactenus dixi de Ecclesia, procedunt etiam de Cœmeterio benedicto; ità ut mortale sit in eo sepelire non baptizatos &c. & eodem modo reconciliatur. Cæterum nec Ecclesia, nec Cœmeterium censetur pollui, adeoque nec indiget reconciliatione ; nisi factum publicè constet, & sit notorium, ità, ut nulla tergiversatione celari possit.

205. *Quando exsecretur?* Resp. 4. Ecclesia exsecratur, seu consecrationem amittit, si parietes secundùm majorem suî partem corruant, aut destruantur, vel omnis eorum crusta, vel saltem major ejus pars simul auferatur, secùs si per partes parietes paulatim, & successivè auferantur, & reficiantur ; quia censetur tunc manere idem numero templum, modò tamen pars addita non sit major ; quia traheret ad se minorem. Neque si solum tectum cum fornice corruat, aut auferatur ; quia Consecratio adhæret potissimum parietibus, & exterioribus crustis, in quibus linitio, & Cruces fiunt. Ex *Can.* 20. *de Consecrat. Dist.* 1. juncto *Cap. ligneis de Consecrat.* Si tamen unus paries totus simul destrueretur, videtur desinere Consecratio; quia desinit forma templi veri, quod constare debet 4. parietibus.

Porro exsecratâ Ecclesiâ non ideo exsecrantur

tur Altaria, nec vicissim. Polluta tamen Ecclesia polluuntur Altaria, imò & Cœmeterium, si sit contiguum; quia accessorium sequitur conditionem sui principalis: secùs si sit remotum. Econtra, polluto Cœmiterio, non polluitur ideo Ecclesia; quia minus non trahit ad se majus, nec accessorium principale.

Nota. Nomine Ecclesiæ hìc venit non quivis locus sacer, sed locus communis ab Episcopo consecratus, vel benedictus, ut in eo publicè celebretur: unde eo nomine non venit Sacristia, campanile, turris; sed tantùm spatium interius à tecto interiore usque ad pavimentum, & à pariete summi Altaris ad parietem oppositum secundùm dicta P. 2. N. 197. Quare, si quid ex prædictis committatur supra fornicem templi, vel tectum, vel in cameris adhærentibus, vel in Sacristia illo spatio non inclusa, vel in specu subterranea, non deputata ad sepulturam; vel in Oratorio privato, vel in domo, ab Episcopo deputata ad celebrandum; non prohibetur ideo in hoc, vel in Ecclesia celebrare. Sunt tamen, qui putant nomine Ecclesiæ etiam venire loca publica, sine consecratione, & benedictione ab Episcopo deputata, ut ibi celebretur, ùt sunt Eremitoria aliqua, & hospitalia. In dubio, an Ecclesia sit polluta, habenda est pro non polluta; quia possessio est pro ejus sanctitate. Si aliqui pollutam affirment, alii negent, standum est judiciò Episcopi, qui, si toleret, hoc ipso tollit pollutionem. La Croix N. 293. Quando exsecretur Altare, Calix, &c. patebit Q. sequente.

206. *Quid hìc veniat nomine Ecclesiæ?*



QUÆS-

QUÆSTIO V.

Quæ præterea requirantur ad licitè celebrandum?

307. *1. Altare lapideum.* Resp. Requiritur 1mò lapideum Altare ab Episcopo consecratum, fixum, vel portatile, tam amplum, ut hostiam, & majorem partem calicis capiat. Ex *Miss. Rom.* Utrumque amittit suam consecrationem, si non maneat moraliter secundùm formam artificialem, idem, aptumque ad finem suum. *Quando Altare exsecretur?* Hinc perit consecratio, si lapis ità frangatur, ut nulla pars ejus calicem cum patena capere possit: si ità destructa sit forma artificialis, ut, qui antè vidisset, non agnosceret pro eodem: Item si in Altari fixo removeatur lapis à basi. Econtra non perit Consecratio per fissuram, modò ambæ partes lapidis nec à se, nec ab inferiore structura separentur: Fissura enim non tollit formam; sed est instar vulneris, potestque glutine uniri, sicque manet unus lapis. Nec si structura Altaris fixi tota, integra ad alium locum Ecclesiæ transferatur; Imò notat Gobat non perire Consecrationem per separationem lapidis à Basi, si non sit consecrata pars utraque nec si lapis sit fractus; tantùm in quatuor cornibus. Nec portatile exsecratur, si addatur, vel tollatur lignea circa circum capsula; uti nec hoc polluitur, pollutâ Ecclesiâ. Imò, si divideretur in duas partes; quarum quælibet calicem cum patena caperet, posse servire in duabus aris, habet communis, teste La Croix N. 301. quia totus lapis est consecratus. At si neutra pars sit eò sufficiens, & uni

Vini aliquid agglutinetur, non ideo recipit con-
secrationem.

Controvertitur, an pereat Consecratio Al- 208.
taris, si frangatur sigillum, vel removeatur se- *An ex-*
pulchrum cum reliquiis. Affirmant multi Ca- *secre-*
nonistæ, & cum iis Azor, Sporer, & alii. Ne- *tur, si*
gant probabiliter Lugo, Dicast. Vasq. aliique *sigillum*
multi; quia ista adduntur decentiæ causa, & *franga-*
non sunt de essentia Altaris consecrati: nemo *tur?*
enim dicit, in Altari portatili necessariò poni
debere reliquias. Consuetudo tamen habet, ut
tunc Altare de novo consecretur, quod tamen
tantùm Consilii esse dicunt Castrop. & alii. Hæc
fusiùs discussa videri possunt apud La Croix
N. 306.

2. Requiritur Calix cum patenâ, ab Episco- 209.
po, vel alio ex privilegio Papæ consecratus; *2. Calix*
debetque esse ex auro, vel argento: aut, si pau- *conse-*
pertas cogat, saltem ex stanno; quod sufficere *cratus.*
putat *S. Thom.* 3. *P. Q.* 83. *A.* 3. *ad* 6. etsi
non cogat paupertas, quem sequuntur alii con-
tra alios. Non est tamen necesse, ut patena sit
ejusdem materiæ cum calice, modò sit talis, ex
qua calix esse potest.

Porrò calix exsecratur 1. Dum cuppa calicis *Quando*
fixi per fractionem separatur à pede; quia con- *Calix*
secratio cadit in totum calicem per modum *exsecre-*
unius indivisibiliter; secùs est, si pes sit tornatilis: *tur?*
tum enim consecratio cadit in solam cuppam.
2. Si interior cuppæ superficies denuò inaure-
tur; quia superficies, utpote immediatè con-
tingens Eucharistiam, debet esse consecrata.
Idem dic de patena. 3. Si fiat inutilis ad Sa-
crificium v. g. ob foramen in cuppa. Econtra
calix non exsecratur, idem est de patena, si
inauratio paulatim pereat: quia remanens est
con-

consecratum; neque, si quis eum sacrilegè adhibuisset ad usus profanos, vel artifici detur reficiendus, modò fractura non sit notabilis, nec superficies interior cuppæ mutetur: nam nullibi jus, quod in istis casibus exsecretur, statuit.

210. *3. Tres mappæ lineæ.* 3. Requiruntur in Altari tres mappæ lineæ, ab Episcopo, vel Sacerdote, habente potestatem, benedictæ. Ex consuetudine sufficiunt duæ, & pro tertia servire potest Corporale: imò una longa potest servire pro pluribus, si duplicetur, vel triplicetur, saltem quoad illam partem, in qua est lapis consecratus; aut, si totum Altare sit consecratum, in qua ponitur calix & patena. Extra necessitatem celebrare absque omni mappa, est mortale; in gravi necessitate juxta Suar. culpâ, vacat; imò tunc posse adhiberi non benedictam, quæ dein ad usus profanos redeat, docent cum Suar. Laym. Spor. & alii.

211. *4. Corporale.* 4. Requiritur Corporale lineum, mundum, benedictum ab Episcopo, vel ab alio, potestatem habente, quod sit sufficiens ad continendum calicem, & patenam. Item palla similiter benedicta, & linea, saltem quâ parte calicem tangit, & purificatorium lineum, quod non necessariò debet esse benedictum. Hinc in defectu posset pro eo adhiberi strophiolum mundum, quo tamen postea non erunt ampliùs tergendæ nares. Purificatorium lavandum primò debet à persona sacra lavari; sufficit tamen, si sit Clericus tonsuratus; nec est mortale, si prima lotio fiat à Laico, nec, si aqua non mittatur in Sacrarium, sed in alium locum decentem. Econtra, mortale est celebrare sine Corporali benedicto, nisi excuset necessitas.

Idem

Idem dicit Suar. de palla ; sed negant alii. Si palla desit , & intra quadrantem horæ haberi nequeat , potest calix tegi alio Corporali, quod esse posse ex canabe , vel gossipio probat usus , inquit Gobat.

5. Requiritur lumen ex duplici candela cerea. Non esset tamen mortale cum una sine contemptu celebrare : imò in necessitate sufficit una , quin & lumen ex sebo , vel lampade. Sine omni autem lumine , etiam in gravi necessitate , celebrare , juxta communiorem est mortale. Probabilis tamen etiam est opposita sententia : quia non est secundùm se necessarium ad reverentiam , sed solùm ex præcepto Ecclesiæ, à quo excusat gravis necessitas. Unde, si Missa sit incepta cum lumine , & perducta post Offertorium , citra Consecrationem , & tum utrumque lumen extinguatur , nec possit reaccendi, probabiliùs Missa est continuanda ; quia talis abruptio magis inconveniens est, quàm ista carentia luminis. Ità contra alios Lugo & La Croix ob eandem rationem. Si una candela extinguatur sub Missa, monito Ministro , pergat Sacerdos ; Si verò utraque , judicet ex circumstantiis : si enim id fiat ante Consecrationem immediatè , & statim accendi possint , exspectet , dum accensæ sint : si post Consecrationem, pergàt ; quia continuatio Missæ est decentia intrinseca , quare præferri debet decentiæ extrinsecæ luminis. Porrò candelæ profanæ in Missa possunt adhiberi ; sique ex cera haberi possint, & adhibeantur ex alia materia , non est mortale ; sebum tamen in defectu ceræ debet præferri oleo. Quodsi sebaceæ tantùm candelæ haberi possint , ex sola devotione cum iis celebrare licitum dicit cum aliis Gobat.

212. 5. *Lumen.*

6. Re-

213. *6. Effigies Crucifixi.* 6. Requiritur, nisi expositum sit Venerabile, Crucifixus, & quidem, per se loquendo, sculptus: nam Benedictus XIV. declaravit, non sufficere Crucem, in qua non est imago Crucifixi, nec parvam Crucem, quæ Tabernaculo præfigitur, sed debere esse aliam positam inter candelabra; sufficere tamen Crucem in majore tabula pictam, modò hæc primarium in ea locum obtineat præ cæteris in eà expressis. Si Venerabile sit expositum, non est opus Cruce, nisi alicubi consuetudo vigeat, quam Pontifex ait observandam esse: Crux enim ponitur tanquam signum triumphantis Christi; quò quid confert, si indecorè ponatur v. g. ad latus inter candelabra supra mensam Altaris, vel præfigatur Tabernaculo Crux parva? non enim videtur obtineri finis. Aliud est in Partibus, ut in Italia, ubi Venerabile altò in loco ponitur, & locus Crucifixò est conveniens. At in his Partibus Venerabile prostat ad faciem Celebrantis, eique fit reverentia. Cæterùm, si Crucifixus non habeatur, melius est cum Cruce, vel Crucifixo puro; imò & sine his ex devotione solùm celebrare, quàm Missam omittere: nam ad summum sub veniali Crux requiritur, ut habet communis, & probabilior sententia: non enim inducendæ sunt obligationes sub mortali, quando de iis non constat; in casu autem tali obligationis levis excusat impotentia. La Croix N. 320.

214. *7. Antipendium.* 7. Antipendium, quod potest esse ex asseribus, vel alia materia coloribus inducta, vel lapis politus. Item requiritur pulvillus, candelabra, velum, manutergium, sed non benedicta, sique ex his quid desit, possunt adhibe-

ri

ri profana congruenter munda; quæ dein priori usui reddi possunt. Tamb.

8. Requiritur Missale, continens saltem Canonem, non tamen benedictum. Si desit, satis est, habere Missam descriptam in charta; quia præcipitur Missale ob periculum errandi, quod tunc cessat. Si quis, ex defectu visûs, nequeat legere, attamen adhuc videre possit hostiam, absitque periculum perdendi particulas, vel Sacramentum irreverenter tractandi, potest dicere Missam, quam scit de memoria; non tamen sine licentia Episcopi illis diebus, quibus Missa illa non convenit; debet autem omnia agere cum Missali, ac si posset legere, ne ignorantes ejus defectum scandalizentur; qui, si judicent eum legere, est error purè permissus. Porro celebrans uti debet Missali vel Romano, quo, tanquam matricis Ecclesiarum, ubique uti licet; vel suæ Diœcesis, dum in ea residet. Unde Treviris beneficiatus, & residens non potest uti Missali Coloniensi, nec Sacerdos alterius ritûs potest in Ecclesiis Regularium uti Missali talis Ordinis, v. g. Carmelitarum, Prædicatorum, Carthusianorum; sed tenetur sub mortali uti ritu suo, quem servare potest: tales enim Missæ sunt concessæ solis illis Ordinibus. Et idem est de Missis certis Regularibus, vel certis tantùm locis concessis, quæ non reperiuntur in Missali communi. Ità Sacra Congreg. Anno 1622. 19. Nov. Peregrinus tamen ritûs Romani, sive sit Sæcularis, sive Regularis, licitè utitur ritu, & Missali Diœcesis, in qua existit, ut habet communis; quia juxta jus commune, quod Pius V. non revocavit, potest advena se accommodare consuetudini Diœcesis, quam transit. Demum, 215. 8 Missale.

etsi Missalia, in quibus habetur in Canone: *Et pro Rege nostro, pro Imperatore*, qui est Rex Germaniæ, sint prohibita; hoc tamen non servatur in Gallia & Hispania, imo nec ab omnibus in Germania.

216. 9. Minister. 9. Requiritur Minister, isque, per se loquendo, masculus, non fœmina, ex *Missali Rom.* & *Cap.* 1. *de cohabitatione Clerici, & mulieris: Nulla fœmina ad Altare præsumat accedere, aut Presbytero ministrare.* Si tamen deesset Minister, qui respondere posset, & viaticum dandum esset moribundo; aut aliàs Sacerdos die festo non posset audire Missam; posset celebrare sine Ministro, qui respondere noverit.

Dixi: *Per se loquendo*: nam putant aliqui, per consuetudinem in quibusdam locis & circumstantiis licere fœminæ ministrare: verùm hæc consuetudo abroganda est, videturque meliùs, ut ministret masculus, nesciens respondere, quàm fœmina: respondere enim potest ipse Sacerdos. Porrò Ministri instruendi sunt, ut omnia integrè, articulatè, & voce intelligibili pronuntient: aliàs non est oratio communis. Errores tamen Ministri in ipsa Missa non facilè corrigendi sunt; quia turbatur ordo, & assistentes, ipseque Sacerdos: si aliquid omittat, suppleat Sacerdos, si commodè potest.

217. 10. Vestitus sacer. 10. Ex parte Celebrantis vestes ab Episcopo, vel alio, habente privilegium (quale habent, saltem pro suis Ecclesiis, Superiores Ordinum Mendicantium, & Abbates) benedictæ, nempe amictus, seu Humerale, Alba, Casula, Manipulus, Stola; sine aliquo horum celebrare, per se loquendo, non licet. Omittere

vere tamen Humerale non est grave in eo, qui id fert in humeris; imò, quando haberi non potest, sine eo celebrare ex causa, non est peccatum: uti non est, celebrare tunc sine velo Calicis. Si Parochus die festo nullam habere possit Albam benedictam, posset celebrare in non benedicta. Sine Stola tamen, vel Alba aut Casula celebrare, est mortale. Putat nihilominus Laym. quòd gravis necessitas omissionem Stolæ excusare possit.

Quando vestes sacræ amittant benedictionem?

Amittunt sacræ vestes benedictionem; quando ità franguntur, lacerantur, vel imminuuntur, ùt ampliùs aptæ non sint ad suum usum: ùt, si ab Alba manica separetur; si cingulum ità frangatur, ut nulla pars ad cingendum sufficiat; secùs, si pars una sufficiat; hæc enim tum manet benedicta, uti & totum cingulum, si, priusquam frangatur, quid addatur, quo firmetur, etsi per nodum. Idem est de Alba, Casula, si, manente figurâ, successivè aliqua assuantur. Manipulus pro Stola, & Stola pro Manipulo servire potest, si Manipulus sit satis longus; quia hæc sunt benedicta, & apta ad usum. Vestes sacras adhibere ad comœdiam profanam vix vacat culpâ mortali. Suar. nec detritæ adhibendæ sunt ad usus profanos; sed vel comburendæ, vel ex majoribus faciendæ minores, v. g. ex Albis Humeralia, & Superpellicia, ex Stola Manipulus.

QUÆSTIO XI.

Quæ observanda Sacerdoti tum ante, tum in, & post Missam?

Resp. 1. Sequentia: Primò. Juxta multos

218. 1. *Lavandæ manus.* sub veniali tenetur ante Missam lavare manus & dicere juxta Communem orationes inter induendum præscriptas. Post Sacrum omittere lotionem manuum non est peccatum, uti nec omittere Orationes præparatorias in Missali contentas; quia tantùm positæ sunt pro commoditate Sacerdotis.

2. *Capite nudo.* 2. Debet esse indutus calceis, vel crepidis; sine annulo, & capillitio ficto, spectatâ lege communi, & nudus capite.

3. *Sint omnia munda.* 3. Curare debet, ut omnia sint munda: celebrare tamen in non valde immundis mortale non est; imò, quando haberi non possunt alià munda, in iis celebrare non est peccatum, nisi sint enormiter immunda. La Croix N. 336.

4. *Verba integrè proferenda.* 4. Debet verba integrè, voce articulatâ aliquâ submissâ, aliqua altâ secundùm præscriptum proferre. Unde, qui notabilem partem verborum ità format intra labia, & dentes, ut, secluso omni impedimento, se ipsum audire non possit, peccat graviter; quia non ponit Orationem vocalem, quæ, ùt à mentali distinguitur, importat sonum; sonus autem omnis, utpote objectum auditûs, est audibilis. Dein: qui omnia, quæ altè debent dici, profert submissè, probabiliùs non peccat (modò non excedant terminos secretæ Orationis) etsi populus non audiat, præsertim, si in Altari Laterali legatur: Rubrica enim id præscribens, aut præceptiva non est, aut per usum ei derogatum.

Econtra, qui secretò dicenda, quoad notabilem partem, altè pronuntiat, peccat, & quidem mortaliter, si verba Consecrationis sic proferat, ut audiri possint ad 40. passus, imò, si ad 10. quando frequens populus intra illud

ud spatium solet esse; quia ratio prohibitionis est, ne populus, verba illa sciens, iis ad jocum abutatur. Veniale tamen tantùm erit, sic proferre, ut ad sex tantùm passus audiri possint; nullum verò, si à solis Ministris. Mediâ voce dicuntur: *Orate fratres. Sanctus. Nobis quoque peccatoribus. Domine non sum dignus.* Denique, qui nimiâ festinatione mutilat ultimas syllabas, aut intermedias, peccat quidem; attamen, si sensus maneat, & absit scandalum, nonnisi venialiter: si ex defectu naturali id faciat, culpâ vacat.

Resp. 2. Debet legere cum attentione: hanc enim exigit illa sacra functio; distractio tamen, quamvis longa, extra Canonem & sumptionem, est tantùm venialis; longa autem sub Canone est mortalis: quamvis enim probabiliùs sine attentione interna haberi possit essentia Orationis secundùm dicta P. 2. N. 266. vix tamen aberit periculum errandi. Distractio voluntaria sub Communione videtur tantùm venialis; quia, ubi non est periculum errandi, distractio sub tam brevi actione videtur non excedere materiam levem. Cæterùm non est obligatio eliciendi omnes affectus, quos verba indicant: cùm Missa absque eo sit oratio, & actus Religionis. Nec necesse est, ut dicendo *Credo*, eliciantur interni omnes actus Fidei; sed satis est, id dici recitativè; adhibenda tamen in omnibus conveniens attentio, & devotio, ad quam confert, si Sacerdos consideret omnes actiones, velut repræsentativas alicujus mysterii patientis Christi. 219. *Cum attentione.*

Resp. 3. Curandum, ut nihil omittat, vel addat, aut mutet: nam 1mò. Si quid notabile omittat ex partibus ordinariis, seu, quæ in 220. *Nihil addendum, vel*

omittē-dum. in omni Missa dicenda sunt, peccat mortaliter: ùt, si omittat affusionem aquæ, ante Offertorium calicis, elevationem hostiæ, vel calicis consecrati, fractionem hostiæ, vel immissionem particulæ in calicem; si Epistolam, vel Evangelium, vel in Canone aliquam orationem, vel verba aliqua in eo omittat, vel variet, aut corrumpat, ità, ut mutetur sensus. Secùs tamen, si sensus maneat. Omittere verò partem non ordinariam, id est, quæ non in omni Missa dicitur, vel fit, ut sunt *Gloria*, *Credo*, orationes secundariæ, Epistolæ præter unam, Sequentia diversitas in Præfatione, & intra Canonem: *Veni Sancte Spiritus*. *Lauda Sion*. *Dies iræ*: similia omittere, est tantùm veniale. Idem est de aliquibus Benedictionibus, de Evangelio S. Joannis in fine, quod extincto lumine dici potest. Potest quoque ultima ablutio sumi in solo vino: quia Rubrica, illam præscribens, non præscribit modum, aut non est præceptiva. La Croix N. 423. Qui non potest elevare hostiam, & calicem, potest celebrare privatim; quia defectus ille non est tantus, ut privet jure celebrandi; non potest tamen celebrare publicè, nisi monito populo.

2. Mutare voluntariè preces in aliàs non approbatas in materia notabili est mortale. Secùs, si preces in Missali approbatæ sint; sic unam Epistolam, Evangelium, Præfationem in aliam mutare est tantùm veniale, utì & dicere: *Credo*, vel *Gloria*, cùm omitti deberet; vel Collectam ultra præscriptas addere, sine causa; quæ si adsit, culpa non erit; utì & modestè orare, vocaliter, dum cantatur *Gloria*, vel *Credo*, aut meditari ea, quæ geruntur

runtur in Missa; quia censetur moralis continuatio, cùm mens maneat applicata Missæ.

Resp. 4, Missam inchoatam sub mortali tenetur absolvere; nisi parvitas materiæ in initio, vel fine excuset ab eo, aut adsit justa causa, qualis est 1mò: Si consecratâ hostiâ immineret Sacerdoti mors ab impiis: tum enim posset eam absumere, & fugere, nisi hoc cederet in contemptum Religionis: sic enim non intenderet, sed permitteret imperfectum Sacrificium. 2. Si mentis deliquium pateretur, vel morte subitaneâ, aut gravi infirmitate impediretur, quo casu, si prosequi non posset, alius Sacerdos, si consecratio facta jam esset, deberet etiam non jejunus in defectu Sacerdotis jejuni perficere Sacrificium incipiendo, ubi deficiens desiit. Secùs, si consecratio facta non esset. 3. Si tempore Missæ Ecclesia pollueretur, v. g. notabili effusione sanguinis ante consecrationem: tum enim abrumpi deberet Missa. Item, si ante inceptum Canonem excommunicatus non toleratus ea egredi nollet. *Missale Rom.* sic habet; *Si timeatur incursus hostium, vel alluviones, aut ruina loci, ubi celebratur, ante consecrationem dimittatur Missa; post consecrationem Sacerdos accelerare poterit sumptionem Sacramenti, omissis omnibus aliis.* 221. *Missa non abrumpenda sine causa. Causa abrumpendi.*

Resp. 5. Missam non licet interrumpere, postea continuandam, sine justa causa, qualis est Concio, & promulgatio edictorum Ecclesiæ &c. ante oblationem; administratio Baptismi, & Pœnitentiæ in necessitate. In hoc casu 1mò. Si Concio habeatur ab alio, quàm celebrante, hic vestes Sacerdotales non debet exuere, multò minùs exire ex templo; quia, 222. *Non est interrumpenda sine justa causa.*

quoad potest, debet moraliter permanere in celebratione. 2. Interruptio per mediam horam non est notabilis; si autem facta sit per horam, in negotio impertinente, præsertim exutis sacris vestibus, & ante consecrationem, debet Missa reincipi, nisi talis interruptio prævisa esset, & per intentionem interrumpentis conjungerentur partes. 3. Si aliquis moriturus esset baptizandus, aut absolvendus, succurrendum est morituro etiam post consecrationem; ante consecrationem autem potest tantisper interrumpi Missa, ut ministretur Viaticum, & Extrema Unctio moribundo, licèt receperit alia Sacramenta. Idem potest fieri post consecrationem, si sit in vicinia, & Sacerdos possit indutus vestibus sacris accedere: post consecrationem autem, si moribundus receperit Sacramentum pœnitentiæ, videtur indecens abrumpere, nisi sit in propinquo.

223. *Servandus communis bonus modus.* Resp. 6. Denique servandus est bonus, communis, Missam legendi modus, ità, ut nec ità festinet Sacerdos, ut non expleat mediam in ea horam, nec ità protrahat, ut eam multùm excedat, sic enim consulitur & reverentiæ erga mysterium, & ædificationi, devotionique Fidelium, quorum multi malunt Missis duabus interesse, quàm uni nimium productæ. Ut autem quis discat accuratè Missam legere, legendæ sunt magna cum intentione Rubricæ, & in praxin sollicitè redigendæ: si enim in principio Neo Presbyter negligens sit, nunquam bene addiscet, & assuetudini malè legendi semper inhærebit. Juvat in initio habere bonum Instructorem, à quo discat practicè modum decorum faciendi

di inclinationes, elevationem manuum, formandi Cruces,&c. Et dein singulis saltem annis legere Rubricas, & errores notare, atque corrigere. Item attendere aliis, qui exactè peragunt omnia.

QUÆSTIO XII.

Quæ quotidie Missa sit legenda?

Resp. 1mò. Regulariter legenda est Missa 224.
secundùm Rubricas concordans officio, à quibus non recedendum ob votum petentis, vel promissionem, ratione stipendii de alia Missa legenda; quia ad illicitum, vel minùs laudabile, votum, & promissio illa non obligat, & quælibet Missa ex opere operato suos effectus habet, & in honorem non tantùm Dei, sed & Sanctorum offerri potest. Non est tamen peccatum grave, secluso scandalo, Missam unius pro Missa alterius diei dicere.

Ordinarie respondens officio Canonice.

Dixi: *Regulariter*: quia licet quandoque dicere Missam officio non concordantem, v. g. votivam, vel de defunctis, ùt mox dicetur, licet quoque Sacerdoti dicere Missam secundùm officium publicum illius Ecclesiæ, in qua celebrat, quamvis discordet ab officio, quod ipse recitat; & quamvis possit etiam legere conformem suo officio, meliùs tamen est se conformare publico ritui illius Ecclesiæ. Imò Sacellanus Monialium, quæ non utuntur Breviario Romano, quo ipse utitur, debet ex Missali Romano Missam conformem, si adsit, aut affinem dicere Monialium officio. Missas autem certis Religiosis concessas non licet aliis non ejusdem ordinis legere secundùm dicta.

225. *De quo Sancto dici possit?* 2. Potest Missa legi de quovis Sancto Canonizato, quamvis nondum relato in Martyrologium: Canonizati autem sunt omnes, qui habentur in Martyrologio Romano. De Beatis verò non Canonizatis non licet, nisi in die festo; sunt tamen, qui putant, posse legi votivam de iis etiam per annum. Differt præcipuè Canonizatio à beatificatione, quòd in hac tantùm permittatur cultus publicus, isque cum multis restrictionibus; illâ verò definiatur talem cultum ab omnibus deberi Sancto.

226. *De Dedicatione.* 3. Si Ecclesia sit consecrata, debet singulis annis in die Dedicationis Officium, & Missa fieri de Dedicatione, quam etiam Episcopus consecrans non potest in alium diem sine consensu Papæ transferre. Facta tamen semel translatio manere potest. Si verò Ecclesia sit tantùm benedicta, non potest fieri officium, vel Missa de Dedicatione. Contradicit tamen Quintanadven. & Gobat.

227. *Quæ Missa dici possit, ubi sunt Reliquiæ?* 4. De omni Sancto potest, sine obligatione tamen, celebrari Missa, & Officium sub ritu duplici in ea Ecclesia, in qua, vel in cujus Sacristia, vel loco vicino, spectante ad Ecclesiam, habetur insignis Reliquia. Secùs est, si habeatur in Sacello privato alicujus Laici. Debent autem Reliquiæ ab Ordinario esse approbatæ, quod facere potest extra Diœcesin existens; si tamen per decennium cultæ sint publicè tales Reliquiæ, opus non est approbatione.

Nec obstat, quòd approbatæ sint mixtæ non approbatis, ut discerni nequeant. La Croix N. 384. uti nec, quòd translatæ sint ad eam Ecclesiam, v. g. metu militum, & non spectent ad eam. Inter insignes Reliquias non numerantur digitus, dens, auris, maxilla, Dif-

fracta

fractæ possunt uniri glutine, &c. La Croix N. 379.

5. Missa votiva, seu quæ pro arbitrio Sacerdotis, & devotione est difformis officio, est licita, si adsit rationabilis causa, sine qua non est recedendum à ritu communi; prohibetur autem diebus Dominicis, & Festis duplicibus, nisi hæc sint ad libitum. Item infra Octavas Epiphaniæ, & in ejus Vigilia: Die Paschæ, Pentecostes, & ejus Vigiliâ, Festo Corporis Christi, die Cinerum, Septimanâ sanctâ, Vigiliâ Nativitatis Domini; die tamen prohibita legere votivam sine rationabili causa, est tantùm veniale. Suar. & alii; quia Rubricæ illæ sunt probabiliter tantùm directivæ: si tamen sine rationabili causa ab illis, & à communitate se Sacerdos difformet, non vacaret omni culpâ. Causa autem sufficiens est causa publica, pro qua votiva solennis haberi potest in duplicibus, & Dominicis, & Festis de præcepto etiam primæ classis. Ad privatam vero votivam in duplicibus non primæ classis sufficit publica gratiarum actio, preces 40. horarum, Item notabile incommodum ex Missa nimis longa. In votiva omittitur *Gloria*, nisi sit de Angelis, vel B. Virgine in Sabbatho, aut solenni pro causa publica, vel in die, quo Sanctus obiit; si tamen sint paramenta violacea, semper omittitur *Gloria*. Omittitur etiam *Credo*, nisi fiat in Dominica: tum enim semper dicitur. In votiva solenni est unica oratio: si quis velit addere alteram pro gratiarum actione, utraque dicitur sub una clausula. In privata sunt plures orationes. Vide La Croix N. 497. In fine semper dicitur Evangelium Sancti Joannis. 218. *Quando dici possit votiva?*

6. Missa pro Defunctis licet, & prohibetur iis diebus, quibus votiva, potestque similis causa excusare, 219. *Quando permissa*

Missa Requiem. culate, ut aliquibus diebus prohibitis legi possit; non legitur tamen exposito Venerabili. Præsente funere licet una solennis etiam die Dominico, aut Festo de præcepto. Privatæ autem non licent etiam præsente funere in festis duplicibus, aut, dum duplicia sunt transferenda. Sic statuit *Alexand. VII.* 5. *Augest.* 1662. eò quòd æquè utiles sint, quæ sunt conformes officio, & applicantur. In festo autem de præcepto nec solennis haberi potest anniversaria, vel de die 3tia, aut 7ma. In festo duplici non de præcepto possunt dici pro implenda voluntate testatorum. Ità S. *Congreg.* 1. *Sept.* 1607 & 20. *Junii* 1626. Missa *de Requiem* cum cantu, à testatoribus disposita quot annis in die ipsorum obitus dicenda. permissa est ab *Alexand. VII.* in duplici majore. Privatæ tamen non permittuntur in duplicibus, & quando est officium excludens duplicia; sed anticipari. vel differri possunt. Solennis in festo animarum, die depositionis, & anniversariâ, die 3. 7mâ 30mâ habet unicam orationem, diciturque in ea *Dies iræ*; in aliis sunt plures, & in his oratio *Fidelium* semper est ultima; liberumque est dicere *Dies iræ*, vel omittere. Quæ sint omittenda in Missa de Requiem, habetur in Missali.

QUÆSTIO XIII.

Quomodo commissi in Missa defectus sint corrigendi, vel supplendi?

230. *Spectandum, an sit sub-* Resp. 1mò. Defectus non substantialis non est supplendus, si jam Sacerdos sit longiùs progressus, aut aliàs perturbaretur ordo, & connexio, v. g. in Canone. Rubricæ de defectibus cor-

corrigendis sunt tantum directivæ, ubi non agitur de substantia Missæ Hinc, si Sacerdos omisit *Credo*, vel *Gloria*, dicto *Dominus vobiscum*, non tenetur supplere, quia non fiet sine perturbatione populi, & confusione Sacerdotis. *stantiales, vel non?*

2. In dubio, an aliquid non essentiale omiserit, nihil tenetur repetere; si tamen esset aliquid grave, possetque commodè repetere, sine turbatione Sacri, consultum est repetere, vel supplere. Universim id eligendum, quòd minùs offendet adstantes: in hac enim Sacerdos actione debet se ostendere irreprehensibilem. Si fiat perplexus, nesciatque, quia potiùs agendum; consideret, quid videatur minus incommodum; & hoc bonâ fide faciat, inquit *Suar. Disp.* 84. *Sect.* 2.

3. Si prudenter dubitet, an validè consecraverit, repetenda est consecratio: aliàs Sacramentum manebit in periculo nullitatis: ùt, si prudens sit dubium an formam protulerit, an materia sit valida. Quodsi de hac prudens dubium oriretur ante consecrationem, materia certa esset afferenda, & aliquamdiu exspectandum. Monent tamen A A. non esse facilè admittenda ejusmodi dubia; quia ordinariè sunt scrupuli, non rarò à Dæmone excitati.

4. Si aliquid omissum suppleat, non repetat, nisi quod omisit, modò suam de se significationem habeat, adeoque se solo suppleri possit.

5. Si supplenda sit consecratio panis, incipi debet à verbis: *Qui pridie, quàm, &c.* Si calicis, à verbis: *Simili modo*: præmittenda tamen est oblatio saltem mentalis; nec hostia, nec calix post consecrationis suppletionem elevari debet.

6. Si, post consecratam utramque speciem, una

una v. g. ſanguinis inficeretur veneno, vel is totus effunderetur, ità, ut nihil lambi poſſit, ſolum vinum de novo conſecrandum foret: ſi autem utraque ſpecies veneno inficeretur, nihil ſupplendum eſſet: aliàs fieret novum Sacrificium; uti & per ſe loquendo, ſi neutra ſpecies eſſet validè conſecrata; eò quòd neutra materia fuiſſet valida.

7. Si hoſtia è manu decidat in calicem conſecratum, tum, ſi ſit tota madefacta, non eſt extrahenda, ſed omnia dicenda ſunt de more, & ceremoniæ faciendæ ſuper utramque ſpeciem, & hæc ſimul ſumenda dicendo: *Corpus & Sanguis Domini noſtri &c.* Si verò non eſſet hoſtia tota, madefacta, & pars non madefacta poſſet recipi, recipienda eſſet, & ceremoniæ circa illam faciendæ.

8. Si Sacerdos in Communione advertat, ſe habere aquam in calice pro vino & aliquid aquæ in ore habeat, hoc deglutiat; quia indecens eſt id refundere in calicem. Hinc præceptum jejunii tum ceſſat obligare. Si ſimul deglutivit ſacram particulam, quæ erat in calice, quod de aqua ſupereſt, infundat vaſi mundo, & deterſo calici infundat vinum, & aquam, vel retineat parum aquæ in calice, & novum vinum infundat, offerat, & conſecret. Si autem ſacra particula manſit in calice, aqua cum illa effundenda eſt in alium calicem ſuper corporale, ſumptoque vino conſecrato, ſumat & aquam reliquam cum prima ablutione: ſi alius calix non adſit, poteſt parum aquæ relinquendo in calice affundere vinum ſuper ſacram particulam, & oblatum conſecrare. An in hoc caſu etiam nova ſit conſecranda hoſtia, dubitatur. Affirmant multi cum S. Thom. eò quòd ſpecies panis jam

umptæ non possint constituere Sacrificium cum vini speciebus nec oblati, nec positi simul cum pane in Altari. Negant cum Scoto Suar. aliique multi; quia duo Pontifices Cap. *Pastoralis*, & Cap. *Presbyter*, *de Sacramentis non iterandis*, dicunt, in talibus non esse aliquid iterandum, sed cautè supplendum, quod incautè fuerat prætermissum. Et *Ratio est*: quia prius Sacrificium non compleretur; sed fieret novum. Rubrica Missalis utramque sententiam approbat, si in publico celebretur. 1ma tamen ratio non tenet, si particula consecrata adhuc sit in calice, videturque utraque species, etsi successivè physicè, moraliter tamen simul esse in Altari.

Quodsi Sacerdos, postquam ab Altari discessisset, adverteret, vel moneretur de defectu v. g. in Sacristia, se unicam tantùm speciem validè consecrâsse, redire non debet, nec supplere aliquid; quia prior actio jam censetur completa. La Croix N. 545.

9. Si animalculum incidat in calicem ante consecrationem, aliud vinum infundatur, offeratur, & consecretur. Si post consecrationem, sumatur simul, si commodè fieri potest; si minus, animalculum extrahatur, & sumantur species consecratæ. Finito Sacro animalculum comburatur: hoc autem si venenatum esset, sumi non potest cum periculo vitæ; quia nemo est Dominus suæ vitæ. Itaque alia materia consecretur, & finito Sacro species vini infecti excipiantur decenter linteo, vel stupâ, & hæc siccata comburatur, & cineres projiciantur in sacram piscinam. Si contingat, ut Sacerdos utramque speciem evomat, nihil supplendum; quia Sacrificium peractum est cum sumptione etiam fructuosa. Excipiantur autem species reverenter, & impo-

imponantur aquæ mundæ, ac tam diu bacillô aqua agitetur, donec species panis omninò dissolvantur, quo facto aqua excipiatur linteo, & stupâ, & fiat ùt suprà.

10. Si celebrans in Altari deficiat, ut pergere non possit; vel moriatur ante consecrationem panis, etsi Canon sit inceptus, & formæ pars pronuntiata, nihil per alium est supplendum, quia Sacrificii nulla pars est posita. S. Thom. & alii contra alios; si autem una species sit consecrata, aliùs Sacerdos etiam non jejunus, vel etiam excommunicatus in defectu alterius supplere debet, quod deest; ne maneat Sacrificium substantialiter incompletum. Econtra, si deficiat post sumptionem utriusque speciei, nihil supplendum est, si post sumptionem solius Corporis adhuc videtur supplendum; quia de substantia Sacrificii est sumptio utriusque speciei. Bonac. putat, tum calicem posse sumi in alia Missa: eò quòd substantia Sacrificii videatur completa. Porro tempus, quo alius succedat, interpositum non debet esse nimis longum; aliàs non erit una actio moraliter. Gobat putat, non debere excedere horam circiter. Si Sacerdos deficiens sumpto liquore posset restitui, melius esset, ut ipse perficeret Sacrificium non jejunus, quàm alius jejunus: præceptum enim, ut, quod cœpit, perficiat Sacrificium, prævalet præcepto de jejunio. Denique si Episcopus ordinans Sacerdotes, deficeret post consecrationem panis, posset alius Sacerdos in defectu alterius Episcopi præire Neo-Presbyteris: si post consecrationem utramque; possent Neo Presbyteri pergere, & unus ad Altare, si intelligat, reliqua peragere, sumereque utramque speciem. Potestas tamen absolvendi à peccatis ab alio Episcopo esset danda.

In dubio, an celebrans consecraverit, v.g. panem, sub conditione reiteranda est illius consecratio vel solius, vel simul cum alia materia, quæ absolutè consecretur, ut habet S. Thom.

QUÆSTIO XIV.

Quæ de applicatione, stipendiis, & reductione Missarum sint tenenda?

Resp. 1. Applicare fructum Missæ, est præcipuè Sacerdotis offerentis per intentionem suam; quia est actus potestatis Sacerdotalis. Possunt tamen assistentes, vel positivè cooperantes applicare aliis hoc, quod ad ipsos spectat; quia sunt simul offerentes. 231. *Applicatio.*

Hinc 1mò. Si Sacerdos nulli applicet Sacrificium antè, vel in Sacrificio; fructus specialior, seu ministerialis, manet juxta Suar. in thesauro Ecclesiæ, vel cedit ipsi Sacerdoti, qui censetur velle sibi prodesse, si non transferat in alium. Dixi: *Vel antè*: quia sufficit, quòd pridie sit applicatum: est enim applicatio velut donatio de præsenti, vel assignatio rei futuræ, quæ fieri potest anticipato sub conditione, & à Deo acceptatur: applicare enim non est offerre Sacrificium actu, sed transferre jus ad illius fructum. Nec Sacerdos applicat præcisè, ùt Minister actualis functionis, sed ùt Minister officii. Hinc non requiritur formalis, aut virtualis intentio in ipso Sacrificio, etsi illa suadenda sit; sed sufficit habitualis, ùt docet Suar. & alii contra Vasq. & alios. An sufficiat interpretativa, incertum est. Ut autem generalissimum participent Fideles, & Sacerdos specialis-

simum, non requiritur applicatio, vel intentio specialis; uti nec, ut coofferentes fiant Sacrificii participes.

2. Applicatio fieri debet ante consecrationem; quia hæc aliquem saltem effectum producit, quamprimùm existit; v. g. remissionem pœnæ, quæ non suspenditur. Unde valida quidem est applicatio illius sub conditione jam impleta, non tamen sub conditione de futuro contingente.

3. An, qui accepit stipendia ab hominibus ad legendas 10. Missas, satisfaciat, si omnes conjunctim, & in confuso applicet, incertum est. Affirmant aliqui, alii negant. Item, si in singulis Missis ex 10. vellet obvenire singulis 10. hominibus decimam partem fructûs. Unde in praxi sic facienda non est applicatio,

4. Si quis applicavit ad unum finem Sacrificium, & postea immemor intentionis illius applicet ad alium, tum, si non fuit specialis causa secundam intentionem faciendi, & primam mutandi, valet prior. Si fuit specialis causa, prævalet posterior, & priorem interpretativè revocat, quam Deus non acceptavit, omnia prævidens. Certum est, quòd pro uno satisfecerit: hinc satisfaciet, si alteram Missam offerat pro eo, cui prima non profuit.

5. Missa potest hoc modo applicari, ut si non possit huic prodesse, possit alteri: Si quantum debetur Titio, hic acceperit, reliquum habeat Cajus.

6. Si quis petat offerri Missam, ad suam intentionem, potest is applicare alteri; non tamen, si petat pro se offerri, & celebraturus pro illo offerat.

7. Valet applicatio pro eo facta, pro quo magis

magis Deo placet applicari : sic enim Deus in rigore non applicat, quod est Sacerdotis ; sed acceptat applicationem hominis pro majore suo beneplacito.

Resp. 2, Ad legendam Missam, non applicandam ex obligatione alteri, 1mò licitè potest accipi stipendium justum. 2. Hoc autem admisso, tenetur Sacerdos sub gravi legere Missam secundùm intentionem stipendium dantis, vel fundatoris. 3. Idque, licèt stipendium esset ordinario minus. 232. *De stipendio.*

Ratio 1mæ partis est ; quia stipendium non datur tanquam pretium, vel compensatio Missæ, sed ùt medium ad sustentationem Ministri ; nec respondet sacris functionibus, ùt talibus, sed personis ùt occupatis in aliorum gratiam, seque suâ pro Fidelibus libertate ad varia privantibus : id quod & declarat praxis Ecclesiæ. Atque ità Sacerdos, erga stipendium legens Missam, adhùc dicitur legere gratis : sicut famulus dicitur Domino servire gratis ; & miles Regi gratis militare, à quo non nisi victum habet.

R*atio 2dæ partis est* ; quia initur pactum onerosum in materia gravi, adeoque sub gravi peccato servandum. *Nec obstat*, quòd stipendium fortè sit materia levis ; & promittens illud non peccaret mortaliter ; si postmodum non exsolveret. Nam id acceptans sè obligavit proportionatè ad id, quod se præstiturum addixit. Explico in simili : si famulus per diem omitteret laborem, ex quo Domino magnum emolumentum esset proventurum, non facilè recuperandum ; aut ex cujus omissione sequeretur grave damnum ; peccaret graviter, etsi merces famuli isti diei respondens non foret quid grave ; ergo à pari. Gobat

tamen, Sporer, & alii apud La Croix N. 134. negant, esse mortale, omittere Missam unicam, pro qua leve stipendium Sacerdos accepit.

Ratio 3tiæ partis est; quia Sacerdos se absolutè obligavit, & defectum ordinarii stipendii remisisse censetur; nisi aliud declaravit.

Dixi in responsione 1mò. *Missam non applicandam ex obligatione alteri*: Si enim debeatur alteri, non licet pro ea stipendium admittere.

Dixi 2. *Stipendium justum*: quale censetur, quod lege, vel consuetudine taxatum est.

233. *Corollaria. Pactum de stipendio.* Ex his deduco sequentia: 1mò. Licitè potest Sacerdos pacisci de stipendio, modò non excedat justum. *Ratio est*; quia non inducit novam obligationem, sed eam exprimit, quæ ex natura rei inest; uti inest obligatio ad justum stipendium: nam ex natura justitiæ debetur Ministro sustentatio proportionatè ad functionem. Unde, si cantanda sit Missa, aut legenda tempore, vel loco incommodo, aut multùm distante, plus exigi potest. Id, quod etiam verum est de Sacerdote divite; quia occupato in gratiam alterius debetur sustentatio: *Nemo enim*, teste Apostolo, *propriis stipendiis militat.* Non potest tamen plus exigi, eò quòd victualia nunc sint cariora: tum quia tunc & pecunia est rarior, tum quia id praxi repugnat.

2. Si detur stipendium, ut celebrentur Missæ in certo numero, in tali loco, Altari, vel tempore, pro tali causa; hæc omnia ex Justitia servari debent; quia accipiens stipendium ad hæc se obligat, & dans illud non vult aliter trans-

transferre dominium ejus. Hinc peccat graviter Sacerdos, si citra necessitatem Missas fundatas legat alibi, quàm in loco, vel Altari designato à Fundatore; excusatur tamen à mortali, si per annum tantùm quinquies, vel septies alibi celebraret. Neque talis tenetur ad restitutionem, quia damnum inde ortum non est considerabile. Causa autem rationabilis mutandi locum, vel tempus est: si inveniat Altare occupatum, vel aliquid desit ad Sacrificium, & nimis diu exspectandum esset &c. Item peccat, si Missas diu differat; quia injustè privat magno fructu spirituali eos, quibus ex Justitia debet. Imò tenetur ad restitutionem, si ideo Missa non profuerit ad specialem intentionem ejus, qui stipendium dedit v. g. ad aliquem successum, cujus occasio jam præteriit. Hinc peccat, qui stipendia admittit pro Missis pluribus, quàm possit intra longum tempus dicere: facilè enim continget, ut ad finem, ab offerente stipendium intentum, ampliùs dici non possint, v. g. pro infirmo, pro felici successu negotii, pro vincenda tentatione, pro beneficio obtinendo, quod postea obtineri non potest. Quis autem censendus sit diu differre, non potest unâ regulâ definiri; sed attendendæ sunt circumstantiæ, præsertim causæ, ob quas petitur Missa: nam, si petatur pro defuncto, minùs differri debet, quàm si pro vivo; si pro necessitate, quæ moram non patitur, adhuc minùs. Hinc Urbanus VIII. in suo Decreto mandat, ut non plures Missæ suscipiantur, quàm intra modicum tempus legi possint.

Quodsi quis plures suscepisset, quàm possit legere, debet curare legi per alios, dando sti-

pendium, si possit; vel si non possit, rogando, ut gratis legat. Item peccat, non tamen nisi venialiter, qui Missam legit de tempore, quando alia petita est, v. g. *de Requiem*, & per Rubricas licet eam legere; quia cùm in Missa illa sint speciales Orationes pro defuncto, aliquantò plus prodest. Ità La Croix N. 158. Excusat tamen Lugo, si Sacerdos speciali devotione ferretur ad aliam Missam; quia Missa est substantialiter eadem, & major devotio Sacerdotis fructum accidentalem compensaret. Si autem per Rubricas non liceat legere eo die Missam petitam, potest legi Missa de tempore, & per hanc obtinetur ad Altare privilegiatum omnis Indulgentia, quæ obtineretur per Missam *de Requiem*. Ita statuerunt *Alexander VIII. die* 5. *Aug*. 1662. & *Clemens IX*. 23. *Sept*. 1669, ut sic nulla sit rationabilis causa mutandi ritum Ecclesiæ.

3. Non licet anticipatò dicere Missas pro iis, qui sunt daturi stipendium; tum quia est contra praxin Ecclesiæ; tum quia sæpe non obtinetur finis, intentus à dante stipendium, & hic vult sibi applicari post datum stipendium, seque meliùs disponit ad fructum Sacrificii percipiendum. Unde sic legens non satisfacit, ut sæpe nec, qui legeret pro eo, quem Deus novit primò daturum stipendium; quia Missa, cùm consistat in actione transeunte, si non prosit, quando fit, fructus ejus satisfactorius, reponitur in Thesauro Ecclesiæ: quando autem sic fieret, sæpe prodesse non posset; quia periturus necdum præfixit sibi finem, & intentionem, & fortè est in peccato, & incapax fructûs satisfactorii. Et hinc Paulus V. sic legere prohibuit Anno 1601.

4. Qui

4. Qui stipendium non fundatum majus pro Missis accepit, tenetur integrum dare iis, quibus Missas committit legendas, peccatque graviter, vel leviter pro quantitate materiæ aliquid retinendo, teneturque ad restitutionem faciendam iis, qui Missas legunt, vel saltem, quia stipendia dederunt. *Ratio est*; quia pecunia data est, non ut constitueret Missas stipendio, quo posset, sed ut eam acquireret titulo Celebrationis. Proinde, si non celebret, non habet titulum quid retinendi; alter autem, qui celebrat, hoc ipso habet jus ad illud stipendium: dans enim intendit, ut celebrans id haberet. Quodsi is, cui committitur Missa, sponte remitteret partem, posset retinere, verùm remissio sæpe non erit spontanea, sed ex timore, ne deinceps Missæ non committantur, aut ne videatur ingratus, sicque potiùs coactus cedit suo juri. Unde *Alexander VII.* damnavit hanc propositionem: *Post Decretum Urbani potest, cui Missa celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minore stipendio, aliâ parte stipendii sibi retentâ.* Si dans tamen stipendium pinguius dedisset ex speciali affectu v. g. erga hoc Monasterium, specialiter juvandum in sua paupertate, putant aliqui, posse, quod supra ordinarium stipendium est, retineri, & Missas aliis erga ordinarium committi; sed hoc non videtur admittendum, nisi dans specialem suum affectum expresserit. Si dedisset stipendium, quia putavit Missam devotiùs esse celebrandam; non posset pro eodem stipendio committi, nisi æquè, aut magìs devotis; non facilè tamen peccabitur mortaliter, minùs devotis committendo, nec orietur obligatio re-

stituendi; quia excessus devotionis non est tantus.

Dixi: *Stipendium non fundatum*: nam non tantùm beneficiatus potest, alteri committere Missas legendas, dato solùm ordinario stipendio, etsi majus ipse soleat ex beneficio percipere; sed id etiam potest quoad stipendium fundatum, Capellaniam habens, etsi ipse amovibilis sit: Decretum enim de non committendo alteri, retentâ sibi parte stipendii, non comprehendit beneficiatos, uti declaravit Sacra Congreg. apud Lugonem de Euchar. D. 21. N. 30. Idem dicendum, si Missæ fundatæ sint perpetuæ: tunc enim abest species turpis lucri, fuitque mens Fundatorum, ut beneficiatus viveret de beneficio, & Sacra legeret, vel legenda curaret. Imò. si Cajus hodie teneretur legere Missam, proque stipendio accepisset tres solidos, peteretque à Titio, ut pro se legat, spondens, se cras lecturum loco Titii, qui pro stipendio tantùm accepisset duos solidos, non videtur illicitum; quia in hoc tantùm permutantur Missæ, & dies.

5. Non licet pro una Missâ plura stipendia accipere, nec pro pluribus satisfit legendo unam: nam propositio opposita est damnata ab Alexandro VII. Et *Ratio est*; quia dans stipendium intendit totum fructum, quem potest participare ex Sacrificio, illumque tenetur celebrans ei applicare; & quia incertum est, an alteri possit applicare fructum specialissimum, non potest pro eo applicando quidquam admitti. *Nec juvat*, quòd Sacrificium pro pluribus oblatum probabiliter prosit tantùm singulis, ac si pro uno offerretur. Nam hoc incertum est; debito autem certo non satisfit

sistit per solutionem dubiam. Unde Neo-Presbyter celebrans cum Episcopo non potest accipere stipendium: quia Episcopus plerumque prævenit: sique petatur Missa pro defuncto, non potest Sacerdos applicare fructum impetratorium alteri; quia mens dantis stipendium est, ut sibi, vel familiæ suæ prosit: imò juxta dicta potest Sacrificium etiam, ùt impetratorium, prodesse defunctis. Qui pro pluribus determinatis numero Missis seu ab uno, seu à pluribus accepit stipendia justo minora, non potest eas reducere ad minorem numerum; sed ex Justitia tenetur tot dicere, in quot consensit, ùt dixi. Si autem accepisset pecuniam pro stipendio, ut Missas diceret, numero non determinato; satisfaceret tot legendo, quot respondent justis stipendiis: alia enim mens dantis esse non censetur.

6. Qui ex voto tenetur celebrare, an possit stipendium admittere ad celebrandam Missam, ad quam ex voto tenetur, distinguendum est: nam, si vovit Missam in gratiarum actionem pro accepto beneficio, nequit admittere stipendium pro Missa ex voto debita; quia censetur vovisse Missam offerre Deo, distinctam à Missa, ex Justitia debitâ. Quodsi Missæ per votum promissæ fructum sibi reservâsset, posset saltem gratis hunc alteri applicare, & juxta Tamb. etiam pro stipendio; quia adhuc simul occuparetur in gratiam offerentis stipendium.

7. Parochi, etiam tantùm actuales, diebus Dominicis & festis, quibus populus tenetur interesse Missæ, etsi post eam per consuetudinem liceret labor servilis, non possunt pro Missa accipere stipendium; quia, licèt ante hac docue- *Diebus Dominicis, & festis pro stipendio*

celebrare non possunt Parochi docuerint multi graves Doctores, non teneri Parochos iis diebus applicare Missam suis Parochianis; nunc tamen, ubi recepta est Constitutio *Benedicti XIV. Papa* edita 19. *Aug. Anno* 1744. ad id tenentur, nisi tenues adeò habeant reditus, ut vivere alioquin non possint convenienter suo statui: hoc enim casu potest Episcopus dispensare, ut iis diebus stipendium admittant, si Missa petita differri non possit; hâc tamen lege, ut alio die pro suis Missam offerant. In Constitu[illegible]ne decrevit Papa Missam Conventualem applicandam esse Fundatoribus, & Benefactoribus: ubi habentur duæ, spectandam esse consuetudinem, an utraque sit applicanda; sique sit pro utraque, eam servandam esse.

Nec alii pro Missa ex beneficio Capella, fundatione debitâ. 8. Sacerdotes, quibus diebus tenentur celebrare Missas ratione Beneficii, Capellæ, Legati, aut Salarii, non possunt stipendium pro iis celebrandis admittere aliud, sique pro Missis celebrandis aliis admiserunt, nequeunt eâdem Missâ duplici obligationi satisfacere. Ità *Sacra Cong.* approbante *Urbano VIII.* Idem est, si Sacerdoti stipendium offeratur, ut in certo loco v. g. in templo Monialium, vel Beatissimæ Virginis celebret. *Ratio est*; quia aliàs pro una Missa duplex reciperet stipendium: Proventus enim Beneficii habent rationem stipendii. Hinc Canonici, Capellani fundati tenentur Fundatoribus Missas applicare, quas ex fundatione celebrare tenentur; nam hæc est praxis communis, quæ, sicut legum, ità optima interpres est mentis Fundatorum, & pro his, ubi aliud non constat, est præsumptio, saltem, nisi aliud insuper onus impo-

ponant. Idem est de offerente stipendium, ut lebretur in certa Ecclesia.

Dubium est, an, si de Fundatoris mente non possit constare, & is Missam fundaverit v. g. omni die, vel diebus Dominicis & festis legendam in certo loco, & horâ v. g. summo manè ante labores, & populus ille interesse possit, an, inquam, tunc censeatur obligari Sacerdos applicare Missam Fundatori, vel possit pro ea stipendium admittere, aut applicare, quibus voluerit. Affirmant plures, obligari, eò quòd censeatur Fundator sibi, modo, quo potuit, optimo, consulere voluisse. Non obligari, tenent Suar. Vasq. Lugo, Aversa, Diana, Schmalzgruber, aliique multi, teste La Croix hic N. 145. sed posse admittere stipendium. *Ratio est*; quia, cùm Fundator aliud onus imposuerit, nec intentionem suam obligandi ad applicandas sibi Missas expresserit, non censetur illam obligationem voluisse imponere: unde valet illud: *Quod quis facilè exprimere potuisset, & non expressit, non voluisse censendus est*; præsertim, quando est res notabilis, utì est in præsenti. *Nec obstant*, quæ afferuntur ab Adversariis ex declaratione Sacræ Congregationis: hæc enim loquitur de casu, quo Fundator vel intentionem suam expressit; vel non imponit speciale onus, cui non respondeant fructus fundationis; tale autem, nisi Missis respondeat stipendium extraordinarium, adest, quando imponitur onus celebrandi certâ horâ & loco, ut populus Missæ interesse possit. Et certè, si alia mens fuisset Congreg. eam secuti fuissent Lugo & Diana, qui Romæ in facie Ecclesiæ, & libris sub Censura Apostolica editis, eam obligationem negârunt. Imò Diana, qui ante. *P.* 1.

234. *An id teneat in aliis, ubi distinctū onus imponitur.*

Tr,

Tr. 4. *Resol.* 8. eam affirmaverat, postea *P.* 3. *Tr.* 24. *Resol.* 26. *& P.* 5. *Tr.* 13. *Resol.* 37. suam sententiam priorem revocavit.

In hoc dubio duo insuper consideranda sunt. Primum est proventus ex fundatione: si enim ex illo non respondeat Missis stipendium nisi ordinarium, non est obligatio dicto modo applicandi; quia Fundator non censetur duplex pro eo onus imposuisse; si autem sit ordinario notabiliter majus, censetur fundator exegisse applicationem illam. Alterum est praxis constans Antecessorum, qui si non applicaverint, non erit obligatio, quia non censentur ignorâsse mentem Fundatoris, aut malâ fide processisse; si verò applicaverint constanter, cùm non censeantur gratis obligationem suscepisse, standum est pro obligatione tot Missas applicandi, quot Fundator in fundatione præscripsit, etsi iis non responderet stipendium modò ordinarium, v. g. per injuriam temporum, vel ob imminutum auri, & argenti pretium, quod teste P. Zech. *in rigore temperato Dist.* 3. §. 199. ex Joanne Bodeno *de auri incremento, & decremento*, ante Sæculum XV. tantum erat, ut quod tunc uno floreno haberi poterat, nunc 10. sit comparandum. Dixi; *Omnes*, puta, nisi legitimè reducantur.

235. *Reductio Missarum.* Resp. 3. Missas fundatas in hoc casu reducere ad minorem numerum, etsi olim vi Tridentini Sess. 25. Cap. 4. de Reformatione potuerint Episcopi; nunc tamen post Decretum Urbani VIII. ubi hoc viget, potest id solus Papa. Dixi: *Ubi hoc viget*: nam testantur AA. etiam penes Episcopos facultatem in Germania esse eas reducendi, quæ præscriptis in primæva fundatione ex Fidelium fundatione postea accesserunt; sic enim

nim habet consuetudo in Germania teste chmaltzgruber L. 3. T. 41. etiam de iis, quæ ost Trid. fundatæ sunt. At reducere non possınt, si pro iis bona, immobilia relicta, in utitatem Ecclesiæ, vel monasterii versa sint, vel nera hujusmodi Ecclesiis, Vel Altaribus in ipso ındationis limine sint imposita. Si tota fundatio sine culpa provisi perierit, cessat tota obgatio, quia non præsumuntur fundatores, muıto rerum statu, voluisse indebitè gravare Clecos. Si autem ex parte solùm perierit, non pō:st numerum imminuere privatus.



TRACTATUS V.

DE

De Sacramento Pœnitentiæ.

PROOEMIUM.

mò. POenitentia dicta à pœna, quâ quis ob mala commissa, vel bona omissa se ipsum dolendo affligit, ımitur tum pro virtute, tendente ad peccaırum destructionem, tum in lege nova pro ıcramento, per se reconciliativo hominis ıptizati cum Deo. Considerata, ùt virtus, à cra Scriptura, & Patribus plerumque sumir pro complexo omnium virtutum, prout ndunt ad destructionem peccati, poteстque defi- 236. *Pœnitentia virtus, & Sacramentum.*

2. Pœnitentiæ virtus alia est habitualis, quæ est habitus inclinans ad dolorosam detestationem peccati commissi; alia actualis, quæ est detestatio, ac animi dolor de peccato commisso, ut est offensa Dei, cum intentione illud abolendi & compensandi.

3. Actus virtutis Pœnitentiæ alii sunt immediati, & eliciti, qui procedunt immediatè ex motivo ejus proprio; alii sunt mediati, & imperati, ad quos actus Pœnitentiæ elicitus inclinat, ut ex alterius virtutis motivo, vel ab alia potentia producantur. Talis potest esse actus Charitatis, Oratio, Jejunium, Eleëmosyna, flagellatio, gestatio cilicii &c. Unde patet, quòd virtus Pœnitentiæ Sacramento subministret actus, ad illud conducentes, & necessarios, de quibus simul proin agemus hoc Tractatu.

CAPUT I.

De Institutione, Essentia, tum Metaphysica, tum Physica Sacramenti Pœnitentiæ.

QUÆSTIO I.

Quando, & quomodo institutum sit Sacramentum Pœnitentiæ.

237. *Completè post Resurrectionem Christi.*

RESP. 1. Christus Dominus Sacramentum Pœnitentiæ instituit completè primùm post Resurrectionem suam. Est communis nunc omnium sententia, docetque *Tridentinum Sess.*

Sess. 6. Cap. 14. dicens: *Christus Jesus Sacramentum Pœnitentiæ instituit, cùm dixit Joannis 22. Apostolis: Accipite Spiritum S. &c.* Et Sess. 14. Cap. 1. *Dominus autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè instituit, cùm à mortuis excitatus insufflavit in Discipulos suos dicens: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Quòd autem addat *præcipuè*, per hoc insinuat, aliquod ejus fundamentum, vel initium præcessisse: præcesserat autem promissio potestatis remittendi peccata Matthæi 16. & 18. ubi Petro dixerat Christus: quòd daturus illi esset claves, & Discipulis, quòd, quæcunque essent soluturi, vel ligaturi in terris, soluta, vel ligata forent in Cœlis. Præcesserat etiam Ordinatio Apostolorum in Sacerdotes, facta in ultima Cœna: potestas autem in Ordinatione Sacerdotum collata in Corpus Christi physicum, omninò requiritur ad potestatem clavium exercendam in Corpus ejus mysticum, seu Fideles: sic, ut dici possit Christus inchoativè tunc Sacramentum Pœnitentiæ instituisse: impressio enim characteris sacerdotalis inchoatio est potestatis. Completè autem id instituit post Resurrectionem: non enim legitur, in ultima Cœna Apostolis contulisse potestatem remittendi peccata, nec antè contulit, cùm ex ejus voluntate præcedere debeat potestas sacerdotalis, seu Sacrificium offerendi; & hoc exemplo Christi hodiedum Ecclesia, in Ordinatione Sacerdotum, primò confert potestatem offerendi Sacrificium, & dein absolvendi à peccatis. Ratio autem congruentiæ est; quia


...nia per Sacramentum Pœnitentiæ peccator re-...rgit spiritualiter, cujus resurrectionis exemplar ...at Resurrectio Christi corporalis: sicut enim ...hristus resurrexit à mortuis; sic oportet nos in ...ovitate vitæ ambulare.

Resp. 2. Christus Dominus Sacramentum ...œnitentiæ instituit per modum Judicii, de-...ique in ejus institutione Apostolis, & in iis ...rum Successoribus Sacerdotibus potestatem ...gnoscendi, vereque remittendi peccata, quo-...l culpam & pœnam æternam. Est de Fide ... Scriptura & Conciliis, constantique Eccle-...e sensu, & praxi. Pars 1ma & 2da proba-...r: nam in omni vera ratione Judicii inve-...tur 1mò Reus, Accusator, & Judex: Reus ...idem, qui accusatur, aut spontè fatetur de-...tum suum, seque accusat, vel de eo ...nvincitur. 2. Judex, qui pronuntiat sen-...ntiam, & absolvit, vel Reum declarat, & ...enam dictat. Hæc autem reperiuntur in ...cramento Pœnitentiæ; quia in eo ex Christi ...titutione pœnitens se accusat, & personam ...i sustinet, ejusque delictis auditis, Sacer-...os eum aut absolvit, aut ligat, negando ab-...utionem, vel injungendo satisfactionem: il-... autem sic à Christo esse instituta, rectè col-...itur ex verbis ejus *Joannis* 22. antè citatis, ...ibus Apostolis dedit potestatem solvendi & ...andi, inque illis eorum successoribus Sacer-...tibus; eam autem non possunt exercere, si ...sit reus & accusator, vel se ipsum reum con-...ns; docetque *Trid. Sess.* 14. *Can.* 13. una-...ni PP. consensu sic illa verba semper fuisse ...ellecta. Probatur pars 3. nam peccatum ...opriè & primariò importat reatum culpæ, in ...o fundatur reatus pœnæ, nec hic remittitur, 238. *Per modum judicii.*

 nisi

nisi illo remisso. Unde, nisi Christus dedisset potestatem remittendi reatum culpæ, non dedisset potestatem simpliciter peccatum remittendi; imò nec secundùm quid. Probatur etiam pars 4ta: nam remissio culpæ, saltem mortalis, in hac Dei providentia non fit, nisi cum infusione gratiæ, adeoque non nisi cum jure ad filiationem Dei, & vitam æternam, quod jus stare non potest cum reatu pœnæ æternæ damnationis. *Ex dictis*

239. *Discrimen inter judicium sacramentale, & forense.* *Colliges* discrimen inter Judicium sacramentale, & forense: nam sacramentale inter duas personas, nempe Judicem & Reum clam peragitur. Reus, accusator, & testis est ipse pœnitens; Judex est Sacerdos, qui, causâ cognitâ, sententiam, quam Deus ratam habet, profert, & exequitur; ad cujus executionem tamen reus, seu pœnitens in tantum concurrit, in quantum pœnitentiam sibi impositam acceptat, & peragit. Atque hic processus est Judicii sacramentalis. In forensi Judicio præter Reum & Judicem sunt 1mò Assessores, qui consilio Judicem juvant. 2. Sunt Accusatores, qui Reum tergiversantem convincunt. 3. Sunt Procuratores, & Advocati, qui defendunt. 4. Sunt Apparitores, & Carnifices, qui sententiam capitalem exequuntur. Ex quibus patet, quòd Judicium sacramentale & forense partim conveniant, partim disconveniant.



QUÆS-

QUÆSTIO II.

Quid metaphysicè sit Sacramentum Pœnitentiæ?

Resp. Est Sacramentum novæ legis, mini- 140.
rio Sacerdotis remissivum peccatorum ho- *Quiddi-*
inis Christiani de iis se accusantis; vel Sa- *tas, &*
imentum, à Christo Domino institutum per *varia*
odum Judicii, perfectè reconciliativum ho- *appella-*
nis Christiani cum Deo. Unde dicitur Sacra- *tio.*
entum reconciliationis, absolutionis, confessionis, græcè, exomologesis, latinè, accusa-; ut ex usu recepto etiam confessio; ità, ut c nomine veniat totum Sacramentum. Frequentissimè dicitur Sacramentum Pœnitentiæ; ia partes illius pœnam habent, nempe, contio dolorem, confessio confusionem, satisfao afflictionem, vel molestiam.

QUÆSTIO III.

Quæ sint partes essentiales, seu intrinsecè constitutivæ Sacramenti Pœnitentiæ?

Resp. Partes essentiales Sacramenti Pœni- 241.
ntiæ sunt: Contritio, seu detestatio, & dolor *Dolor,*
peccatis cum proposito non peccandi de *confes-*
tero; confessio & absolutio; satisfactio au- *sio, ab-*
n est tantùm pars integralis. *Prima pars* *solutio.*
communis contra Scotum & Scotistas plesque, contendentes, essentiam Sacramenti enitentiæ consistere in sola absolutione; dorem autem & confessionem esse partes solùm

essentialiter prærequisitas. *Ratio* nostra est 1. Quia præcisè sublato dolore, vel confessione, non habetur Sacramentum Pœnitentiæ: est enim sicut cætera Sacramenta transeuntia, constans materiâ & formâ; nihil autem hic assignari potest, quod habeat rationem materiæ, nisi dolor & confessio, quæ absolutio, velut forma, determinat ad esse compositum, quasi physicum; institutio verò Christi ad rationem signi practici gratiæ. 2. Sacramentum Pœnitentiæ institutum est per modum Judicii, ùt suprà vidimus; sublato autem præcisè dolore, aut confessione, non habetur essentia Judicii: nam ad hoc intrinsecè spectat accusatio, quæ hìc est confessio; dein, cùm hoc Judicium sit reconciliativum hominis peccatoris cum Deo; hic autem sine dolore & retractatione peccata non remittat; intrinsecè eò quoque spectat dolor, ac retractatio. Demum Judicium ultimò completur per sententiam Judicis, tanquam per formam reliqua determinantem. 3. *Tridentinum Sess.* 14. *cap.* 3. dicit, actus pœnitentis esse partes hujus Sacramenti, & quasi materiam. Unde physicè loquendo, describi potest: *Sacramentum novæ legis, constans ex dolorosa detestatione, confessioneque peccatorum, & absolutione legitimâ.* Vel: *Sacramentum dolorosæ confessionis, & absolutionis sacerdotalis.*

Pars 2da est communis omnium. Et *Ratio est*; quia effectus primarius, nempe gratia & remissio peccatorum, quoad culpam & pœnam æternam, haberi potest sine satisfactione tam activâ, quæ est impositio pœnitentiæ, quàm passivâ, quæ est acceptatio, & impletio operis, pro satisfactione injuncti: uti patet in eo,

qui

qui absolvitur confessus antè, sed non est amplius in statu, ut satisfactionem admittat, & impleat. Proinde pars essentialis non est, attamen est integralis; quia elevata vi clavium ex opere operato confert ad plenam peccatorum, etiam quoad pœnam, remissionem, qui est finis hujus Sacramenti. Et quamvis hoc non integret, ùt est simpliciter remissivum peccatorum; integrat tamen, ùt est perfectiùs illorum remissivum, idque velut pars materialis, à forma determinabilis; ab illa enim satisfactio, tam activa, quàm passiva determinatur. Satisfactio activa quidem præcedit plerumque absolutionem; at, quia opus injunctum constituit in ratione obligatorii, huicque, ùt tali, supervenit absolutio, rectè dici potest quasi materia, non essentialis, sed integralis.

Hinc actus pœnitentis significant cum absolutione,& causant ex opere operato gratiam; quia Judicium sacramentale ad id à Christo elevatum est; quod quia non habetur, nisi accedente absolutione, ante eam nec significant, nec causant gratiam; etsi dolor antè significet peccati destructionem in ratione voluntarii, & confessio egressum peccatorum de anima, saltem inchoatum. Non dicitur tamen pœnitens se absolvere; quia hæc denominatio convenit ponenti non materiam, sed formam Sacramenti; sic Episcopus dicitur solus ordinare; quia formam Sacramenti ponit, non verò suscipiens Ordinem, etsi materiam v.g. contactum instrumentorum ponat. Nec actiones sacramentales ponuntur nomine Christi, nisi quæ fiunt à Ministro. 142. *Quomodo actus pœnitentis significent gratiam*

CAPUT II.

De Contritione primâ parte materiali essentiali Sacramenti Pœnitentiæ.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit Contritio, & quo ordine ad eam procedatur?

243. *Definitio.* Resp. 1. Contritio in genere, & ut præscindit à perfecta, & imperfecta, est detestatio, & animi dolor de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero. Ità *Trid. Sess* 14. *Cap.* 4. Vel: est detestatio dolorosa peccati commissi, excludens voluntatem peccandi de cætero. Dicitur 1mò detestatio; quia excludere debet voluntatem peccandi de præterito. Dicitur 2. Dolor; quia excludere debet voluntatem peccandi de præsenti. Dicitur 3. cum proposito non peccandi de cætero; quia eam etiam excludere debet pro futuro. Dicitur 4. Dolor animi, ut ostendatur, quòd debeat esse actus voluntatis, isque liber. Unde de essentia Contritionis est detestatio, quâ homo aversatur peccatum pro præterito, & dolor, quo excluditur cum animi afflictione pro præsenti, & destruit in ratione voluntarii; & propositum deinceps non peccandi, quo excluditur peccatum pro futuro: uno enim horum deficiente, non excluditur perfectè. Cæterùm qui dolet de peccato suo, simul illud aversatur: fertur enim in

in illud aversativè simpliciter, dumque de eo, ùt à se commisso, sibi proposito conteritur, deque illo ùt præsente dolet; ùt præteritum id ipsum aversatur: & quia id aversatur, ùt præteritum; in subjecto capace connaturaliter sequitur dolor de eo, ùt præsente: qui & in eo esse potest, qui per revelationem sciret peccata sua sibi esse perfectè remissa; quia malum præsens est, Deum semel offendisse, & privatum esse absolutâ immunitate à peccato, quæ privatio semper manet: ex quo moveri potest homo ad dolorem, quamdiu hujus capax est. Detestatio differt ab odio peccati; quia hoc fertur in peccatum secundùm se;, illa verò in illud, ùt commissum.

Resp. 2. Contritio alia est perfecta, & simpliciter Contritio dicitur; alia imperfecta quæ attritio appellatur. Perfecta est, quæ concipitur ex motivo absolutæ bonitatis Dei super omnia propter se amabilis. Vel est detestatio, ac dolor de peccato commisso, ùt Deo summè amabili malum est. Ut si quis expendens Dei infinitas perfectiones, infinitam nempe sapientiam, sanctitatem, benignitatem, clementiam, misericordiam, liberalitatem, longanimitatem, omnipotentiam, Majestatem, &c. illisque opponens peccata, tanquam ejus offensas, illa detestetur, deque illis doleat, ac deinceps proponat vitare, & expiare propter Deum summè amabilem. Imperfecta, seu attritio, est dolorosa detestatio efficax peccati cum proposito non peccandi de cætero, concepta ex motivo supernaturali inferiore, v. g. ex motivo spei, honestatis oppositæ turpitudini peccati, ex gehennæ, & pœnarum metu, ex damnis, ùt quia spoliat ani-

144. Divisio Contritionis.

mam gratiâ, jure ad gloriam &c. ut si quis, prælucente fide, expendat, peccatum esse injuriam in Deum, inobedientiam, ingratitudinem post tot accepta beneficia, impietatem in tam benignum, & sollicitum de nobis Patrem, &c. per id se meritum esse, siquidem grave sit, excludi cœlo in æternum, & ad perpetuas inferni pœnas detrudi; insuperque in hac vita gravissimis involvi malis? si verò sit veniale tantùm, meritum se esse non tantùm hic non donari gratiis copiosioribus; variisque malis affligi; sed etiam purgatorii pœnis, omnibus hujus mundi pœnis gravioribus; atque ità concipiat horrorem peccatorum, eaque detestetur; de iis ex animo doleat, quòd tam ingratum, immorigerum, &c. se exhibuerit, dignumque, & obnoxium fecerit tot, tantisque malis, à Deo justo Judice merito infligendis, proponatque deinceps vitare, & pro iis satisfacere.

245. *Ordo actuum, quibus ad dolorem proceditur.* Resp. 3. Ad detestationem, & dolorem de peccatis hoc ferè modo proceditur: 1mò. Peccator excitatus à Deo illustratione spirituali supernaturali, & piâ inspiratione motus, elicit fidem, quâ credit peccatum esse offensam Dei, mereri ejus iram, indignationem, & pœnam. 2. Sequitur timor aliquis pœnæ, ut à Deo infligendæ. 3. Cognoscit iterum per fidem se non posse offensam Dei delere propriis viribus, nec pœnas avertere; posse tamen per gratiam ex meritis Christi; quam Deus homini, nisi per eum steterit; paratus est dare. 4. Ex ea cognitione nascitur spes veniæ, & salutis per Christum consequendæ. 5. Quia cognovit, Deum beneficum, & misericordem esse erga hominem; sequitur aliqua

qua ad eum conversio, & veluti inchoata dilectio cum aliquo, etsi adhuc inefficaci, timore filiali: qui enim sperat aliquod bonum ab aliquo consequi, incipit erga eum bene affici. 6. Dictat fides, non esse aliud medium placandi Deum, pœnasque vitandi, nisi per Pœnitentiam cum proposito non peccandi de cætero. 7. Accedit actus prudentiæ dictans, hìc & nunc esse pœnitendum, idque honestum esse. 8. Hoc dictamine directa voluntas statuit pœnitere, & operari ad destructionem peccati, eliceréque actus placativos Dei in, vel extra Sacramentum Pœnitentiæ. Atque hic est actus Pœnitentiæ elicitus, quo imperantur actus aliarum virtutum ex propriis earum motivis eliciendi. Demum sequitur dolor, & detestatio peccati vel ex motivo charitatis, vel alio inferioris virtutis, prout voluntas se determinaverit. Atque actum illum elicitum Pœnitentiæ licèt ordinariè præcedant, aut comitentur actus prædicti; non tamen omnes sunt necessarii; sed potest quis bonitate Dei sibi per fidem proposita, sine tali Pœnitentiæ imperio elicere dolorem de peccato, tanquam Dei malo. Videri potest. *S. Thom. hic Q.* 85. *A.* 3. *ad* 4 *Suar. L.* 8. *de gratia*, ubi accuratè dictum ordinem exponit, & *Trid. Sess.* 6. *Cap.* 6. ubi modum, quo impius ad justificationem in Baptismo consequendam disponitur, gravioribus verbis eâdem ratione exponit.

246. *Cur dolor perfectus dicatur Contritio?*

Petes. Cur dolor perfectus Contritio, & imperfectus attritio dicitur? Resp. Est locutio metaphorica: sicut enim res dura corporalis conteri dicitur, quando in minutissimas partes, & quasi in pulverem contunditur, ità, ut quà-

quà versum tangatur, facilè cedat; tunc verò dicitur atteri, quando comminuitur quidem, sed in partes grandiusculas, ità, ut ad tactum non ità facilè cedat: sic cor pœnitentis conteri dicitur, quando vi doloris perfectè ad Deum convertitur, atque ad omnes divinas motiones facilè flexile mollescit; quando verò cor ob peccatum compungitur quidem, sed non eâ perfectione ad Deum convertitur, atteri dicitur.

QUÆSTIO II.

Qualis universim debeat esse dolor requisitus ad Sacramentum Pœnitentiæ?

Resp. Debet esse 1mò verus, & rationalis. 2. Formalis. 3. Honestus, & supernaturalis. 4. Efficax. 5. Universalis per se loquendo, respectu omnium mortalium, quæ commissa, & non remissa sunt. 6. Sensibilis. Explico membra singula.

247. *1. Debet esse verus.* 1mò. Debet esse verus, & rationalis, id est, re ipsâ verè à voluntate procedere; aliàs non erit Pœnitentia verè libera, & honesta, nec esse poterit pars Sacramenti. Unde non sufficit voluntas suscipiendi Sacramentum cum negatione affectûs actualis ad peccatum; nec quòd quis putet se verè dolere, aut doleat se non dolere; quia per hoc non habetur dolor. Notat tamen bene Arriaga *D.* 37. *N.* 23. fieri vix posse, ut quis efficaciter doleat de carentia doloris de peccatis suis, quin re ipsâ de iis doleat: quamvis enim non experiatur dolorem sensibilem, aderit tamen spiritualis, atque

que hoc obſervandum iis, qui anguntur, putantes ſe non dolere, etſi paratos ſe inveniant ad ſerviendum Deo, vellentque ſe non peccâſſe: neque enim hic dubium prudens eſſe poteſt de dolore, & horrore peccati, idque licèt querantur ſe non poſſe elicere ullum actum.

2. Debet eſſe formalis, id eſt animi afflictivus, ſeu cum diſplicentia ex memoria peccati commiſſi. *Ratio eſt*; quia *Florent. & Trid.* ad Sacramentum Pœnitentiæ tanquam ejus partem dolorem ſimpliciter requirunt, qualis non eſt, niſi formalis: unde etſi actus charitatis juſtificet extra Sacramentum, ad hujus tamen conſtitutionem, & valorem non ſufficit: quanquam qui, memor peccatorum, elicit actum perfectæ charitatis, angi nullatenus debet de defectu doloris formalis: eſt enim moraliter impoſſibile, ut memor peccatorum amet Deum ſuper omnia, quin ſua peccata deteſtetur, ùt Deo, ſibi ſuper omnia dilecto, oppoſita. Et idem eſt de propoſito de vitandis amore Dei peccatis: neque enim hoc ſine formali dolore eſſe moraliter poteſt. **2. *Formalis.***

3. Debet eſſe honeſtus, & ſupernaturalis; quia eſt diſpoſitio ad gratiam ſanctificantem, qualis eſſe non poteſt, niſi ſit actus honeſtus, & ſupernaturalis: nam diſpoſitio debet in eodem ordine eſſe cum forma, ad quam diſponit; ut autem ſit ſupernaturalis, debet motivum ejus per fidem vel formalem, & explicitam, vel virtualem, & implicitam proponi: aliàs enim principium ſupernaturale non influit in eum. Non eſt tamen neceſſe, ut fides ſubjectivè explicita præcedat de unitate Dei, vel Trinitate perſonarum, Incarnatione; ſed ſufficit actus tenuis, **3. *Honeſtus, & ſupernaturalis.***

tenuis, quo pœnitens credat Deum peccatis offendi, & ea, si quis inexpiatus moriatur, post hanc vitam severè puniturum; promisisse tamen veniam verè pœnitentibus per merita Christi, & gratiam, quâ possit vitam suam emendare, & pervenire ad vitam æternam. Ratio hujus est; quia secundùm omnes in tantum requiritur fides, in quantum requiritur proportionata cognitio ad spem, dolorem, & propositum efficax eliciendum; sed talis fides est ad hoc proportionata cognitio; quia proponit objectum horum actuum. Unde, si Pœnitens dolorem, & propositum efficax præferat, non debet Confessarius esse anxius, an actus illi ex fide procedant; non enim scit pœnitens, nisi per fidem, Deum peccatis offendi, & intentare impœnitentibus supplicia post hanc vitam, & nisi spes adesset, non subiret illam confusionem, aperiendo sua occulta Sacerdoti. Itaque si Pœnitentes antè sint instructi in mysteriis fidei, modumque sciant eliciendi fidem, & spem, semper adest sufficiens actus fidei, & spei. V. dicta P. 2. N. 31.

4. Efficax. 4. Debet esse efficax, non quidem quoad effectum, ità, ut vi illius deinceps Pœnitens non peccet; sed quoad affectum ità, ut excludat voluntatem peccandi deinceps, & affectu [illegible] peccatum commissum de præsenti, & [illegible]terito; aliàs enim non est conversio simpliciter ad Deum, adeoque nec dispositio requisita ad justificationem.

5. Universalis quoad mortalia. 5. Debet esse universalis, seu se extendere ad omnia mortalia commissa, non remissa; nam nullum peccatum remittitur sine efficaci de eo dolore, unum autem mortale non remittitur sine altero, cùm remissio fiat per infusio-

fusionem gratiæ sanctificantis, quæ connaturaliter cum nullo mortali stare potest. Nec juvat, quòd non semper sit necessaria omnium mortalium Confessio: nam hæc tantùm est necessaria necessitate præcepti; dolor autem de omnibus mortalibus non remissis est necessarius necessitate medii.

6. Debet esse sensibilis, id est, sensu perceptibilis; quia Confessio debet esse dolorosa: aliàs nec Confessarius Pœnitentis dispositionem cognoscet, nec ipsa Confessio censeri poterit vera accusatio Pœnitentis: unde debet dolor aliquo modo manifestari, v. g. per humilem Confessionem, vel per verba, aut signa. Cæterùm necesse non est, ut in corpore sentiatur: sed sufficit merè spiritualis, à voluntate elicitus. Nec necesse est, ut extendat se ad omnia explicitè cogitata; cùm, motivo universali secundùm se movente, extendens se ad unum, extendat se ad omnia, secundùm dicenda, sicque sit medicina contra omnes morbos animæ. *6. Sensibilis.*

248. Dixi in Resp. 1. *Debet esse universalis respectu omnium mortalium*: nam in eo, qui mortale confitetur, non est necesse, ut se dolor extendat ad venialia: nec ut se extendat ad omnia venialia in eo, qui non nisi talium reus est: sed satis est, si de uno, quod confitetur, verè doleat, cum proposito id emendandi. *Ratio est*; quia mortalia sine venialium remissione deleri possunt, & unum veniale sine altero remitti. An autem sufficiat in eo, qui plura venialia confitetur, dolor de uno, controvertitur, negat Castrop. & alii apud Suar. putantes, peccare mortaliter eum, qui plura venialia confitetur, & de uno, vel aliquibus tantùm dolet, *An debeat se extendere ad omnia venialia, quæ quis confitetur?*

cò

eò quòd apponat materiam ineptam. Affirmat sententia communis, & in praxi tuta: nam potest unum veniale remitti sine altero, prudenterque supponit Pœnitens Confessarium non intendere absolvere, nisi à peccatis, pro quibus offertur sufficiens dispositio; præsertim, cùm Pœnitentes, etsi conentur de omnibus dolere, & propositum concipere; tamen sæpe actus se non extendat efficaciter ad omnia, adeoque debeat Confessarius intentionem habere absolvendi tantùm ab illis, ad quæ se extendit dolor efficax. Deinde potest Confessarius absolvere ab uno veniali, & non ab altero, quod Pœnitens non confitetur, nec detestatur: cur non ab uno, quòd confitetur, & non ab altero, quod apponit, & non detestatur efficaciter. Putat tamen Suar. culpam aliquam admitti, si quis scienter non doleat de omnibus, quæ confitetur: sed nullam in hoc agnoscit Arr. & Rhodes; quia si peccatum illud, de quo non dolet, omitteret confiteri, non peccaret: cur ergo, dum confitetur, saltem, si id humilitatis gratia addat, & non tanquam materiam absolutionis: quod quilibet censetur facere hoc ipso, quòd, sciens peccatum non retractatum, non remitti, confiteatur.

Nec obstat 1. Quòd talis pœnitens apponat materiam ineptam, non secùs, ac qui validæ consecrationis materiæ, v. g. hostiis triticeis adderet hordeaceas, qui utique peccaret graviter: nam manet nihilominus vera forma absolutionis, cùm Sacerdos non intendat absolvere à peccatis, nisi de quibus quis verè dolet, & dirigat formam ad pœnitentem, quem intendit absolvere secundùm suam dispositionem: unde nec opus est, ut discretivè determinet

net peccatum, à quo absolvit, ùt patet, si absolvatur moribundus, qui tantùm dat signum Pœnitentiæ. Aliud est, si apponantur hostiæ non consecrabiles: cùm enim forma consecrationis ad singulas dirigatur, & tot Sacramenta physicè distincta intendantur, quot sunt hostiæ; forma falsificatur in iis, quæ non sunt materia apta consecrationis: Proinde peccatur mortaliter. Secùs is faceret, qui tritico misceret aliqua grana hordei pro hostiis pinsendis.

Nec obstat 2. Quòd talis Pœnitens videatur mentiri: nam hoc non obest valori Sacramenti; si de veniali confesso perseveret dolor, cùm non sit mendacium circa materiam necessariam. Deiñ nisi dicat se dolere de omnibus, excusari potest, ùt si dicat se dolere de peccatis, & plura v. g. ex præterita vita addat, de quibus dolet: scitur enim, quòd dolor sæpe se non extendat ad omnia venialia.

Nec obstat 3. Quòd plura mortalia verè commissa confitens, peccet graviter; si unum mortale addat non commissum: nam talis deciperet Confessarium in materia gravi, daretque occasionem in ea ferendi judicium falsum, sicque gravem irreverentiam inferret Sacramento.

Dixi 2. *Quæ commissa, & non remissa sunt*: nam de non commissis nequit esse dolor, de remissis autem non requiritur novus dolor, nisi ea Pœnitens confiteatur; quia non sunt materia hujus Confessionis. Juxta Trid. Contritio est detestatio, & dolor de peccato commisso: unde validè absolveretur, qui reus unius tantùm mortalis, v. g. furti gravis doleret ex speciali illius peccati

249. *An necessarius dolor de remissis?*

tur;

turpitudine, cum proposito non peccandi de cætero.

250. *Sacramentum validū, & informe.* Dixi 3. *Per se loquendo*: nam si quis, admissis duobus mortalibus, ex speciali motivo de uno tantùm doleret, inculpabiliter alterum oblitus, & confiteretur cum proposito debito, probabiliùs Sacramentum esset validum, licèt informe, nec teneretur, quod sic est confessus, denuò confiteri. In praxi tamen, cùm homo non sciat, an non sit reus alterius peccati, dolor eliciendus est ex motivo universali, ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis.

QUÆSTIO III.

An Contritio, procedens ex motivo universali, detestetur omnia peccata, & quomodo?

Resp. 1. Contritio, seu detestatio, & dolor efficax de uno peccato mortali, procedens ex motivo universali, præcisè secundùm se, & sine restrictione movente, detestatur omnia mortalia, etsi Pœnitens, de his explicitè non cogitaret. Est communis, & certa sententia.

251. *Contritio efficax ex motivo universali, absoluto ut tali, se extendit ad omnia mortalia.* *Ratio est* 1. Quia, cùm motivum universale opponatur, vel insit omni mortali; non potest quis unum mortale detestari efficaciter propter illud motivum præcisè secundùm se, quin detestetur omne, cui id opponitur, vel inest: aliàs motivum universaliter non moveret: sic qui detestatur unum mortale; quia opponitur bonitati divinæ, secundùm se super omnia dilectæ, detestatur simul omne. Qui detestatur illud ob turpitudinem aliis communem, v.g. quia est injuria, inobedientia, inhonoratio, con-

contemptus Dei, &c. simul detestatur omne mortale. Idem est, si detestetur illud efficaciter ex metu gehennæ. *Ratio est* 2. Quia voluntas non potest efficaciter velle finem, v. g. honestatem subjectionis Deo debitæ, cultûs, venerationis, beneplacitum Dei super omnia dilecti secundùm se, quin exercitè velit impedimenta removere: ergo non potest velle illa excludere, quin velit exclusa omnia mortalia; quia hæc omnia, & singula sunt impedimenta debitæ obedientiæ, cultûs venerationis, &c. unde talis actus cum nullo mortali in ratione voluntarii stare potest.

Dixi 1. *Contritio ex motivo universali efficax de uno mortali, detestatur omnia mortalia:* nam si motivum id non opponatur, vel non insit veniali; ad hæc se detestatio non extendet: ùt si quis conteratur de mortali; quia est dissolutivum amicitiæ cum Deo; quia meretur infernum, non detestatur ideo virtualiter venialia, cùm hæc non dissolvant amicitiam cum Deo, nec reum inferni constituant. Econtra si quis conteratur de venialibus ex motivo communi mortalibus, v. g. quia sunt offensa Dei, ingratitudo in Deum, merentia pœnam purgatorii, etiam detestatur, & dolet de mortalibus: nequit enim quis horrere ea, quæ à fine efficaciter intento retardant, quin horreat ea, quæ ab eo simpliciter excludunt. Nec obstat, quòd veniale, & mortale sint diversæ rationis: nam in hoc conveniunt saltem analogicè, quòd sint offensa Dei, ingratitudo, &c. Non potest autem quis detestari efficaciter ex motivo universali offensam levem, quin & detestetur gravem.

252. *Non semper se extendit ad venialia.*

253. *Nec ad mortalia, si motivum non sit commune omnibus.* Dixi 2. *Ex motivo universali* : nam si motivum sit quidem commune multis, sed non universale, & respectu omnium; dolor, & detestatio ex eo præcisè, se non extendit ad omninò omnia : uti si esset de homicidio propter specialem turpitudinem injuriæ; vel de blasphemia, quia est tanta Dei injuria, non se extenderet ad ea, quibus non inest talis turpitudo, vel tanta injuriæ gravitas. Aliud foret, si tenderet in ea præcisè; quia sunt injuria Dei gravis.

254. *Uti nec, si restrictè moveat.* Dixi 3. *Ex motivo universali, præcisè secundùm se, & sine restrictione movente* : nam potest voluntas motivo, etiam de se universali, nolle moveri universaliter, sed restrictè, proque sua libertate adhærere uni objecto malo, quamvis ob motivum, cæteroquin universale, ab alio v. g. graviore recedat. Sic potest ex motivo bonitatis Dei velle vitare mortalia, non verò venialia, vel vitare mortale gravius, v. g. blasphemiam; nolle tamen vitare occasionem proximam peccandi, v. g. contra castitatem : sicut potest velle quis ex eo dare eleëmosynam, non tamen amplecti statum Religiosum; sicut potest quis ex motivo misericordiæ velle dare uni, & non alteri, parvam, & non magnam eleëmosynam; ex motivo temperantiæ velle uno die jejunare, quin velit jejunare omnibus diebus; ex motivo charitatis benefacere amico citra grave detrimentum, vel periculum vitæ, quin velit cum illis : quia per quid aliud voluntas restringitur, (v. g. ne privetur omni libertate; ne gravetur nimiùm; ut suam libertatem ostendat. Et quamvis, sic restringendo motivum virtutis moralis, possit hujus exerceri actus : cùm

cùm intra lineam talis virtutis opera etiam minus intensa, aut extensa laudabilia esse possint: si quis tamen detestetur unum mortale, v. g. gravius, & non alterum ex motivo bonitatis Dei restricto, non erit actus virtutis Theologicæ, nec fortè supernaturalis; quia deest digna motivi appretiatio. Cæterùm si quis ex motivo universali non restricto virtutis etiam moralis operaretur, v. g. amico benefaceret, non posset velle beneficium illi, quin vellet omnia, quæ præstare posset; quia non est in potestate voluntatis, ut ratio honestatis beneficentiæ non participetur ab omnibus ejus objectis materialibus, licèt in potestate ejus sit illam ob causas restringere. Ex dictis sequitur quod intendens peccatum præcisè, quia est offensa Dei, implicitè, & connexivè velit omnia peccata.

Resp. 2. Contritio, procedens ex motivo universali secundùm se præcisè, & universaliter movente, detestatur peccata inæqualia personalia proprii subjecti inæqualiter: cùm enim unum magis opponatur motivo ejus, propter hoc etiam peccatum graviùs magis detestatur interpretativè saltem: est enim perfectè contritus sic constitutus, ut, si eligendum esset majus, vel minus peccatum, eligeret potiùs hoc quàm illud, v. g. veniale præ mortali, pauciora præ pluribus. 255. *Detestatur inæqualia inæqualiter*

Dixi: *Personalia proprii subjecti*: nam detestatur veniale sui subjecti magis, quàm alienum mortale, seu contritus mallet alienum mortale permittere, quàm venialiter peccare ad mortale alienum impediendum. Cujus ratio est; tùm quia rectus ordo creaturæ rationalis erga Deum postulat, ut quisque se primum 256. *Et peccata propria magis quàm aliena.*

mum rectè ad Deum ordinet : cùm neminem habeat conjunctiorem, quàm se sibi; tum quia omnis virtus, utpote dispositio sui subjecti ad optimum, ordinat hoc principaliter ad suum finem. Hinc veniale proprium est odio practico magìs odibile, quàm alienum mortale, nec hoc licet eligere pro vitando mortali alieno; quod patet : aliàs enim peccatum non esset. Speculativè tamen, & præscindendo, à quo mortale ponatur, est magìs odibile, quàm veniale. Imò veniale actuale personale magìs est practicè odibile, quàm mortale habituale proprium : hujus enim macula potiùs permittenda, quàm venialiter peccandum.

257. *Contritio efficax detestatur peccatum super omne malum physicum.* Resp. 3. Contritio tum perfecta, tum imperfecta, concepta ex consideratione turpitudinis peccati, detestatur peccatum exercitè super omne malum physicum possibile. *Ratio 1ma partis est*; quia Contritio perfecta est amor Dei appretiativè summus; id est, vi cujus contritus ità Deo adhæret, ut omnia mala physica malit tolerare, quàm ab eo per peccatum recedere, cùmque peccatum cognoscat esse summum Dei malum, non potest non id detestari super omne malum. *Ratio 2da partis est*; quia contritus ex consideratione turpitudinis peccati, hoc detestatur ordinatè, & pro merito suo; est autem peccatum malum gravius omni malo physico, & in ordine altiori : reddit enim hominem simpliciter malum, odibilem Deo, & abominabilem, pœnaque dignum; malum verò physicum pœnæ non facit, sed supponit hominem malum, estque pœna malum creaturæ nocentis, peccatum verò oppositum fini ultimo hominis.

minis. Unde, si hoc ob turpitudinem suam detestetur, magìs appretiativè detestatur, quàm quodcunque malum physicum. An idem dicendum sit de attritione, concepta ex metu gehennæ, resolvetur infrà.

Dixi in conclusione: *Exercitè magìs detestatur:* nam necesse non est formalem comparationem instituere dicendo: malo quæcunque mala sustinere; malo amittere honorem, divitias, vitam, quàm Deum offendere. Imò in rudibus, & in virtute minùs provectis sæpè periculosum est; quia mala sensibilia magìs à nobis apprehenduntur, & plerumque vivaciùs terrent, avertuntque appetitum sensitivum, quem voluntas facilè sequitur. Quare vitandæ sunt illis tales compara iones, multòque magìs hypotheses impossibiles, v.g. si deberem vel demergi in infernum, vel peccare, quid agerem? si Deus periret, nisi peccaretur, &c. quid eligerem? stultitia enim est talia à se, vel ab alio quærere, & exponere se tentationi periculosæ, cùm sufficiat peccata seriò detestari propter Deum, vel turpitudinem suam, & ab ejusmodi abstrahere: experimur enim, an seriò detestemur, velimusque vitare peccata: sicut experimur, nos revelatis à Deo super omnia alia firmiter assentiri, etsi de nullo alio objecto cogitemus; quia experimur nos illis ob authoritatem Dei revelantis ità adhærere, ut nulla creata authoritas possit nos ab assensu divellere: quæ adhæsionis firmitas sicut provenit formaliter ab entitate actûs, causaliter autem ab excellentia motivi, & pia affectione voluntatis; ità appretiatio contritionis formaliter est ab ipso actu, causaliter à motivo, & voluntate, divinæ gratiæ auxilio elevata, &

258. *Non est opus formali comparatione.*

nem reconciliari Deo, priusquam Sacramentum Pœnitentiæ suscipiat. 3. S. Pius V. & Greg. XIII. damnarunt hanc Baji propositioné: *Per contritionem, etiam cum charitate perfecta, & cum vero voto suscipiendi Sacramentum, non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut martyrii sine actuali susceptione Sacramenti.* 4. Perfecta contritio est actus charitatis Dei secundùm se super omnia (nam detestatur peccatum, ùt Deo malum, hujusque carentiam vult Deo, idque ex motivo bonitatis Dei absolutæ, (atqui actus charitatis Dei secundùm se super omnia, justificat extra Sacramentum, utì dictum P, 2. N. 82. & 83. ergo. 5. Duratio & intensio actûs non est de substantia ejus; ergo ad justificationem non requiritur: est enim nihilominus contritio perfecta conversio ad Deum, cui tribuitur à *Scriptura, Concil. Trid. & PP.* vis justificandi, modò sit appretiativè summa.

QUÆSTIO V.

An, ut contritio perfecta justificet extra Sacramentum, debeat se extendere ad omnia etiam venialia?

Resp. Cum communi omnium negativè. 260.
Ratio est 1. Quia veniale non pugnat cum *Non requiritur.*
gratia, & habituali charitate, ùt constat ex Scriptura, quâ teste justus in die cadit septies; sicut ergo jam semel habita non amittitur per veniale, sic nec hoc impedit ejus introductionem. 2. Qui elicit contritionem, quà appretiat Deum super omnia, quæ pugnant cum ejus amicitia, simpliciter diligit Deum, etsi

contritio illa se non extendat ad omnia venialia; ergo justificatur. 3. Si contritio extra Sacramentum justificans deberet se extendere ad omnia venialia; homini infirmo justificatio extra Sacramentum esset nimis difficilis: cùm enim cum ordinariis gratiæ auxiliis non possit vitare omnia, licèt possit vitare singula hic & nunc; propositum vitandi omnia homini, in mortale lapso, est admodum difficile; & tamen venialia non remittuntur, nisi ad quæ se propositum extendit.

Contritio perfecta, perfectior, perfectissima.

Nec obstat, quòd motivum contritionis perfectæ, quod est bonitas Dei absoluta, cui veniale opponitur, sit universale: nam non ideo movet semper in omni sua universalitate; sed, sicut intellectus potest eidem objecto modò firmius, modò minùs firmiter adhærere prout nempe diversimodè à voluntate applicatur; ità multò magis voluntas, in se libera, potest ex eodem motivo diversimodè detestari peccata; ac 1mò quidem omne solùm, quod dissolvit amicitiam Dei, vel malum est grave ejus & hæc est contritio perfecta infima. 2. Omne, quod magis deliberatè fit: & hæc contritio extendit se ad venialia peccata plenè deliberata, estque priore perfectior. 3. Omne, quod ullo modo Deo displicet, & hæc extendit se ad quæcunque peccata, estque perfectissima. Qui primo modo detestatur peccatum, etsi non appretiet Deum super omnia perfectissimè, appretiat tamen simpliciter dignè; quia ponit actum incompossibilem cum peccato, finem ultimum excludente, adeoque justificationi nihil obstat, cùm veniale sit tantùm inordinatio circa media; & charitatem, quæ est circa finem ultimum, non attingat: unde

ide nec habitum tollit, vel minuit. Vide Thom. 2. 2. q. 24. a. 10.

QUÆSTIO VI.

An ad Sacramentum Pœnitentiæ requiratur contritio perfecta?

Resp. Non requiritur. Est communis, & certa sententia. *Probatur*: nam contritio perfecta justificat ante actualem Sacramenti susceptionem; atqui talis contritio non requiritur ad Sacramentum Pœnitentiæ: tum quia aliàs Sacramentum hoc non esset Sacramentum mortuorum, contra ac habet communis omnium Theologorum; tum quia alioquin Sacerdotibus non esset potestas solvendi à peccatis in actu secundo; absolutio non liberaret à peccatis; non esset functio remittendi peccata; res & effectus Sacramenti Pœnitentiæ non esset reconciliatio cum Deo: quæ omnia repugnant *Trident. Sess.* 14. *de Pœn. Cap.* 3. *& Can.* 9. Unde sententia quorundam antiquorum amplius sustineri non potest, qui vel dicebant, à Sacerdotibus tantùm denuntiari remissa peccata; vel, remissâ jam culpâ, & pœnâ æternâ, per absolutionem remitti tantùm pœnam aliquam temporalem. hoc enim non est simpliciter absolvere à peccatis, quæ primariò important reatum culpæ. 261. *Sententia negativa certa.*

Nec juvat, quòd *Trid. Sess.* 14. *Cap.* 4. dicat, reconciliationem cum Deo ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in ea includitur, non esse adscribendam: nam, licèt contritio non justificet, nisi talis sit, ut voluntatem includat peccata confitendi, reliquaque

præcepta, graviter obligantia; servandi v. g. sumendi suo tempore Eucharistiam &c. nihilominus, si ad Sacramentum Pœnitentiæ requiratur perfecta contritio, hoc non erit magis Sacramentum mortuorum, quàm Eucharistia; nunquam re ipsâ in actu secundo reconciliabit peccatorem cum Deo.

Confirmatur authoritate Pontificum: nam Julius Papa *Can. Si Presbyter. c. 26. q. 3.* ait: *Si Presbyter pœnitentiam morientibus negaverit, reus erit animarum.* Et Cœlestinus, eum sequens, ait: *Morientibus negare pœnitentiam quid aliud est, quàm morienti mortem addere, ejusque animam suâ crudelitate occidere:* Quæ vera non essent, si ad Pœnitentiæ Sacramentum requireretur contritio perfecta. Videri potest S. Aug. *sermone 44. de verbis Domini*, ubi manifestè communem nostram docet sententiam.

QUÆSTIO VII.

An attritio, concepta ex consideratione turpitudinis peccati, & amore ingenuo, seu honestatis, vel spe beatitudinis, sufficiat ad valorem, & fructum Sacramenti Pœnitentiæ?

262. *Sententia affirmans certa.* Resp. Si sit supernaturalis, seu ex fide orta; efficax, & universalis, cum proposito non peccandi de cætero, sufficit: id enim 1mo docet Scriptura. 2. Concilia. 3. Idem tenent SS. PP. nominatim S. Augustinus. 4. Idem tenet S. Thom. Theologi plerique contra respectivè paucos. 5. Idem probat praxis Ecclesiæ, & com-

ommunis Fidelium sensus. 6. Ratio id ipsum vincit.

Probatur 1. *ex S. Scriptura* : nam Joannis 20. Apostolis, & eorum in Sacerdotio Successoribus, data est à Christo potestas remittendi & retinendi peccata ; atqui, si ad Sacramentum Pœnitentiæ non sufficeret attritio, saltem concepta ex amore ingenuo honestatis, vel desiderio fiduciali beatitudinis, talis potestas non esset concessa : nam requireretur contritio ex motivo bonitatis Dei super omnia dilecti, quæ antè justificaret. ***Probant S. Scriptura.***

Probatur 2. *ex Conciliis* : nam Trid. *Sess.* 14. *Cap.* 3. contritionem in genere dicit esse quasi materiam, & partem Sacramenti Pœnitentiæ. *Cap.* 4. eam definit, quod sit animi dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero. Deinde contritionem perfectam distinguit per motivum ab impefecta : illa enim ex ejus mente, si sit charitate perfecta, reconciliat peccatorem cum Deo ante actualem Sacramenti susceptionem ; hæc verò communiter concipitur ex consideratione turpitudinis peccati, vel gehennæ, & pœnarum metu. Demum de attritione addit hæc verba : *Quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat ; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* Quæ verba si rectè expendantur, manifestum fit, quòd ex mente Concilii ad justificationis gratiam in Sacramento consequendam sufficiat attritio : nam, sicut contritio perfecta perducit ad justificationis gratiam extra Sacramentum dispositivè, seu velut dispositio ultima : sic ad eam non perducere potest attritio ***Concilia.***

tritio, nisi velut dispositio; jam verò Concilium dicit, quòd attritio extra Sacramentum ad eam per se non perducat, seu, quod idem est, non sit dispositio sufficiens, & ultima; tamen ad eam disponat, seu sit dispositio ad eam in Sacramento impetrandam: ubi intelligi non potest, nisi de dispositione proxima: aliàs sensus foret: quamvis non sit dispositio extra Sacramentum, est tamen dispositio in Sacramento; cujus propositionis prima pars falsa foret, cùm extra Sacramentum attritio utique sit dispositio remota ad justificationem: sensus ergo esse debet; quamvis non sit per se sufficiens dispositio ad justificationem extra Sacramentum, est tamen sufficiens cum Sacramento. Idem docent *Concil. Florent.* & *Africanum*, ùt ostendit P. Franciscus Penthereau *in libello de sufficientia attritionis à pag.* 157.

S. *Augustinus*. *Probatur* 3. *ex S. Aug.* nam *Epistolâ* 254. *aliis* 104. docet, sufficere dolorem ad correctionem, & fructum confitentibus, qui præviâ fide ex formidine divini Judicii concipitur; ergo & sufficiet dolor ingenuus. *Sermone* 44. *de verbis Domini* dicit, quòd peccatores, sibi displicentes, resurgant quidem, puta, cum proposito servandi mandata, tamen adhuc solvi debeant potestate, à Christo discipulis concessâ; solvi autem necesse non foret, si essent perfectè contriti; ergo solvi possunt tantùm attriti. Idem docent alii PP. apud Penthereau & Francolinum.

S. *Thomas*. *Probatur* 4. *ex* S. *Thoma*, qui *in* 4. *d.* 6. *q.* 1. *a.* 3. *Quæstiunculâ* 1*mâ ad* 5. ait: *Ad hoc, ut præparet se homo ad gratiam in Baptismo præcipiendam, praexigitur Fides, sed non Charitas; quia sufficit attritio præcedens, etsi non*

on sit contritio. Idem autem est de Sacramen-
o Pœnitentiæ. Ibidem *distinct.* 22 *quæst.* 2.
rt. 1. hæc habet: *Quando aliquis accedit ad Confessionem attritus, non plane contritus; si obicem nonponit, in ipsa confessione, & absolutione sibi gratia, & remissio peccatorum datur.* Idem docet Scotus *in* 4. *dist.* 14. *q.* 4. & alii Theologi passim.

Probatur 5. ex praxi, & tacita approbatione Ecclesiæ, communique sensu Fidelium: nam 1. Sententia de sufficientia attritionis docetur passim in universa Ecclesia, estque in Italia, ut testantur AA. Itali, communissima, ac nominatim docetur Romæ, consciis Pontificibus, in Collegio Urbano de propaganda Fide, in Collegio Pancratii in Collegio S. Thomæ ad Minervam, & aliis, nec tamen contradixerunt Pontifices, nec Concilii Trid. Interpretes, etsi non ignorent, ejus assertores niti potissimùm authoritate dicti Concilii. 2. Traditur passim pueris & rudibus in Catechismis, In Concionibus, editis libris, & *Catechismo Romano p.* 2. *cap.* 5. his verbis: *Ex Fidei Catholica doctrina omnibus credendum, & constanter affirmandum, si quis ità animo affectus sit, ut peccata admissa doleat, simulque imposterum non peccare constituat, licèt ejusmodi dolore non afficiatur, qui ad impetrandam veniam satis esse possit, ei tamen, cùm peccata ritè confessus fuerit Sacerdoti, vi clavium scelera omnia remitti, & condonari; ut meritò à sanctissimis viris PP. nostris celebratum sit, Ecclesia clavibus aditum in cœlum aperiri: de quo minimè dubitari fas est, cùm à Concilio Florentino Decretum legamus, pœnitentia effectum esse absolutionem à peccatis.*

Praxis Ecclesia.

Catechismus Romanus.

3. Sæpe

Pontifices. 3. Sæpe Rigoristæ sententiam nostram exhibuerunt Pontificibus cum instantiis urgentibus, ut damnaretur; tantum verò abfuit, ut iis deferrent Pontifices, ut *Innoc. XI.* & *Alexander VII.* graviter vetuerint, eam censurâ afficere, permiserintque publicè doceri.

4. Ea est praxis confessariorum, qui, licèt pœnitentes excitent ad dolorem perfectum, acquiescunt tamen, si prudenter judicare possint, adesse saltem imperfectum cum spe veniæ.

5. Is est sensus communis Fidelium, qui satisfecisse se ex communi instructione putant, si dolorem, saltem imperfectum, cum proposito elicuerint; jam verò non est credibile, quòd Spiritus Sanctus, regens Ecclesiam, permitteret doceri passim sententiam, ex cujus praxi, si falsa foret, sequeretur tot animarum ruina, tanta sacrilegiorum tum in Confessione, tum in Communione multitudo. Nec sine reatu æternæ damnationis potuissent dissimulare Pontifices; fecerunt tamen, & faciunt, etiam vetando eam censurâ notari. Imò Concilii Tridentini PP. qui accuratam de Sacramento Pœnitentiæ doctrinam tradituros se promiserunt, debuissent eam damnare. Hoc argumentum reflexum moraliter certam reddit sententiam nostram, eliditque omnem sententiæ oppositæ probabilitatem veram, & solidam.

Ratio triplex. *Probatur* denique triplici ratione. *Prima* est: In Lege nova, postquam Christus factus est propitiatio pro peccatis nostris, debent peccata faciliori, & humanæ infirmitati magìs accommodatâ dispositione remitti, quàm in Lege veteri: hoc autem non esset, si ad justificationem in Sacramento non sufficeret attritio; sed

res

requireretur contritio perfecta Minor patet. Major probatur : nam in Lege nova Sacramentum Pœnitentiæ adferre debet aliquod privilegium; nullum autem adferret, si ad id non sufficeret attritio; sed ècontra adferret majus gravamen : nunc enim deberent pœnitentes habere contritionem perfectam, peccata sua, quoad numerum & speciem cum suî confusione confiteri, injunctam satisfactionem ex obligatione præstare; in Lege autem veteri sufficiebat perfecta contritio. 2*da*. Si attritio non sufficeret ad Sacramentum Pœnitentiæ, esset odiosum pœnitentibus, & Confessariis : pœnitentibus quidem; quia non tantùm tenerentur ad contritionem perfectam, relapsis in mortalia plerumque valde difficilem, sed etiam ad pandendam omnem suam turpitudinem Confessario; Confessarii autem, quia essent perpetuis expositi anxietatibus, hærerentque passim in dubio de danda vel neganda absolutione : hoc autem repugnat intentioni Christi, qui noluit, tribunal sacramentale esse torturam Confessariorum, & lanienam pœnitentium; sed voluit, jugum suum esse suave, & onus leve, ne daretur ansa omnibus fugiendi munus Confessarii. 3*tia* à priori est : nam alis attritio directè respicit Deum, utpote detestans peccatum; quia est contemptus, vel vilipensio Dei &c. Proinde est conversio ad Deum, & absoluta aversio à peccatis.



QUÆS-

QUÆSTIO VIII.

An attritio, concepta ex metu gehennæ, & pœnarum, sufficiat ad justificationem in Sacramento?

263. *Sententia affirmans ostenditur vera*

Resp. Attritio supernaturalis, absolutè efficax, concepta ex metu gehennæ, & pœnarum, si conjuncta sit cum spe veniæ, sufficit ad justificationis gratiam in Sacramento Pœnitentiæ consequendam. Est communissima contra respectivè paucos, præsertim Rigoristas.

Probatur 1mò ex *Trid. Sess* 14. *Cap.* 4. ubi cùm dixisset, attritionem communiter concipi ex consideratione turpitudinis peccati, vel gehennæ, & pœnarum metu, addit: quòd, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, sit donum Dei, & impulsus Spiritûs sancti moventis, quo Pœnitens adjutus viam sibi ad Justitiam parat; & quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponat. Quibus verbis sicut declarat, attritionem non esse sine Sacramento dispositionem sufficientem ad justificationem; sic declarat, eam esse talem ad justificationem in Sacramento consequendam; aliàs nihil dixisset Concilium: sicut enim manifestum est, quòd sit dispositio remota extra Sacramentum; sic ignorari non poterat, esse saltem remotam etiam in Sacramento, sicque frustra fuisset particula: *tamen*, & valet hìc, quod de mente ejus dixi ad quæstionem præcedentem: loquitur enim pariformiter de attritione utraque.

Pro-

Probatur 2. uti conclusio praecedens, ex
:axi, tacitaque approbatione Ecclesiae, sensu-
ıe communi Fidelium, & authoritate S. Au-
ıstini.

Probatur 3. *ratione*: nam talis attritio est
:ra, licèt imperfecta, ad Deum conversio, &
ersio à peccato, voluntatem peccandi dein-
ps excludens; proinde ei nihil deest, quò
inùs in Sacramento perducat ad justificatio-
m, velut dispositio ultima.

Dixi 1. *Attritio supernaturalis*: puta enti- 264.
tivè; nam dispositio ultima ad gratiam super- *Si super*
ıturalem, & sanctificantem, debet esse propor- *natura-*
ɔnata,& in eodem ordine,dictque *Trid. Sess.* *lis attri-*
Can. 3. anathema illi, qui assereret, sine Spi- *tio sit.*
:ûs sancti inspiratione, & adjutorio posse ho-
inem poenitere, sicut oportet. Unde & *Inno-*
ntius XI. damnavit hanc ordine 57. propo-
ionem: ***Probabile est sufficere attritionem na-***
ralem, modò honestam, ut autem sit super-
.turalis, debet ejus motivum proponi per fi-
:m, vel lumen supernum aequivalens, adeoque
tingi cum aliquo respectu ad Deum: ut enim
detestetur peccatum propter suam turpitudi-
:m, debet id attingere, ùt contrarium legi
vinae; ut verò detestetur id, ùt privans aliquo
ɔno, debet attingere, ùt privans bono Dei:
ì, ut detestetur ex metu gehennae, vel poena-
ım, debet attingere malum, ùt à Deo infli-
:ndum, vel privans aliquo bono Dei. *Ratio*
?; quia esse debet conversio ad Deum, & ali-
ıa Dei dilectionis inceptio Debet fieri, cum
ɩe veniae, quae non possunt haberi sine aliquo
·spectu ad Deum. Sufficit tamen juxta Suar.
: alios respectus implicitus, & confusus: ùt, si
ırpitudo peccati, ùt disconvenientis cum re-

cta ratione, prævio lumine superno cognoscatur, vel jactura bonorum confusè repræsentetur, ut à Deo obventura &c.

265. *Et efficax, qualis esse potest, concepta ex metu gehennæ.*

Dixi 2. *Attritio absolutè efficax*, id est, quæ voluntatem omnem peccandi excludat: posse autem talem concipi ex metu gehennæ, dubitari non potest: quidquid quidam cum aliquibus Lovaniensibus, & Le Drou contradicant: nam, sive gehenna consideretur, ùt complectens pœnam sensûs, & pœnam damni, consistentem in privatione afflictiva visionis Dei æterna; sive, ùt complectitur solam perpetuam pœnam sensûs, à Deo ob peccatum infligendam; potest quis efficaciter eam velle vitare: jam verò, quisquis efficaciter vult vitare gehennam, etiam vult efficaciter vitare omne mortale, tam internum, quàm externum, utpote inductivum gehennæ: aliàs vellet efficaciter vitare, & non vellet vitare gehennam: quisquis enim absolutè efficaciter vult finem, necessariò vult media, ad eum necessaria.

Confirmatur 1. Timor pœnæ cohibet, juxta Adversarios, aut potest saltem cohibere externum peccatum v.g. timor patibuli furtum; ergo timor gehennæ potest cohibere peccatum, etiam internum, seu affectum ad peccatum. Probatur Conseq. Ideo timor pœnæ cohibere potest externum peccatum; quia propter illud pœna incurritur; atqui gehenna propter peccatum internum incurritur; ergo gehennæ timor potest cohibere peccatum internum. Nec dici potest, quòd timor gehennæ excludat peccatum internum tantùm negativè, velut somnus, vel vehemens distractio excludit à mente cogitationem de aliquo objecto: nam timor efficax gehennæ excludit peccatum per positivam cum eo repug-

repugnantiam, quatenus ex natura sua cum eo, quamdiu ipse durat, stare non potest.

Confirmatur. 2. Potest quis efficaciter æternam beatitudinem amare, & intendere, ùt sibi bonam, & ad eam consequendam omnia media necessaria adhibere ex ejus amore; ergo potest quis efficaciter etiam aversari, & fugere pœnas gehennæ, ùt sibi malas, & ex metu earum velle, & adhibere omnia media ad eas non incurrendas necessaria. Subsumo; atqui ex mediis, ad gehennæ pœnas non incurrendas necessariis, unum est excludere omnem voluntatem peccandi graviter; ergo ex metu pœnarum gehennæ potest quis excludere omnem voluntatem peccandi graviter.

Confirmatur 3. Authoritate Sedis Apostolicæ: nam Clemens XI. inter centum, & unam Quesnelli propositiones damnavit hanc ordine sexagesimam: *Si solus timor supplicii animat pœnitentiam, quò hæc est magis violenta, eò magis ducit ad desperationem.* Item sexagesimam primam hanc: *Timor non nisi manum cohibet: cor autem tam diu peccato addicitur, quàm diu ab amore Justitiæ non ducitur.* Item damnavit hanc sexagesimam secundam: *Qui à malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam reus est coram Deo.*

His propositionibus contradictoriæ ab omnibus Catholicis DD. recipiuntur, ùt veræ; ergo fatendum est, quòd timor pœnæ possit & cor cohibere à peccato etiam interno &c.

Dixi 3. *Conjuncta cum spe veniæ*, id est, cum desiderio fiduciali gratiæ remissivæ peccati quoad culpam, seu condignitatem inimicitiæ Dei, & quoad pœnam, seu condignitatem ad pœnam, saltem perpetuam; quæ spes esse potest 266. *Cum spe veniæ.*

etiam in eo, qui sciret, perfectè sibi peccata esse remissa. *La Croix L. 2. n. 26. Inst. 3. V. De Spe p. 2. N. 63.*

267. *Dices 1. Tridentinum* ad justificationem peccatoris requirit amorem Dei; ergo non sufficit attritio, concepta ex solo metu gehennæ, vel turpitudine peccati; sed debet procedere ex motivo Charitatis simul, tanquam motivo suo inadæquato, aut conjuncta esse cum amore Dei secundùm se. Probatur antecedens: nam Concilium *Sess. 6. Cap. 6.* agens de dispositione, in adultis requisitâ ad justificationem in Baptismo consequendam, ait: quòd peccatores ad eam disponantur per fidem, timorem divinæ Justitiæ, spem, & amorem, quo Deum, tanquam fontem omnis Justitiæ, incipiunt diligere, ac per odium peccati, hujusque detestationem inde consequentem. Resp. Transeat Antec. Neg. Conseq. Concilium dixit, quòd prælucente fide timore concussi in spem erigantur, fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque, tanquam omnis Justitiæ fontem, diligere incipiant, ac propterea moveantur adversus peccatum per odium aliquod, ac detestationem, hancque esse pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oporteat. Ex his autem verbis argui minimè potest, requiri actum Charitatis Dei, super omnia propter se dilecti: aliàs Baptismus nulli conferri posset, nisi jam antè justificato; sed docet Concilium, quòd peccatores, sic in spem erecti, incipiant Deum diligere, vel præscindendo ab amore perfecto, & imperfecto, vel amore, quo in eum feruntur, tanquam sibi benignum, & misericordem: nam, ùt ait *S. Thom. 1. 2. q. 90. a. 7. in O. Ex hoc*

Non obstat Tri- dent.

hoc, quod speramus, per aliquem posse nobis provenire bona, movemur in ipsum, sicut in bonum nostrum, & sic incipimus eum amare, amore utique, ut vocant, concupiscentiæ, qui initium est amoris perfecti, utpote nos ordinans ad finem nostrum ultimum, amicamque cum Deo conjunctionem: hic enim finis est omnis actûs supernaturalis; & hinc actus spei, propositum servandi mandata Dei, omnisque actus honestus supernaturalis est initialis, & virtualis amor Dei secundùm se, sicut timor Dei Ecclesi. 25. dicitur: Initium dilectionis ejus.

Dixi: *Transeat Antec.* Nam Concil. ibi docet, quomodo ordinariè ad justificationis gratiam peccatores disponantur; non verò dicit, omnes illos actus esse necessarios: nam certo non requiritur timor Justitiæ divinæ, vel pœnæ, sed sufficit dolere ex motivo Charitatis, vel honestatis peccati turpitudini oppositæ, aut; quia amissa est gratia Dei, jus ad Cœlum &c. Deinde *Trid. Sess.* 14. *Cap.* 4. agens de dispositione ad justificationem, in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam, nullam facit mentionem amoris benevoli, sed distinguens contritionem, & attritionem unicè per motiva adæquatè diversa, dicit, attritionem, conceptam ex consideratione turpitudinis peccati, vel gehennæ, & pœnarum metu, disponere ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ; imò ex Decreto priùs concepto deleri jussit hæc verba: *Cùm sine aliquo dilectionis in Deum motu vix esse queat.*

 Unde

Unde ruit imò sententia Illorum, qui cum Ledrou ad justificationem in Sacramento requirunt contritionem ex amore Dei appretiativo super omnia; quem tenent non justificare extra Sacramentum, nisi sit depuratus ab omni spe, & timore, vel tam fortis, ut stet in omni occasione contra quævis adversa. V. P. 2. à N. 83.

2. Ruit sententia P. Simmonet, & P. Antoine in editione prima, qui præter attritionem requirunt amorem benevolentiæ simplicem, qui stare tamen possit cum peccato mortali actuali. Nam præterquam quòd talis amoris necessitas nullum habeat fundamentum in Concilio, vel authoritate Theologorum, nihil ad justificationem conferre potest, cùm voluntatem peccandi non excludat, ad Deum non convertat, quod tamen præstat attritio.

Sententia Pallavicini. 3. Ruit sententia Pallavicini, qui contendit attritionem debere procedere ex amore Dei secundùm se, qui non appretiet Deum super omnia, super ea tamen, quæ cum amicitia Dei non stant, attritionisque motivum debere esse tum Dei bonitatem absolutam, tum aliud inferius, ità ut neutrum sine altero moveat ad efficacem peccati detestationem, sed utrumque simul: nam hujus sententiæ nullum est vestigium in Concilio; imò fundamentum contrarium, cum motiva attritionis, & contritionis adæquatè distinguat. Dein non apparet, quomodo amor ille non sit perfectus, si Deum appretiet super omnia, quæ repugnant amicitiæ Dei; videatur Pallav. *de Virtute Pœn. Cap.* 11. *de Contrit. Cap.* 12. *N.* 148. & deprehendetur, quòd valde obscurè suam sententiam proponat, & nullatenus faveat iis, qui requirunt ad Sacramentum Pœniten-

nitentiæ contritionem ex amore Dei secundùm se, super omnia appretiati, etsi non depurato à spe, & timore.

Dices 2. Potest quis velle vitare gehennam, & non modò, sed postea, velle adhibere media, v. g. vitare peccatum, agere Pœnitentiam in fine vitæ, cùm intentio finis non determinet ad media, nisi quando finis intenti obtentio urget; ergo potest quis ex metu gehennæ velle vitare peccata, quin excludatur voluntas peccati. Resp. Potest quis velle absolutè efficaciter vitare gehennam, ità, ut nunc se ponat extra periculum, omniaque vitare, ex quibus reatum ejus contrahat, & tamen non modò, sed postea velle media N. Ant. potest velle vitare gehennam non absolutè efficaciter, sed restrictim ad circumstantiam, v. g. temporis, & non velle modò adhibere media &c. C. Ant. & N. Conseq. qui absolutè efficaciter vult vitare gehennam, vult vitare, quantum est in se omnia ejus incurrendæ pericula, adeoque & peccata; secùs, qui vult solùm vitare gehennam cum restrictione ad tempus; sicut, qui actum spei efficacem absolutum concipit, sic constituitur, ut velit omnia, quæ à bono sperato impediunt vitare; non verò, qui actus spei habent inefficaces & ad tempus restrictos. Hi enim, ùt evenit peccatoribus multis, sperant beatitudinem, & tamen non determinantur ad vitanda peccata, quia actus non sunt absolutè efficaces. Idem esse potest, de voluntate peccata fugiendi, & agendi Pœnitentiam; secùs est, si intentio finis sit absolutè efficax, extendens se ad vitanda pericula, & reatum. 268.

Non inefficax, sed absolutè efficax voluntas excludit peccatū.

Dices 3. Attritus ex metu gehennæ propriè & 269.

Attritus odit peccatũ secundum se.

& in se non odit peccatum, sed gehennam, ob quam odit peccatum, sicut, qui odit hominem propter scelera, non ideo odit propriè, & in se hominem, sed scelera. R. N. Aff. Nam odit peccatum secundùm quod est offensa Dei, justi Judicis, inductiva gehennæ, seu ut suâ maliriâ gehennæ pœnis, a deo, justo Judice infligendis, obnoxium facit. Quare gehenna est objectum attritionis formale primarium, peccatum verò objectum ejus materiale est, & formale secundarium dici potest, quatenus offensa Dei justi Judicis est inductiva gehennæ: peccator Dei gratiâ excitante motus ad pœnitentiam 1mò, Fide prælucente de fine ultimo, & beatitudine, gehennaque, peccatoribus impœnitentibus præparatâ, concipit amorem efficacem beatitudinis. 2. Spem veniæ pœnitentibus promissæ; & amorem aliquem Dei secundùm dicta N. 245. 3. Fugam efficacem gehennæ, peccatoribus præparatæ: 4. Efficacem, dolorosam detestationem peccatorum, ùt sunt offensa Dei justi Judicis, & sua malitia inductiva gehennæ, cum proposito non peccandi de cætero. Atque ità attritio tollit affectum ad peccatum in, & secundùm se tum directè, tum indirectè, quia is stare non potest cum efficaci fuga gehennæ, & proposito deinceps servandi mandata Dei. Simile adductum non est ad rem: cùm enim homo peccator maneat proximus noster, capax beatitudinis &c. est nihilominus amabilis, odiumque ejus secundùm se non necessariò inducitur per odium peccatorum, quorum reus est. At cùm infernus secundùm se non sit odibilis, sed tantùm, ut substat malis meritis peccatorum non potest odio efficaci haberi, nisi in consortio

pec-

peccati, seu hoc simul repræsentetur, ut inductivum illius.

Dices 4. Attritus ex metu gehennæ non curat, quod peccatum sit contra Deum; ergo non odit peccatum, ùt oportet. R. D. A. Non curat, quod peccatum sit contra Deum ùt vindicem justum peccatorum N. A. Non curat, quod sit contra Deum, ùt suprà omnia propter se amabilem, subd. positivè hoc non curat, seu id vilipendit, vel contemnit N. A. præcisivè hoc non curat, id est vi motivi attritionis non elicit actum, quo aversetur peccatum, ut est contra Deum super omnia propter se amabilem, sed ab eo proscindit C. A. & N. C. sicut qui amat Deum consideratâ solâ ejus misericordiâ, aliis Dei perfectionibus ad illum actum non movetur, & tamen non contemnit, nec parvi pendit illas; sic qui inferni metu movetur ad detestandum peccatum, non contemnit alia motiva, etsi hìc & nunc iis non moveatur, utpote non propositis. Et quamvis, cessante motivo inferni, non detestaretur illo actu peccatum, inde tamen non sequitur, quòd non esset detestaturus per alium ex alio motivo, præsertim cùm præeunte spe veniæ, & desiderio suæ beatitudinis jam incipiat amare Deum, ùt suum bonum: sicut, si cessaret in amante Deum propter suam misericordiam cognitio hujus, cessaret amor Dei ob misericordiam, nec tamen sequitur, quòd eum non sit amaturus propter alias perfectiones.

Dices 5. Vera pœnitentia debet esse de peccato, ùt est offensa Dei. Resp. Ut est offensa Dei, ùt justi retributoris bonorum, vel vindicis malorum, vel ùt primæ regulæ moralitatis

omnis C. Necessariò ùt summi boni secundùm se N. Attritio autem ex metu inferni est de peccato, ùt offensâ Dei velut justi Judicis, & malorum vindicis.

270. *Non appretiat pœnam supra culpam.* *Dices 6.* Detestans peccatum propter gehennam appretiat Pœnam supra culpam; ergo agit inordinatè, & se non disponit ad justificationem. Resp. N. Antec. Sicut Deum amare possum propter collata mihi beneficia, quin apprетiem beneficia supra Deum; sic attritus potest propter gehennam detestari peccatum, quin appretiet pœnam supra culpam: neque enim necesse est, ut appretietur objectum formale supra materiale. Cujus ratio est; quia in se optimum amari, & in se pessimùm odio haberi potest propter diversa motiva, quæ hoc odio, illud amore simpliciter dignùm reddunt, etsi ejus amabilitatem, vel odibilitatem non adæquent, sed relinquant amabile, vel odibile propter alia motiva. Hinc detestans peccatum ob gehennam, non instituit comparationem, etiam virtualem inter utrumque malum; sed præscindit; aliud est in contritione perfecta, quæ cùm debeat Deum appretiare super omnia, virtualem involvit comparationem; quæ & requiritur ad appretiationem unius super aliud.

Dices 7. Attritus ex metu inferni detestatur peccatum propter pœnas, ergo has magìs detestatur: nam juxta axioma: *Propter quod unumquodque est tale, hoc magis est tale:* unde dixit: *S. Thom. in supplemento q. 2. 1. ad 4. Quod propter alterum oditur, hoc minùs oditur.* Resp. Distinguo Conseq. ergo has magìs detestatur appretiativè. N. Conseq. magis

agìs deteſtatur intenſivè, tranſeat : fieri poteſt, pœna magìs vivaciter proponatur intellectui, uàm malum culpæ, ſicque voluntas intenſiùs er actum ſuum averſetur pœnam, quàm culpam, quo nulla eſt inordinatio, cùm non teneamur d actus ſemper perfectiſſimos.

Axioma illud in multis fallit, ac 1mò quiem, ſi motivum propter quod non ſit unium : ſic non tenet : amo Deum propter benecia, ergo magìs amo beneficia. 2. Si actus on ſuſcipiat magìs, & minùs : ſic non valet : Credo Deum eſſe trinum propter teſtimonium jus ; ergo hoc magìs credo. 3. Si denoninatio quoad augmentum pendeat ab arbirio voluntatis. Sic non ſequitur : amo Paulum propter ſuum patrem, ergo hunc magìs mo. 4. Si motivum non ſit capax talis deominationis : ſic non valet : Deus creavit omnia propter ſe, ergo magìs ſe creavit. Valet axioma, ſi per τὸ magìs intelligatur prioitas ſubſiſtendi conſeq. Sic bene infero : propter pœnam deteſtor peccatum, ergo priùs deteſtor pœnam, non contrà. Et ſic intelligitur dictum S. Thomæ. *Exponitur axioma.*

Dices 8. Saltem attritio non deteſtatur appretiativè peccatum ſupra gehennam. Hoc autem videtur neceſſarium ad juſtificationem.

Reſp. 1. Cum communiore : Nego Minorem : ad veram enim pœnitentiam ſufficit, quòd quis ſeriò, & efficaciter deteſtetur peccatum, ſic ut pro nullo caſu poſſibili peccare velit, & deteſtatio, quàm diù durat, ſtare non poſſit cum peccato, præſcindendo, quid quis in caſu impoſſibili facturus eſſet ; nec actus ille inordina- *An attritus magis deteſtetur infernum, quam peccatũ?*

natus est, cùm non appretiet pœnam supra peccatum, nec obligatio sit ad actum semper perfectissimum; aliàs inordinatus esset actus spei, teneremurque semper ad actum charitatis. Resp. 1. Cum aliis N. Maj. nam 1mò cùm attritus detestetur absolutè efficaciter omnem actum inductivum gehennæ, actus autem, quo mallet peccare, quàm subire gehennam, sit inductivus gehennæ, implicitè etiam detestatur illum actum, sicque virtualiter, & implicitè præfert malum peccati malo gehennæ; deinde seriò volens vitare gehennam, ideoque detestans peccatum, seriò fugit in inferno afflictivam visionis beatificæ privationem, adeoque intendit efficaciter beatitudinem suam, Deumque tanquam fontem æternæ suæ felicitatis possidere, & illustratus Dei gratiâ per fidem agnoscit peccatum, quo fit odibilis Deo, & pœnis inferni dignus, gravius adeoque detestabilius esse malum omni malo pœnæ, sicque magìs potest appretiativè detestari peccatum pœnæ reatum, & causam pœnæ, quàm ipsam pœnam, cùm gravius sit malum, reum esse pœnæ, eamque cum reatu pati, quàm pati innocenter.

Si replices: Tota efficacia actûs est à motivo, ergo non possum peccatum propter pœnas magìs detestari, quàm pœnas. Resp. Motivum attritionis non sunt pœnæ secundùm se, cùm sic movere non possint ad peccati commissi detestationem, uti movere non possunt eum, qui nunquam peccavit; sed sunt pœnæ peccatis commissis debitæ, seu pœnæ unà cum reatu, seu condignitate ad eas; gravius autem malum est reatus cum pœnis, quàm pœnæ secundùm se: unde efficacia actûs hìc

est

t à motivo, ùt relato ad objectum materia-:detestationis, velut causam motivi, seu pœ-arum, sicque efficacia actûs est ab utroque. Jnde attritus, etsi non sit determinatus for-naliter, & explicitè ad eligendum potiùs in-ernum sine reatu, quàm peccatum, potest amen implicitè, & æquivalenter esse deter-ninatus; quia cognoscit esse gravius, reum sse inferni, & eo detrudi nocentem, quàm jus pœnas pati sine reatu, inque salutem ani-næ suæ eam considerationem suscipir, & do-:t, non quia peccatoribus inferni pœnæ sunt ræparatæ, sed quia peccatis suis eas meruit. Cæterùm nec necesse est, ut attritus forma-:m, & explicitam comparationem instituat, olendo potiùs infernum subire, quàm pecca-:; quia virtutes supernaturales ordinant nos d beatificam Dei possessionem, non verò ad se-arationem.

Dices 9. Attritio concepta ex metu gehen-æ, est secundùm quid involuntaria; ergo d justificationem in Sacramento non sufficit. ℞. N. Ant. non enim est contra inclinationem olunratis liberam: nam attritio efficax ex me-u gehennæ excludit & hanc volitionem, vel-:m peccare, si infernus non esset; quia illa olitio, utpote inductiva inferni, repugnat fficaci intentioni attriti; secùs est de proje-tione mercium in mare, ex metu naufragii. Nam fini projicientis merces non obest hæc olitio: vellem retinere merces, si pericu-um naufragii non esset. Potest quidem in at-ritis esse displicentia in difficultate vitandi pec-ata, sed illa non est libera, verùm naturaliter rta, & absorbetur ab efficaci intentione justifi-ationis.

171. *Attritio non est secundùm quid involuntaria.*

Dices

272. *Timor pœnæ non necessariò est conjunctus cum servilitate.* *Dices* 10. Timor pœnæ est timor servilis; ergo attritio ex eo procedens non excludit voluntatem peccandi. Probatur Conseq. quia timor servilis eam non excludit. R. Timor pœnæ est timor servilis semper cum servilitate conjunctus. N. Antec. Pro arbitrio operantis sæpe cum ea non conjunctus C. Antec. N. Conseq. Timor pœnæ, quando adjunctam retinet voluntatem peccandi, si pœna non timeretur, dicitur serviliter servilis, seu conjunctus cum servilitate peccati: peccatum enim est servitus, seu servilitas juxta illud: *Qui facit peccatum, servus est peccati*: Et tunc dicitur servilis formaliter; at non semper habet adjunctum affectum ad peccatum, quando nempe absolutè efficax est, & tunc dicitur materialiter servilis. S. Thom. paulò aliter loquitur, & timorem servilem vocat, qui est conjunctus cum peccato actuali, vel habituali, & hinc dicit, quòd charitas stet cum timore servili, sed non cum servilitate. Vid. dicta P. 2. N. 61.

273. *Non obstat paritas, petita à Rege terreno.* *Dices* 11. Juxta S. Thom. 1. 2. Q. 113. *A.* 9. Majus opus est justificatio impii, quàm cœlum, & terra, & omnia in iis contenta, quia justificatio terminatur ad bonum æternum divinæ participationis, creatio cœli & terræ terminatur ad bonum naturæ mutabilis: ad opus autem tam excellens non videtur homo dispositus per attritionem, conceptam ex metu gehennæ: nam est similis rebelli, qui à Rege offenso peteret veniam dicendo: O Rex! doleo de rebellione mea, non quidem tuî gratia; sed quia timeo pœnam à te, justè infligendam, peto tamen veniam: huic autem Rex offensam non remitteret: multò minùs

tum admitteret in amicitiam. Sic autem ad Deum, qui cor intuetur, dicit attritus; ergo. R. N. Min. ad prob. Resp. 1. Retorquendo: si rebellis iste diceret, doleo de offensa, equidem tui gratiâ, sed remissè, ità, ut facilè rediturus sim ad offensam novam, nec te pro dignitate tua appretiem; quia tamen pœnam timeo, peto veniam: etiam talis à Rege non reciperetur in gratiam, multò minùs in amicitiam; atqui sic constitutus, & exercitè dicit ad Deum, qui attritus ex metu gehennæ simul habet amorem benevolum, sed imperfectum; ergo nec is est dispositus ad impetrandam veniam, & justificationem, quod tamen asserunt adversarii. Item, qui diceret Regi, se dolere propter ipsum de offensa gravi, se tamen paratum non esse vitare leves ejus offensas, non impetraret veniam: ergo nec, qui non dolet de omnibus simul venialibus, à Deo veniam mortalium meretur. Resp. 2. Est latum discrimen inter rebellem illum, & peccatorem attritum. Nam verbis suis rebellis Regi, qui cor non intuetur, indicat se positivè excludere dolorem Regis gratiâ, & præfert aliquem contemptum Regis; at peccator attritus nec verbis, nec animo Deo dicit, se positivè excludere dolorem ejus gratiâ; sed dicit: doleo, quòd justum te Judicem ad iram provocaverim, & à te fine meo recesserim; confugio ad te fontem gratiæ, & ob merita filii tui, peto veniam, paratus servare mandata tua, & deinceps te diligere super omnia. Ubi patet, quòd longè sit dispar ratio pro utroque. Ut sit aliqua paritas, pone 1mò, quòd Rex videat à subdito non excludi positivè amorem Regis propter se, sed adesse

ini-

initialem in adhuc infirmo. Pone 2. Subditum paratum esse ad fideliter deinceps serviendum Regi. Pone 3. Quòd filius Regis sua merita interposuerit, ut subditus, reus rebellionis, sic dispositus recipiatur in gratiam, Rexque filio suo annuerit. Jam hic recipiet subditum, offensamque remittet, etsi id subditus non mereatur. Sic autem res habet in attrito: Nam Christus Dominus merita Passionis, & mortis suæ obtulit Patri, ut homini lapso offensam remitteret, eumque in gratiam reciperet, etiam extra Sacramentum, si per perfectam contritionem, vel in Sacramento Baptismi, & Pœnitentiæ, si per attritionem dispositus accederet. Pater, sciens hominem per peccatum originale sauciatum, & in mala pronum, ad bona debilem, difficulter posse à lapsu resurgere per contritionem perfectam, voluit ostendere divitias misericordiæ suæ, & miserationibus suis ad suî amorem nos attrahere, annuit petitioni filii, atque intuitu ejus attrito in Sacramento dat veniam, & gratiam, atque ità faciliorem voluit esse in lege nova, quæ idcirco lex gratiæ dicitur, justificationem, quam fuit in lege veteri, quæ lex timoris dicebatur; quia Judæi terroribus adigebantur ad ejus observationem.

274. *Infirmū Pallavicini argumentum.* *Dices* 12. Habitus fidei, & spei, semel amissi, non recuperantur, nisi præviis actibus fidei, & spei; ergo nec habitus charitatis, semel amissus, recuperatur, nisi prævio actu charitatis. Hoc argumentum vocat Pallavicinus fortissimum; at nullius est roboris. Nam si valeret, sicut ad recuperandum habitum fidei, spei requiritur actus perfectus utriusque; sic requireretur ad recuperandum habitum charitatis

is actus charitatis perfectus, adeoque extra sacramentum justificans, quod nemo dicet. Deinde disparitas clara est: nam ex Dei dispositione actus fidei, & spei sunt dispositio omninò necessaria ad habitus supernaturales recuperandos: vel enim hi non recuperantur, nisi infundatur gratia sanctificans, ùt habet communior cum Lugone, & jam cum gratia non recuperetur, nisi præcedentibus actibus fidei, & spei, patet nec sine illis recuperari habitum fidei, & spei; vel recuperari possunt ante infusionem gratiæ: nempe dum actus fidei, & spei eliciuntur, ùt docet Suar. & jam patet iterum requiri actus illorum, sicut requiritur actus charitatis, ut extra Sacramentum recuperetur habitus; at verò ad recuperationem habitûs charitatis, & gratiæ sanctificantis Deus duplicem dispositionem constituit, nempe vel perfectam contritionem, vel attritionem cum Sacramento, ùt constat ex Trid. Si argumentum Pallavicini teneret, nullus habitus virtutis moralis sine prævio ejus actu recuperari posset, quod constat esse falsum.

Hæc sunt argumenta, quæ Adversarii adferunt, sed omnia, ùt expendenti patet, levis momenti: nec graviora sunt, quæ congerunt Primò ex sacra Scriptura. Nam hæc loquitur vel de habituali charitate; vel de charitate operum, quæ ex charitate præstanda sunt, quæ, si perseverante odio præstentur, homo manet in morte; vel de justificatione extra Sacramentum. 2. Quæ congerunt ex S. Augustino, & aliis P.P. nam hi vel hortantur ad charitatem; vel loquuntur de merito condigno augmenti gratiæ; vel de justificatione extra Sacramentum; vel per charitatem intelligunt voluntatem 275. *Non obstant alia.*

servandi mandata, omnemque actum virtutis, qui inchoata est charitas. 3. Quæ afferuntur ex S. Thoma: is enim requirens charitatem ad justificationem, agit de virtute Pœnitentiæ, quæ non justificat extra Sacramentum, nisi actus sit charitatis. Ex dictis

276. *Attritio est amor finis ultimi.* *Colliges 1mò.* Efficaciter attritus seu ex timore gehennæ, vel pœnarum, seu ex consideratione turpitudinis peccati, Deum tanquam finem suum ultimum præfert omni creaturæ, ejusque possessionem fruitioni omnis boni creati: habetque Deum pro fine *Cui* inchoativè; quia per actum supernaturalem ordinat se ad Deum amore perfecto amandum, paratus servare mandata, quorum primum, & maximum est de amando Deo ex totocorde super omnia propter se: est enim attritio efficax actus supernaturalis, procedens vel ab habitu spei, cujus objecto opponitur damnatio, quam fugit, vel ab alia virtute, aut principio supernaturali ejus vices supplente, ob honestatem, cui opponitur turpitudo peccati: omnis autem actus supernaturalis quandam habet participationem charitatis propter ordinem intrinsecum, quam dicit ad objectum ejus, uti dictum P. 1. N. 54. ex D. Thoma.

277. *Non est dolor purè formidolosus.* *Colliges 2.* Attritio non est dolor purè formidolosus, ut à quibusdam appellatur: nam 1. concepta ex consideratione turpitudinis peccati non tantùm est amor finis ultimi, sed etiam boni honesti: ideo enim sic attritus dolet de peccatis ob turpitudinem, quia amat honestatem illi oppositam. 2. Attritio concepta ex gehennæ & pœnarum metu est simul amor beatitudinis, seu Dei, ut est bonum nostrum summum: gehenna enim non tantùm importat pœnam

nam sensûs, sed etiam damni, seu privationem visionis Dei, & amoris beatifici: attritus autem efficaciter fugit gehennam; quia amat beatitudinem, quâ privat gehenna. Itaque sicut, qui dolet de peccatis, quia sunt offensa, & malum Dei, super omnia dilecti, non habet dolorem purè formidolosum; sic nec attritus. Quodsi lubet cum quibusdam admittere actus puræ fugæ; attritioni efficaci adjunctus erit amor beatitudinis, & spes veniæ, sine qua homo peccator assurgere non potest ad detestationem, doloremque de peccatis efficacem. Quare sicut, dum attritioni adest amor Dei benevolus, non dicitur attritio dolor purè formidolosus; quia est amor Dei benevolus, saltem virtualis inchoatus; sic nec dici debet, si conjunctum habet amorem finis ultimi. Hinc quærere, an sufficiat dolor conceptus ex puro metu gehennæ sine spe veniæ, & beatitudinis, est quærere, quod in statu hominis lapsi, utpote non potentis ad efficacem assurgere sine spe, nunquam eveniet.

QUÆSTIO IX.

An sententia de attritionis sufficientia sic explicata, sit in praxi tuta, & moraliter certa?

Resp. Affirmativè. Ità A. A. passim apud La Croix hîc N. 893. Nam ex una parte id evincunt argumenta ab authoritate, & ex ratione, pro illâ allata, Ecclesiæ praxis, tacitaque approbatio, irrefragabilisque doctrina S. Concilii Trid. quod in initio *Sess.* 14. promisit exactiorem, & pleniorem instructionem de Sacramento Pœnitentiæ, quàm dederat Sess. 6. de justifi- 278. *Est moraliter certa.*

catione; & tamen ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ non requisivit amorem benevolum; sed sufficere implicitè declaravit attritionem efficacem cum spe veniæ, conceptam etiam ex metu gehennæ, & pœnarum; ex altera parte argumenta contra producta facilè, & clarè diluuntur: ùt, sine propensione prævia in unam partem, omnia expendenti patebit. Confirmatur: illa sententia est moraliter certa, de cujus veritate, omnibus in utramque partem maturè expensis, non relinquitur prudens dubium: atqui talis est sententia affirmativa de sufficientia attritionis; ergo.

279. *Negativa opinio non est respectivè probabilis.*

Dices 1. Opposita sententia negativa est probabilis; ergo affirmativa non est moraliter certa.

Resp. 1. Est probabilis spectatis principiis directis, transeat: spectatis principis reflexis N. antec. & conseq. si darem, esse rationem aliquam prudentem directam pro ea, illa tamen eliderEtur tum per praxin, tacitamque approbationem Ecclesiæ contrariam, tum per authoritatem Tridentini. Resp. 2. Et peto, cum quibus tenes, an cum iis, qui docuerunt attritionem ex metu inferni conceptam nec honestam, nec supernaturalem esse? Horum sententia ab Ecclesia est reprobata. An cum iis, qui præter attritionem requirunt amorem benevolum simplicem, qui Deum non appretiet super omnia, stareque possit cum actuali peccato mortali? Horum sententia non habet vel apparentem probabilitatem: quid enim talis amor, qui hominem nullatenus avertit à peccato, ad justificationem conferret? An cum iis, qui cum Ledroue contendunt, non justificare extra Sacramentum amorem, vel contritionem, nisi depuratam ab omni spe,

pe, & timore, & ad Sacramentum Pœnitentiæ requiri, vel hanc, vel aliam quæ appretiet quilem Deum super omnia propter se, non tamen justificet extra Sacramentum, eò quòd adsit amor Dei, vel timor pœnæ. At nec horum sententia solidè probabilis est, ùt constat expendenti dicta tum P. 2. N. 83. tum suprà N. 259. An denique tenes cum Pallavicino, qui sententiam suam defendit, priusquam historiam Tridentini scriberet, nec quidquam pro ea postmodum in Tridentini actis reperit præsidii, nec ullum sui sequacem, si ejus sententia rectè inspiciatur, hactenus, quem legerim, habuit, constatque ex dictis nullum esse solidum pro ea fundamentum.

Si dicas. Multi tamen requirunt amorem benevolum, faceturque Platelius hìc N. 816. & Oviedo *de justificatione controversia* 1. *N.* 109. eorum sententiam esse probabilem. R. Multitudo Doctorum, præsertim quando tam diversas vias ineunt, & destituuntur solido fundamento, non facit sententiam probabilem. Imò primi quandoque fundamenta non satis examinârunt, & alii ex aliis transcripserunt. Aliqui sunt quandoque præoccupati, aut jubentur docere per Superiores, vel statuta ordinis certas sententias: alii sequuntur suos collegas, vel antecessores ex timore, ne eos offendant, aut iis minùs placeant. Neque definit sententia aliqua esse practicè certa, quòd unus, alterve ejus patronus oppositam vocet probabilem, aut pro ea stet aliqualis ratio; sed sufficit, quòd, omnibus diligenter expensis, judicetur vix esse apparentia veritatis pro illa, & clarè dissolvantur argumenta illi faventia. Platelius non tantùm docuit, attritionem conceptam ex metu gehennæ, prout

hæc complectitur pœnam damni & sensûs, sed etiam ut pœnam sensûs tantùm, sufficere ad justificationem, & in fine ait, oppositam sententiam non esse improbabilem, suam tamen putat practicè satis certam. *Oviedo* non negat oppositæ probabilitatem, eò quòd benigna non sit de fide, sintque, qui requirant contritionem saltem existimatam. *Maurus* requirit amorem primæ regulæ moralitatis, quem ipse vocat benevolum.

Si instes: Dicere sententiam esse improbabilem, est eam censurare, vetuit autem *Alexander VII.* censurare sententiam, quæ requirit ad justificationem amorem simul, & Innoc. XI. in virtute obedientiæ præcepit An. 1679. ne quis censuret propositiones inter Catholicos adhuc controversas, donec à Sede Apostolica super iis judicium proferatur. Resp. Neg Maj. Dicere, sententiam esse improbabilem, est dicere, quòd careat gravi fundamento comparativè ad fundamenta sententiæ oppositæ; cum quo stat, quòd possit à viro docto ob rationes ei apparentes, bonâ fide, & sine temeritate doceri: aliud foret, si diceretur temeraria; quia temeritas significat vel inconsultam præcipitationem ex parte intellectûs, vel inordinatum affectum ex parte voluntatis, ut habet *S. Thom.* 2. 2. *q.* 52. *Alexander VII.* pacis studio vetuit sententiam, quæ aliquam dilectionem requirit, censurare, quam non nego; vetuit & censurare oppositam, quam ait videri inter Scholasticos communiorem. *Si replices*: Dicere, quòd viri docti teneant sententiam improbabilem, est eos arguere levitatis judicii, vel inordinatæ passionis, adeoque temeritatis. Resp. Neg. Ass. Est dicere, eos aliquid humanum pati ex ratione, re ipsâ quidem non gravi, ipsis tamen

ap-

apparente, ùt non imprudenti. Certè, qui dicit, S. Augustinum in principio Episcopatûs sui in multis erràsse, non arguit eum fuisse levis judicii, vel inordinatæ passionis: ùt nec, qui dicit de viris doctis, & bene Catholicis, quòd ante hac docuerint sententias falsas, & S. Thomam in summa aliquas sententias retractâsse, eos levitatis insimulat.

Reflexè moraliter evidens asfirmativa.

Dices 2. Benigna sententia non est de Fide, nec evidens; ergo non èst certa. Resp. Facta revelatione, quòd Christus gubernet Ecclesiam suam, est certa & evidens: nam rectè infero: Post Tridentinum est Fidelium in eam consensus, communis Ecclesiæ praxis, Christi Vicario, & universæ Ecclesiæ Capiti nota; quæ, si falsa foret sententia benigna, inveheret damnationem plurimorum, foveretque innumera sacrilegia; ergo est moraliter certa & evidens. Et quamvis à Tridentino non sit definita per Canonem, nec proposita tanquam de Fide, est tamen asserta in Capitibus, certâque certitudine dogmatica.

Nemo est secutus Pallavicinum.

Dices 3. Pallavicino favent etiam aliqui ex Societate JESU, quos citat. Resp. Neg. Ass. Malè eos citat, deceptus, ùt advertit Esparsa, æquivocatione vocum harum: *Dilectio, & Charitas*, quibus & actus Spei, & quivis alius honestus significatur, in Deum tendens: nam S. Augustinus L. 8. de Trinit. Cap. 10. ait: *Quid est Dilectio, vel Charitas, quam tantopere Scriptura commendat, nisi amor boni*, & S. Th. in 3. Dist. 26. q. 2. a. 2. ad 3. *Omnes aliæ virtutes participant aliquid de Charitate, scilicet desiderium summi boni, propter quod operantur.* Hâc in significatione cùm quidam nonnunquam utantur his vocibus: *Dilectio, Charitas,*

ritas, Pallavicinus existimavit, eos sentire secum.

Demum peto ab Adversariis: Ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ cum attritione vel requiritur amor Dei initialis benevolus formalis, vel solùm virtualis. Si dicant primum: quæro, amor ille vel est efficax, & Dei dilectio super omnia propter se, excludens voluntatem peccati; vel est inefficax, & simplex complacentia, compossibilis secundùm se cum peccato mortali. Si primum: jam requiritur ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ amor Dei de se extra Sacramentum justificans, quód falsum esse constat ex dictis. Si secundum, amor ille ad justificationem nihil confert; cùm voluntatem peccandi non excludat. Si autem dicant, requiri tantùm amorem initialem virtualem benevolum, verum dicunt: sed hoc nemo negat; talis enim amor est tum attritio cum proposito non peccandi de cætero, & servandi mandata Dei; tum spes veniæ à Deo consequendæ, uti dictum suprà n. 267. tum omnis actus honestus supernaturalis, ùt dictum P. 1. N. 54. Ex his jam judicari potest de probabilitate sententiæ oppositæ.

QUÆSTIO X.

An ad Sacramentum Pœnitentiæ sufficiat etiam attritio, concepta ex metu pœnarum temporalium, à Deo infligendarum in hac vita?

280. *Affirmativa probabilissima.* Resp. Probabilissimè sufficit talis attritio, si efficax & supernaturalis sit; in praxi tamen, eâ conceptâ ex metu pœnarum hujus vitæ temporalium, non debet esse contentus pœnitens.

tens. *Primam partem* docent AA. plurimi & gravissimi cum Suar. Lugone &c. *Ratio est;* quia Tridentinum inter motiva sufficientia ponit gehennam & pœnas, ubi per gehennam intelligitur pœna æterna, per pœnas præscinditur ab æterna & temporali; potestque talis attritio esse supernaturalis, & efficax. *Ratio 2dæ partis est;* tum quia aliqui talem attritionem habent suspectam, tum quia sic difficiliùs vitæ æternæ aderit amor, posletque esse forte actus fugæ tantùm, tum quia motivum actûs supernaturalis debet cognosci per fidem, vel lumen æquivalens; sæpe autem incertum est, an mala infligenda sint propter peccata, an verò probationis causâ, pœnis in futurum reservatis.

Dixi: *Concepta ex metu pœnarum temporalium hujus vitæ:* nam non videtur dubitandum, quin pro venialibus, in Sacramento remittendis, sufficiat attritio concepta ex metu pœnæ damni & sensûs in purgatorio: ùt, si quis de iis doleat; quia meruit ad tempus à beatitudine excludi, & plecti pœnâ sensûs: tunc enim motivum cognoscitur per fidem, adestque amor Dei ùt finis ultimi; & alioquin non posset homo de venialibus sufficienter pro Confessione dolere ex metu pœnarum, quod videtur inconveniens, & repugnare Trident. nam frustra adderet: *Et pœnarum*, cùm per gehennam intelligatur pœna æterna.

Dices cum Arriag. *Tridentinum* non dixit, sufficere attritionem, conceptam ex jactura beatitudinis æternæ, & tamen non dubitamus de ejus sufficientia; ergo nec dubitare debemus de sufficientia attritionis ex metu pœnarum temporalium hujus vitæ. Resp. Neg. 281. *Dolor ex metu gehennæ est ex amo-*

re beati-tudinis. Conseq. Nam hoc ipso, quòd docuerit, attritionem ex metu inferni sufficere, satis significat, sufficere attritionem conceptam ex jactura, vel spe beatitudinis; tum quia hæc attritio est perfectior; tum quia metus gehennæ, saltem ordinariè movet, quia illa est privatio beatitudinis, adeoque ex amore beatitudinis procedit. Idem enim est aversari privationem boni, & hoc desiderare. *Ex dictis.*

282. *Ex quibus motivis dolor possit elici?* *Colliges* 1. Potest quis dolere de peccatis. 1. Quia sunt offensa Dei summè secundùm se dilecti. 2. Quia peccatum turpe est. 3. Quia per id, si mortale sit, amisit gratiam, & amicitiam Dei, jus ad Cœlum, & hæreditatem Dei factus bustum inferni, & mancipium diaboli; si verò veniale sit; quia demeruit specialem Dei protectionem, & gratiam, seque ad mortale disposuit. 4. Quia per mortale meruit gehennam, per veniale purgatorium, & retardationem à visione Dei.

283. *Conandum ad contritionem perfectam.* *Colliges* 2. Etsi attritio ex metu gehennæ sufficiat ad justificationem, etiam in articulo mortis; attamen tam in nobis, quàm pœnitentibus, quoad fieri potest moraliter, procuranda est perfecta contritio; tum quia plus obtinebitur gratiæ, & plus pœnæ delebitur; tum quia sic faciliùs assurget homo ad efficacem saltem attritionem, & præcepto Charitatis, sæpiùs in vita obliganti satisfiet, imò, si quis voluntariè in motivis infimis sisteret, præsertim pœnæ, signum esset animi non satis conversi ad Deum, timerique posset, ne lateat adhuc sinister affectus peccandi, si pœna timenda non esset: si tamen quis conatus procurare contritionem, non satis in se eam adverteret, esset nihilominus certus de attritione efficaci;

tutò

tutò procederet, ùt fatentur plerique etiam Adverſarii : ſic enim ſententiam tutiorem non relinquit, cùm in tali caſu eam moraliter ſequi non poſſit; ſed potiùs cenſebitur neceſſitas procedendi juxta tutam, etſi non tutiſſimam. In articulo tamen mortis actus Charitatis non quidem tanquam neceſſarius ad juſtificationem cum Sacramento, ſed ex præcepto eliciendus eſt, quo & meliùs conſulitur ſaluti: poſſet enim aliquis non eſſe ritè baptizatus, aut Confeſſiones excipiens non eſſe ritè ordinatus &c.

Colliges 3. Cùm ſublime & difficile ſæpe 284.
ſit conteri ex motivo bonitatis Dei ſolius, in praxi non expedit motiva alia excludere poſitivè dicendo: Doleo, non quia peccatis meis præmia demerui, & pœnas merui, ſed unicè quia Deum offendi ſummum in ſe bonum: hoc enim in hominibus, in virtute necdum provectis ſæpe falſum eſt: unde fieri poſſet, ut dolorem tam perfectum non aſſecutus, aliis motivis excluſis, nullum haberet ad Sacramentum ſufficientem: ſic ergo ordinariè eliciendus eſt dolor: ut quis doleat tum ob damna peccati, & pœnas promeritas, tum ob turpitudinem peccati, tum demum ob Deum infinitæ bonitatis offenſum. Cæterùm cùm non adeò certum ſit, dolorem ex metu pœnarum ſenſûs in inferno ſufficere, eliciendus eſt etiam ob pœnam damni; quò tamen ſufficit dolere, ob pœnas inferni, ùt à Deo infligendas; quia per fidem ſcitur, inferni pœnas importare ſimul excluſionem beatitudinis: ſicque adeſt amor Dei inchoatus, cùm adſit ſpes veniæ, & voluntas ſervandi mandata.

Non tamen ſunt poſitivè excludenda alia motiva inferiora.

QUÆS-

QUÆSTIO XI.

Quomodo dolor, ac deteſtatio de peccatis ſe habere debeat ad Confeſſionem?

285. *Debet elici ex intentione confeſſionis, & hanc præcedere.*

Reſp. 1. Practicè loquendo, debet elici ex intentione Confeſſionis, hancque, & abſolutionem præcedere. *Ratio 1ma partis eſt;* quia dolor, ut Sacramentum conſtituat, debet ad id ordinari, non videtur autem ad id ordinari, niſi per intentionem Sacramenti ſuſcipiendi: nam ex natura ſua eò non ordinatur, cùm poſſit elici de venialibus, & peccatis aliàs confeſſis, cum intentione non confitendi. Ità Dicaſt. La Croix, & alii, quorum ſententia, cùm probabilis ſit, & agatur de valore Sacramenti, in praxi tenenda. Cæterùm ſententia oppoſita ſpeculativè probabilior eſt, & communior: nam per Confeſſionem dolor ſufficienter ordinatur ad conſtituendum Sacramentum, fatenturque omnes, neceſſe non eſſe, ut eò ſignatè referatur; ſed ſufficere, quòd cum implicita intentione confitendi eliciatur. *Ratio 2da partis eſt;* quia, ſi pœnitens dolorem differat uſque poſt Confeſſionem, periculum eſt, ne in tanta temporis brevitate ad efficacem non aſcendat, aut per abſolutionem præveniatur, antequam ſit diſpoſitus. Unde inſtruendi ſunt pœnitentes, ut, antequam ad Sacerdotem accedant, expendant pœnas, peccatis præparatas, beneficia Dei ſibi collata, ſuamque ingratitudinem, Dei majeſtatem, & ſuam vilitatem, Chriſti amorem, quo animarum ſalutem quæſivit, & ſuam tepiditatem, & ſocordiam

diam &c. & ità conentur ad contritionem perfectam ascendere. Hoc periculum si absit, potest explicita peccatorum, Confessio fieri, salvo valore Sacramenti, non præmisso adhuc dolore: neque enim Concilia, & PP. exigunt, aut ulla ratio probat, explicitæ peccatorum Confessioni præmittendum esse dolorem formalem & efficacem; sed Confessarii, prout faciendum monet Rituale Romanum de ordine ministrandi Sacramentum Pœnitentiæ §. 12. auditâ Confessione conantur efficacibus verbis adducere pœnitentes ad dolorem, neque tamen jubent iterum confiteri.

Si dicas, ut dolor sit pars Sacramenti, debet esse sensibilis, atqui non fit sensibilis, nisi Confessionem præcedat. Dein Confessio debet esse dolorosa; ergo debet sequi ex dolore præcedente. Respondet Lugo: Sufficienter fit dolor sensibilis, quòd Confessio procedat ex voluntate suscipiendi Sacramentum, ad quod dolor requiritur: qui enim confitetur peccata in ordine ad absolutionem, significat efficax desiderium consequendi eorum remissionem, adeoque &, quòd velit ponere omnia eò requisita, consequenter, quòd vel actu doleat, vel doluerit, vel sit eliciturus dolorem, sicque necesse non est, ut dolor fiat sensibilis per Confessionem, velut effectum suum. Resp. Fit sensibilis per exspectationem, vel petitionem absolutionis, continuatam genuflexionem, vel per tunsionem pectoris &c. hæc enim sunt continuata & iterata Confessio, eaque dolorosa, & certò sufficiens priorum repetitio. Unde, licèt probabile sit, quòd dolor debeat præcedere Confessionem; probabile tamen non est, quòd debeat præcedere Confessio-

fessionem peccatorum explicitam. Quare; quamvis laudabiliter fiat, ut pœnitens, deprehensus non elicuisse dolorem ante Confessionem, elicito dolore, jubeatur dicere: Accuso me de peccatis: si tamen id Confessarius obliviscatur, angi necesse non est. *Ratio 3tiæ partis est;* qui peccata non remittuntur, nisi sint retractata; consequenter, si dolor non præcedat absolutionem, peccator est indispositus.

286. *Debet absolutioni coëxistere moraliter saltem.* Resp. 2. Non est necesse, ut dolor Confessioni, vel absolutioni coëxistat physicè, debet tamen coëxistere moraliter, adeoque non esse retractatus. Est communis, & certa. *Ratio 1ma partis est;* quia Sacramentum hoc est institutum per modum judicii, cujus partes non coëxistunt necessariò physicè, essetque nimia difficultas, si Confessioni subinde longæ deberet coëxistere dolor physicè, nec posset absolvi, qui antè cum dolore confessus, lapsus esset in deliquium, aut sensibus destitutus moreretur. *Ratio 2dæ partis est;* quia actus illi sunt partes unius totius moralis, ejusdem scilicet judicii; ergo debent moraliter conjungi, ità, ut vi doloris absolvendus possit adhuc dici verè pœnitens, sive jam dolor perseveret in se, sive in aliquo suo effectu. Quamdiu autem dolor ipse physicè præteritus censeatur perseverare moraliter, non ità facilè pro praxi statuitur. Certum est, quòd possit esse sufficiens conjunctio, etsi tres, vel quatuor horæ intercesserint, Gobat putat, id verum esse, licèt intercederet unus, aut alter dies, quod Cardenas *in 1. Crisi D. 2. N.* 88. putat esse certum. Gormaz admittit tempus adhuc longius, modò dolor in aliquo suo effectu perseveret. Ad

mo-

moralem doloris perſeverantiam faciunt actiones ordinatæ ad Sacramentum, & interea exercitæ, v. g. examen conſcientiæ, tardior ad Confeſſionale acceſſus, quia in magna pœnitentium frequentia exſpectandum eſt: in his enim caſibus dolor manè elicitus ſufficeret, etſi Confeſſio fieret primùm horâ duodecimâ, vel feriùs, modò non ſit retractatus. Quodſi quis poſt dolorem elicitum ſe applicâſſet ad alia negotia, conſultum eſt, ut dolor ante abſolutionem breviter renovetur; imò, ſi eſſet ante aliquot dies elicitus, meritò timendum, ne ſit revocatus, proin denuò eliciendus, ſi elici poſſit, ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis. Quando dolor cenſeatur revocari, dicetur n. 288.

QUÆSTIO XII.

An idem dolor poſſit ſufficere pro pluribus abſolutionibus?

Reſp. Idem dolor, etſi phyſicè præteritus, 287.
ſi moraliter perſeveret, ſufficit pro pluribus *Sufficit.*
abſolutionibus; in praxi tamen renovandus eſt: utì, ſi quis cum univerſali dolore confeſſus, aliquod mortale fuiſſet inculpabiliter oblitus, & poſtea, ante Communionem ejus memor, ab eo vellet abſolvi. *Ratio 1mæ partis eſt;* 1. Quia eadem materia Sacramenti poteſt ſubſtare duplici formæ: nam ab iiſdem peccatis poteſt quis ſæpiùs abſolvi, tum ab eodem, tum à diverſis ſucceſſivè Confeſſariis. Item, qui pluribus Sacerdotibus ſimul ſua peccata confiteretur, poſſet à ſingulis ſucceſſivè abſolvi. Cujus *Ratio eſt*; quia Confeſſio fuiſſet æquivalenter multiplex; atqui etiam dolor univer-
ſalis

salis de pluribus peccatis est æquivalenter multiplex. Imò, quatenus se extendebat ad peccatum, inculpabiliter omissum, non substabat primæ absolutioni; ut nec peccatum: proinde potest, ùt extensus ad peccatum illud dein substare novæ absolutioni: sicut, si quis cum dolore de omnibus, confiteretur tria venialia, & Confessarius, pro securitate valoris Sacramenti, intenderet absolvere tantùm ab uno, quod gravius videtur, posset pœnitens, vi Confessionis factæ, absolvi deinde ab aliis; quia Confessio substabat tantùm primæ absolutioni, quatenus extensa erat ad unum peccatum, à quo absolutus est. *Ratio est* 2. Ad absolutionem non requiritur; nisi Confessio dolorosa; ergo, ubi est duplex Confessio dolorosa, ibi dari potest duplex absolutio valida. 3. Si pœnitens doluisset de peccato, quod confessus est, ex motivo specialis turpitudinis ejus, & de alio, quod inculpabiliter inter confitendum oblitus est, ob ejus turpitudinem specialem etiam; non esset necesse, elicere novum dolorem pro Confessione peccati omissi: ergo nec, si dolor fuit universalis; quia æquivalet dolori elicito ex quibuscunque motivis particularibus. *Confirmatur.* Idem dolor physicè perseverans, etsi tantùm tenuiter, sufficit pro pluribus absolutionibus; quia relatè ad aliud tempus, aliamque Confessionem est moraliter alius; ergo & dolor moraliter tantùm perseverans; quia relatè ad diversa peccata est moraliter alius.

Ratio 2dæ partis est; quia, etsi hæc sententia videatur moraliter certa; quia tamen opposita aliquibus videtur non omninò improbabilis, & facilè dolor uno suspirio renovari potest, consulendum est majori reverentiæ Sacramenti;

menti ; de cujus valore agitur. Quodſi pœnitens per oblivionem dolorem non renovâſſet, non teneretur ideo iterum confiteri : tum quia in prima Confeſſione indirectè fuit abſolutus, ab inculpabiliter omiſſo, & ſecunda abſolutio probabiliſſimè fuit valida. Imò, cùm antè fuerit per deteſtationem, & dolorem univerſalem ab illo peccato efficaciter averſus, facilè aderit novus dolor de illo : ex odio enim illius redit ad Confeſſionem.

Si dicas : Una ejusdem peccati Confeſſio, facta eidem Sacerdoti, non poteſt ſubſtare duplici abſolutioni ; ergo nec idem dolor. Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt ; tum quia eadem ejusdem peccati Confeſſio, facta uni Sacerdoti, non eſt moraliter duplex, etſi adeſſet duplex dolor, quia hic, utpote internus, non eſt ſignum Confeſſionis, nec proinde eam bis exhibet ; ſicut duplex Confeſſio bis exhibet eundem phyſicè dolorem, ſicque moraliter multiplicat; tum quia in Sacramento Pœnitentiæ fertur ſententia judicialis, & ad novam ſententiam requiritur nova accuſatio, & novus proceſſus : Sententiâ enim latâ, Judex eſt functus officio. Ad ſententiam Sacramentalem requiritur quidem antecedens dolor ; at ubi is eſt moraliter duplex, phyſicè unicus ſufficit ad duplicem ſententiam.

Si replices : Abſolutio terminat actnm illum judicialem ; ergo, ut detur nova, debet alia materia proxima ſubjici. Reſp. Debet alia moraliter, non adæquatè diſtincta phyſicè ſubjici ; eſt autem moraliter alius dolor : quia exhibetur per novam Confeſſionem, & extendit ſe ad aliud peccatum. Certè, ſi quis de ſingulis peccatis phyſicè diſtinctum dolorem

elicuisset, non esset opus, in casu novum elicere; cur ergo id requiretur, si præcesserit dolor, æquivalens pluribus distinctis?

QUÆSTIO XIII.

Quandonam censeatur dolor per peccatum subsequens revocari, & tolli moralis ejus perseverantia?

288. *Colligitur ex motivo doloris & hujus extensione.* Resp. Attendendum est, ex quo motivo, universali, an particulari processerit dolor, & ad quæ peccata se extenderit. Nam 1. Si dolor fuit universalis de peccatis mortalibus omnibus, revocatur per quodcunque mortale subsequens; si verò dolor fuit ex specialibus motivis v.g. de blasphemia, furto, dehonoratione parentum, ob specialem, in iis repertam turpitudinem; dolor de blasphemia non revocatur per novum furtum, etsi ad justificationem non sufficiat, cùm unum peccatum grave sine altero non remittatur. 2. Si dolor ex motivo universali extendat se ad mortalia omnia, & venialia, per subsequens veniale non revocatur, quominùs maneat moraliter de mortalibus; quia, licèt fuerit unicus physicè actus; erat tamen virtualiter multiplex, aliterque tendebat in mortalia, aliter in venialia: alia enim erat comparatio animi, respectu mortalium, quàm respectu venialium, proinde potest manere respectu illorum, etsi respectu horum desinat. Declaratur in simili: qui ex amore perfectæ amicitiæ statuit, nunquam offendere amicum, si offendat leviter, non revocat voluntatem non offendendi graviter; aliàs per offensam etiam

etiam leviſſimam, quæ vix inter amicos vitari poteſt, revocaretur amicitia. Sic, qui vult colere amicitiam cum Deo, & cavere omnem offenſam, ſi offendat leviter, non ideo revocat amicitiam, voluntatemque Deum non offendendi graviter, & amicitiam continuandi. 3. Si dolor ſit de venialibus ex ſpecialibus motivis, ſingulis propriis, non revocatur per peccatum veniale ſubſequens alterius ſpeciei; revocatur tamèn per peccatum ejuſdem ſpeciei gravius, vel æquale. Similiter non revocatur dolor præcedens de uno, ſi committatur alterum ſpeciei alterius, de quo fuit dolor ex motivo ſpeciali. Denique, ſi ſit de venialibus ex motivo univerſali, eaque ſint manifeſtè inæqualia, ità, ut homo advertat, quodnam ſit gravius; jam manere poterit dolor de graviore, etſi committatur levius; non verò, ſi admittatur gravius, vel æquale. Ratio patet ex dictis.

Interim optimè faciet pœnitens, ùt monet Lugo, ſi reus mortalis de eo ſeorſim doleat propter gravitatem offenſæ; quia dolor is non revocatur ullo modo per veniale ſubſequens. Item, ſi ſeorſim doleat de venialibus, ſaltem aliquibus, vel uno propter ſpecialem turpitudinem ibi repertam, vel gravitatem offenſæ, quàm continent, ùt, quòd ſint facta plenè deliberatè; quia dolori non opponitur veniale novum diverſæ turpitudinis, vel minoris gravitatis. Verùm, etſi hæc cautela non adhibeatur, videtur certum, per veniale ſubſequens non revocari dolorem de mortalibus.

* * *

QUÆSTIO XIV.

Quale propositum requiratur ad Sacramentum Pœnitentiæ?

289. *1. Efficax.* Resp. Requiritur 1mò affectivè efficax, id est, tale, ut vi illius pœnitens sic sit constitutus, ut nullius mali metu, nullius boni spe velit deinceps peccare secundùm dicenda. Dixi: *Affectivè*: nam non requiritur efficax effectivè: aliàs nullus, qui relabitur, censeri posset ritè absolutus, essetque justificatio nimis difficilis. Satis itaque est, quòd seriò & absolutè excludat voluntatem deinceps peccandi. Quodsi quis confiteatur sola venialia, requiritur propositum, saltem vitandi seriò, & absolutè unum; alioquin Sacramentum invalidè, & sacrilegè susciperetur.

290. *Respectu mortalium universale.* 2. Requiritur, practicè loquendo, respectu mortalium propositum universale, id est, extendens se ad omnia mortalia, tam non commissa, quàm commissa. *Ratio est*: quia, cùm agatur de valore Sacramenti, tutior pars est amplectenda; est autem sententia requirens tale propositum probabilis: nam *Trid. Sess.* 14. *Cap.* 4. describens contritionem in genere, ait, *quòd sit dolor animi de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero*; ubi dolor videtur restringi ad peccata commissa, propositum verò extendi ad nullum deinceps committendum mortale: promittit enim Deus veniam impio apud *Ezechielem* c. 18. v 21. sub hac conditione: *Si custodieris omnia præcepta mea*, id est, si paratus sis custodire: patet namque, quòd non requirat, ut

ut omnia actu antè custodierit ; aliàs peccata ante finem vitæ non remitterentur.

Dixi : *Practice loquendo* : nam speculativè probabiliùs est , sufficere propositum positivum cavendi commissa cum negatione affectûs ad omne mortale imposterum : licèt enim ad remissionem venialium requiratur propositum non peccandi , de cætero ex mente Trid. Nemo tamen sic intelligit particulam *non* , ut requirat propositum , veniale nullum ampliùs committendi ; nec Trid. sic eam intellexit ; cur ergo non dicamus ad remissionem mortalium sufficere , quòd commissa positivè pro futuro excludantur efficaciter, & non adsit affectus ad alia , cùm Trid. plus non requirat , quàm ut attritio excludat voluntatem peccandi, quod habetur , si adsit voluntas abstinendi à commissis , ab aliis habitualiter aversa ; quâ ratione vult Pœnitens perpetuam cum Deo amicitiam : sicut eam vult attritus de tribus mendaciis ex speciali motivo cum proposito vitandi mendacia , & negatione affectûs ad omne mortale.

3. Regulariter loquendo, requiritur etiam , 291.
ut propositum sit formale,& explicitum : tum *Regula-*
quia sententia id requirens , non est omninò *riter*
improbabilis ; cùm id facilè elici possit , tum *etiam*
quia si quis memor vitæ imposterum instituen- *formale.*
dæ non eliceret illud, argueretur non dolere efficaciter de peccatis , sicque exponeretur Sacramentum periculo nullitatis.

Dixi : *Regulariter loquendo* : nam longè probabiliùs , imò juxta Gormaz hìc N. 224. Cardenam , & alios moraliter certò sufficit propositum virtuale in dolore universali contentum : Trid. enim , quòd exactam ante Sess.

14. doctrinam promisit de Sacramento Pœnitentiæ Cap. 4. tres tantùm pœnitentis actus enumerat: nempe contritionem, confessionem, & satisfactionem, & Cap. 4. explicat propositum per hoc, quòd contritio voluntatem peccandi excludat; neque propositum formale, vel distinctum ullibi requirit. Explicans quidem contritionem in genere dicit, esse animi dolorem cum proposito non peccandi de cætero; verùm per hoc non voluit, nisi vim explicare contritionis, quòd nempe debeat efficaciter excludere voluntatem peccandi: si enim aliud voluisset, postea dicens, quòd attritio, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, disponat, puta, proximè ad justificationem in Sacramento, non exactam, sed dubiam tradidisset doctrinam.

292. *Quid, si pœnitens judicet se lapsurum?* *Dices.* Multi peccatores consuetudinarii non videntur posse habere propositum efficax non peccandi imposterum: nam satis vident, vix esse probabile, quòd non sint relapsuri; ergo vel hoc non requiritur, vel non possunt absolvi, quantumcunque conentur propositum concipere. R. N. Assumptum. Esto, hoc judicium adsit; possunt nihilominus habere voluntatem adhibendi media, ut non relabantur, & nunc tali affectu velle vitare omnia, cum quo, si maneat, non fiet peccatum: quod nisi sufficeret, jam illis desuadenda esset frequens Confessio, id quod nemo dicit; quin potiùs omnes suadent, ut adducantur ad frequentem Confessionem, tanquam medium necessarium, & excitentur ad cooperandum divinæ gratiæ, illis paratæ, quâ, quia multi adjuti non sunt relapsi, cur & ipsi non confidant?

QUÆS-

QUÆSTIO XV.

An, & quomodo elici possit propositum deinceps vitandi omnia peccata venialia?

Convenit inter A. A. ad valorem, fructumque Sacramenti Pœnitentiæ aliquem, sufficere in Pœnitente, sola venialia confitente, dolorem, & propositum efficax vitandi omnia, quæ confitetur. Ferè etiam convenit, sufficere dolorem, & propositum efficax de vitando saltem uno; quomodo autem possit quis concipere propositum vitandi omnia omninò venialia, hic quæritur? Cùm enim homo in statu naturæ lapsæ non possit, uti docet *Trid. Sess. 6. Can. 23.* sine speciali privilegio, quòd nemo spondere sibi potest, vitare omnia; non apparet, quomodo efficaciter velle possit vitare, quod novit, se exequi non posse. Ad hanc quæstionem respondet *S. Thom. 3. P. Q. 87. A. 1. ad 1.* sufficere ad Pœnitentiam venialium, quòd homo proponat abstinere à singulis, id est, ab iis, quæ in particulari occurrere possunt: si enim proponat abstinere à singulis distributivè sumptis, quæ occurrere possunt, abstinere proponit ab omnibus. Suar. dicit sufficere, quòd velit vitare omnia, quantùm in se est; Lugo existimat sufficere, quòd velit vitare frequentiam. Hæc omnia vera sunt, & ad valorem Sacramenti sufficiunt; sed necdùm apparet, quomodo possit velle vitare omnia; quia, etsi possit vitare singula, quæ occurrunt, scit tamen, esse se in vaga quadam necessitate labendi in aliqua seu commissi- 293. *Variæ sententiæ.*

onis, seu omissionis. Ad quæstionem propositam

294. *Exponitur quæstio.* Resp. Potest homo, adjutus Dei gratiâ ordinariâ, concipere sufficiens propositum ad remissionem omnium venialium. *Ratio est;* quia ad id sufficit, de omnibus commissis dolere, & statuere similia vitare deinceps, atqui hoc præstare potest homo, adjutus ordinariâ Dei gratiâ; ergo. Major probatur. Sicut enim non fecit omnia possibilia, sed tantùm aliqua, sic satis est, similia deinceps seriò velle vitare, etsi sciat, se non posse vitare simul omnia possibilia. Nec est opus spem concipere, fore, ut omnia vitet; sed sufficit desiderium vitandi omnia, si posset. Deinde vel loquimur de venialibus plenè deliberatis, & hæc potest moraliter omnia vitare cum ordinaria Dei gratia, adeoque & velle vitare, ùt rectè *Suar. Disp.* 4. *S.* 3. Vel etiam de semideliberatis, & de his sufficit dolere, quòd admissa sint, & paratum esse ad impendendam curam illis, quoad humano modo fieri poterit, imminuendis: Sufficit enim propositum esse affectivè efficax, quantùm cum Dei gratia in nobis est: aliàs remissio venialium esset homini moraliter impossibilis, essetque in dura necessitate incurrendi pœnam, quam expiare non posset.

295. *Praxis eliciendi propositum de venialibus.* In praxi utiliter sic proceditur 1mò. Si Confessurus venialia aliqua admiserit plenè deliberata, de iis præ aliis doleat, & proponat, utpote plenè deliberatis, adeoque gravioribus. Dein de aliis minùs deliberatis dolorem concipiat, statuatque ea emendare, quantùm in se erit. 2. Unum quò magis offendit, quodque radix est plurium, inquirat, deque eo spe-

specialiter doleat, ac proponat tum ante Confessionem, tum manè, & vespere. 3. Si nullum plenè deliberatum memoriæ occurrat, de aliis, antè in vita priore commissis, specialem dolorem, & propositum concipiat, unumque, vel alterum denuò confiteatur: sic enim consulitur reverentiæ Sacramenti, & utilitati animæ. Hæc praxis suadenda est Pœnitentibus.

CAPUT III.

De Confessione Sacramentali, altera materiali parte essentiali Sacramenti Pœnitentiæ.

Confessio Sacramentalis est externa accusatio de peccato proprio, ordinata ad absolutionem, à Sacerdote præsenti accipiendam. Explicandum hìc, quæ sit ejus materia, tum sufficiens, tum necessaria, quæ in hac explicanda sint; qualis illa esse debeat, quæ ab ea excusent, & quomodo defectus in ea commissi corrigendi? 296. *Confessio Sacramentalis.*

QUÆSTIO I.

Quæ sit materia sufficiens, & libera, & quæ necessaria Confessionis?

Resp. Materia Confessionis sufficiens ad valorem; & effectum Sacramenti est solum, & omne peccatum, post Baptismum à confitente verè commissum, etsi directè per absolutionem remissum. Est communis, & certa sen- 297. *Materia sufficiens.*

 tentia,

tentia, constatque ex Ecclesiæ praxi perpetua.

Dixi 1. *Solum peccatum*: nam in non peccatis remissio locum non habet: unde puræ imperfectiones materia Confessionis non sunt; quanquam Pœnitentes, qui eas confitentur, reprehendendi non sunt; quia sæpe intervenit culpa aliqua venialis, uti si dicant, quòd manè, & vespere non oraverint, die operario non audiverint Sacrum, cùm facilè potuissent, non præfixerint operibus indifferentibus rectam intentionem, &c. quia sæpè intervenit culpa venialis, v. g. acedia, sensualitas, curiositas, culpabilis negligentia, &c. Vid. 1. P. N. 31.

Dixi 2. *Et omne peccatum*: Nam Christus Dominus Joan. 20. dedit Ecclesiæ potestatem illimitatam remittendi peccata tam venialia, quàm mortalia.

Dixi 3. *Peccatum post Baptismum commissum*: quia commissa ante Baptismum ad hoc Sacramentum non pertinent, ùt constat tum ex communi consensu omnium, tum ex *Trid. Sess.* 14 *de Pœnit. Cap.* 1. 2. 4. 5. & *Can.* 10. Ratio est; quia Ecclesia non judicat de iis, quæ extra eam fiunt.

Dixi 4. *Verè commissum*: nam licèt Viva hìc *D.* 4. *Q.* 3. *A.* 3. *N.* 21. teneat, sufficere peccatum, quod pœnitens judicat esse commissum, etsi re ipsâ commissum non sit, dicatque sententiam illam inter R. R. esse communiorem, tamen sententia illa nec vera, nec in praxi tuta videtur; tum quia Concilia docent, Sacramentum Pœnitentiæ institutum esse ad delenda peccata post Baptismum commissa; peccatum autem, quod falsò putatur commissum, nec commissum est, nec peccatum

est;

est; tum quia in aliis Sacramentis non sufficit materia reipsâ nulla, etsi putetur vera; uti, si consecretur hostia, vel vinum, tantùm putatitiè tale, &c. Unde, per se loquendo, non licet absolvere nisi in casu necessitatis, ubi alia materia haberi non potest, qui tantùm de peccato dubio se accusat. Nec juvat, quòd in judicio forensi valeat sententia legitimè lata de crimine probato, etsi falso: nam Sacramentum Pœnitentiæ non convenit ex N. 239. in omnibus cum judicio forensi; sed Christus istud instituit ad peccata commissa remittenda.

Dixi 5. *Etsi directè remissum per absolutionem*; quia revera manet verum, quòd homo peccaverit; sicut ergo, si peccatum fuisset remissum per contritionem perfectam, potest nihilominus ab illo absolvi, imò debet; sic, etsi in Sacramento Pœnitentiæ fuisset directè absolutus, nihilominus potest denuò absolvi directè ab illo. Quomodo autem nihilominus forma sit vera, dicetur N. 335.

Resp. 2. Ex præcepto divino graviter obligante materia necessaria, seu necessariò, per se loquendo, confitenda sunt omnia mortalia post Baptismum commissa, necdum directè per absolutionem remissa. Ratio à priori est voluntas Christi, nobis intimata ex traditione perpetua Ecclesiæ, & Conciliis: nam *Florent. in Decreto Eugen. IV. ad Armenos* dicit: *Pars secunda Sacramenti Pœnitentiæ est Confessio oris, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo Sacerdoti confiteatur integraliter*, Et *Trid. Sess. 14. de pœn. Cap. 5.* ait, institutam esse à Domino integram peccatorum Confessionem, & 298. *Materia necessaria.*

omni-

omnibus jure divino necessariam esse post Baptismum relapsis, contrariumque asserenti anathema dicit Can. 7. Idem docent PP. apud *Bellarm. L.* 3. *Cap.* 2. Ratio ex *S. Aug. Homil.* 49. *est;* quia aliàs sine causâ dictum esset: *Quæ solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Sine causa datæ essent claves Ecclesiæ Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur iis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Hinc peccata gravia in Confessione etiam inculpabiliter omissa, in alia sub mortali sunt subjicienda clavibus; quia Sacerdos à Christo Judex constitutus circa mortalia, necdum sententiam tulit de illis, neque satisfactionem imposuit, quòd Christus Dominus præcepit.

299. *Materia libera.* Resp. 3. Materia libera Confessionis sunt peccata tum venialia, tum mortalia, directè vi clavium remissa. Constat iterum ex traditione, praxique universalis Ecclesiæ. *Ratio 1ma partis est;* quia venialia non excludunt gratiam sanctificantem, adeoque, etsi in hac vita non remittantur, jus ad beatitudinem non tollunt, neque effectum Sacramenti impediunt: unde utiliter potest homo ea confiteri; sed ad id non est obligatio, per se loquendo. Docet hoc *Trid. Sess.* 14. *Cap.* 5. his verbis: *Venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur, quamvis rectè, & citra omnem præsumptionem in Confessione dicantur, quod piorum usus demonstrat, citra culpam tamen taceri, multisque aliis remediis expiari possunt.* Dixi: *Per se loquendo;* quia, si quis haberet mortale dubium, teneretur addere saltem veniale,

nisi

nisi certum esset, quòd dubio illo saltem venialiter peccâsset.

Ratio 2dæ partis est; quia, si peccata gravia sint semel directè remissa, jam tulit de iis sententiam Sacerdos, adeoque non est, per se loquendo, obligatio illa iterum confitendi. Dico rursus: *Per se loquendo*: nam per accidens potest esse obligatio: utì, si fuisses illud confessus in genere, & ejus jam recordateris in specie: si, quod est omissum, non posset explicari, nisi repeteretur directè remissum, &c.

300. *Quæ peccata directè, & quæ indirectè remittantur.*

Porrò peccatum per absolutionem directè remittitur, quod est materia, Sacerdoti per Confessionem cognita, & tanquam judici competenti, & idoneo respectu illius subjecta, rationeque sui independenter ab alio remittitur; indirectè verò remittitur, quod vel non est materia per Confessionem Sacerdoti cognita; vel, si est cognita, non est subjecta, illi tanquam Judici idoneo respectu illius; remittitur tamen dependenter ab alio peccato, huic Sacerdoti per Confessionem cognito, & subjecto tanquam Judici idoneo. Utì, si quis habens duo mortalia unum confiteatur, alterum inculpabiliter obliviscatur: ab hoc enim indirectè absolvitur; quia absolutio à primo confert gratiam, quæ nullum mortale in suo subjecto compatitur, & primum fuisset remissum, etsi alterum non adfuisset; non verò secundum, nisi primum fuisset subjectum Sacerdoti.

301. *Mortale in Baptismi susceptione commissum.*

Ex dictis inferes. Mortale, quod in susceptione Baptismi committitur, si physicè cesset, antequam Baptismi Sacramentum compleatur, non est materia Sacramenti Pœnitentiæ: si autem continuetur, usque dum Sacramentum sit

sit completum, est materia ejus necessaria; quia est peccatum hominis Christiani, moraliterque fieri non potest, ùt duret in instanti, quo completur Baptismus, quin duret instanti subsequenti.

QUÆSTIO II.

An materia sufficiens Sacramenti Pœnitentiæ sit peccatum in communi?

302. *Sufficit in casu necessitatis.* Resp. In casu necessitatis est materia sufficiens, ità, ut licitè, & validè suscipiatur, & conferatur Sacramentum Pœnitentiæ, etsi peccata etiam mortalia Pœnitens confiteatur in genere dicendo: accuso me de peccatis meis. Est communissima, probatque praxis Ecclesiæ, quæ absolvit moribundos, etsi nullum peccatum in specie potuerint exprimere. Et *Ratio est*; quia subjicitur materia apta absolutioni; & sicut impotentia excusat ab expressione numeri, ità & ab expressione speciei. In hoc casu putat Lugo directè remitti solum prædicatum genericum peccati in communi; materialiter autem, & indirectè quodlibet peccatum, ùt in se est. Econtra Dicastillo putat, directè remitti omnia, ad quæ dolor, & Confessio se extendit. Rationem suæ sententiæ dat Lugo; quia solum prædicatum genericum vi Confessionis Confessario innotescit. Similiter tenet, si quis dicto uno in specie, accusaret se de venialibus in genere, ex his remitti solùm ea, quæ ex Confessione, & circumstantiis Confessario innotescunt. Idem dicit, si quis confiteatur venialia in specie sine nu-

umero, v. g. dicendo, sæpe mentitus sum; aliuoties fui impatiens leviter, quæ Confessio suf-icit ad validam, & licitam absolutionem. Diastillo econtra tenet directè remitti omnia, ad uæ se dolor extendit; quia unum non magis innotescit Confessario, quàm alterum, estque qualis ratio pro omnibus.

Petes, an validè, & licitè possit absolvi ersona rudis, quæ se accusat dicendo: sumus mnes peccatores: sæpè peccavi; vel: sæpè eccavi venialiter, doleo, quòd Deum unuam offenderim, & nolo offendere ampliùs. Resp. Etsi, si cætera adsint, possit validè absolvi, non tamen licitè, saltem si facilè à pœitente elici possit peccatum in specie; quia st contra praxin Ecclesiæ, & in judicio, ut rdinatè procedatur, debet probari, vel aperiri delictum saltem in specie determinatum, bi fieri id moraliter potest; si autem nullum n specie, nec ab ultima Confessione, nec in ita præcedenti commissum, elici possit, spectandæ sunt circumstantiæ, an nempe persona lla diu non sit confessa, an speretur brevì neliùs instructa reditura, an sit in periculo nortis, an ruditas ejus proveniat ex naturali tupiditate, vel senio, aut defectu instructiois. Ex his perpensis statuat Confessarius, uòd optimum factu videbitur; si sit infirma, & in periculo mortis, præmissis actibus Fidei, pei, Charitatis, & Contritionis, absolvat am; si sana, & diu non confessa sit, nec peretur brevì meliùs fore instructa, exploret, n sciat scitu necessaria, doceat modum examinandi conscientiam, jubeat, ut curet se meiùs instrui, & dein post tempus adeat Conessionem, excitatamque ad dolorem, præmissis

103. *Quid, si a rudi nullum in specie peccatum possit elici?*

missis actibus fidei, &c. injunctâque convenienti pœnitentiâ eam absolvat; quia est quædam necessitas, & impotentia; dumque dicit in genere, se peccâsse, implicitè confitetur, se aliquando fuisse leviter impatientem, dixisse verba otiosa; mendacia, læsiva charitatis, fuisse inobedientem, &c. Quis enim est, qui in ejusmodi nunquam offenderit? In hoc casu cognoscitur status Pœnitentis in confuso, & modo quo potest, materia Sacramenti immediata est determinata, remota quoque eâ ratione, quâ potest, & reipsâ sunt peccata commissa. Juxta S. Thom. in 4. D. 21. Q. 1. A. 1. & 2. qui solùm in genere meminisset, se peccâsse mortaliter, & hoc ità confiteretur, deberet absolvi, nec tamen materia esset magìs determinata, quàm in casu nostro. Vide Lugonem de Pœnit. D. 17. N. 8. & in Neo-Conf. N. 117.

QUÆSTIO III.

An peccata mortalia dubia sint materia necessaria Confessionis, adeoque sub gravi in ea aperienda?

304. *Dubiū triplex.* *Nota.* Dubium circa peccata quoad præsentem quæstionem potest contingere tribus modis 1mò. Potest alicui esse dubium, an aliquid contra præceptum fecerit, aut omiserit. 2. Potest esse certus de actu, vel omissione peccaminosa, & esse ei dubium, an peccaverit mortaliter, vel venialiter tantùm ob defectum plenæ advertentiæ ad gravem malitiam, vel pleni consensûs in illam. 3. Potest esse

sse dubium, an mortale sit confessus, quod scit è commisisse.

Porro dubium circa hæc potest esse varium. Ac imò quidem utrimque, seu purè negativum, attamen non imprudens, quando nempe pro utraque parte est fundamentum non omninò leve, quod quidem sufficiat ad prudenter suspicandum, vel formidandum, nequè importet obligationem ulteriùs inquirendi, attamen non sufficiat ad prudenter judicandum. 2. Potest esse dubium utrimque positivum, quando pro utraque parte est fundamentum ad prudenter judicandum. 3. Dubium partim positivum, partim negativum, quando pro una parte est fundamentum grave, & ad prudenter judicandum sufficiens, ast non pro altera, etsi pro ea sit fundamentum pro formidine non omninò temeraria. Et hoc à quibusdam dicitur dubium negativum. Si pro neutra parte sit fundamentum rationabile dubitandi, suspicandi, est dubium negativum imprudens, & ejusmodi dubiis solent inquietari sæpè scrupulosi, quæ sine ulteriori inquisitione rectè contemnuntur: sine temeritate enim contemnitur, quod sine ratione oboritur. Quodsi quis ex prudenti ratione judicet de una parte cum formidine de opposita, est dubium vulgare; Theologicum verò, quando intellectus inter utramque partem suspensus hæret. His notatis

Resp. Peccata dubia pro diversitate dubii quandoque sunt, & quandoque non sunt materia necessaria, & sub obligatione confitenda. Nam 1mò. Si dubium sit utrimque positivum de peccato commisso, seu ratio gravis sit pro commissione, & simul gravis pro li- 305. *Quid, si dubium sit, an actus gravis sit positus?*

libertate, & innocentia, non est obligatio id confitendi. Est communis. *Ratio est*; quia tunc libertas est in possessione, à qua nemo dejicitur per rationem tantùm probabilem; idque verum censent Suar. Sanch. aliique communiùs, etsi probabiliùs peccatum sit admissum; neque enim hîc agitur de valore Sacramenti; sed licet sequi sententiam verè, etsi minùs probabilem. Suscepturùs tamen Sacramentum Pœnitentiæ teneretur elicere dolorem universalem, ne id exponat periculo carendi effectu, aut etiam valore suo.

306. *In dubio, an in actu certò commissum plenè consenseris?* 2. Si certum sit, actum esse positum contra legem graviter obligantem, & dubium sit utrimque positivum, an gravis malitia sit contracta. V. g. ad adfuerit plena deliberatio, & plenus consensus; habet quidem communior, non esse obligationem confitendi; quia & tunc innocentia est in possessione: ante actum enim illum possidebat; an autem nunc exclusa sit, dubium quidem est, at non probatur exclusa: verùm existimo, attendendum esse ad dubitantis conscientiam: si enim timoratæ est conscientiæ, & non solet plenè advertenter Deum graviter offendere, non tenetur confiteri in dubio tali: ex communiter enim contingentibus est prudens præsumptio. Si verò est conscientiæ laxæ, parumque timoratæ, & solet consentire cum plena advertentia, ad malitiam gravem, tenetur confiteri; quia ex communiter contingentibus præsumptio est contra ipsum.

307. *In dubio, an sis confessus.* 3. Si peccatum grave certò sit commissum, & dubium sit utrimque positivum, an sis illud confessus, probabilis quidem est sententia multorum, quòd non tenearis denuò con-

nfiteri: eò quòd, ubi legi probabiliter est
tisfactum, ejus obligatio hìc & nunc sit in-
rta; verùm conformiter dictis 1. P. N. 188.
pposita sententia videtur probabilior; quia
x est in possessione. Excipe, nisi præsum-
io sit pro Confessione, utì, si quis solitus sit
llicitè conscientiam discutere, & ritè confi-
ri: tum enim in dubio prudenter præsumit, se
nfessum esse peccatum, de quo dubitat. Se-
s si obiter, & non cum debita diligentia ista
æstiterit.

4. Si dubium sit negativum pro libertate, & 308. *In dubio negativo respectu libertatis tantùm.*
ositivum pro obligatione, v.g. si dubites, an
rtum peccatum commiseris, aut certò com-
issum sis confessus, & motivum probabile tibi
, quòd illud commiseris, aut non sis confes-
s, at non sit motivum probabile pro tua li-
ertate, etsi aliquod sit non omninò leve, te-
ris confiteri; quia non potes prudenter judi-
re, te non peccâsse, aut esse confessum, adeo-
ue lex est in possessione.

5. Si dubium sit purè, vel utrimque nega- 309. *In dubio utrinque negativo, an actus sit positus.*
vum, an peccatum commiseris, spectatâ sal-
m ratione probabiliùs non teneris confiteri,
deoque peccata purè negative dubia non sunt
ateria necessaria Confessionis. Ità *Stotz*
n. 8. *Marchant. La Croix n.* 609. *Viva d.*
*q.*3. *a.* 2. *n.* 10. *Ulloa hic d.* 7. *C.* 2 *n.* 8. alii-
ue multi contra multos, præsertim Antiquos,
ui tamen, teste Ulloa, & Viva, non om-
es eodem, quo nos, sensu acceperunt du-
um negativum; sed aliqui locuti sunt de du-
o negativo pro libertate, & positivo pro
ge; alii non distinguentes intér dubium
ositivum, & negativum intelligendi sunt si-
ul de dubio positivo, alii de dubio, an ad-

verteris ad gravem malitiam in commisso actu graviter malo.

Probatur autem sententia nostra 1mò. In dubio melior est conditio possidentis; atqui in hoc casu libertas possidet; nam in priori ad dubium libertas est certa, quæ per rationem, non sufficientem ad prudens judicium, à possessione excludi non debet. 2. Juxta *Trid. Seff.* 14. *Cap.* 5. & *Can.* 7. non est obligatio confitendi peccata, nisi mortalia, quorum pœnitens memoriam, vel conscientiam habet; atqui dubius purè negativè, de peccato commisso non habet hujus conscientiam, vel memoriam: nam meminisse non importat solum suspicionem, aut quodcunque etiam improbabile dubium; sed saltem opinionem probabilem: aliàs, qui negativè tantùm dubitaret, an solverit debitum, dixerit horas, impleverit votum, meminisset, se non satisfecisse obligationi suæ, & satisfecisse, adeoque adhuc teneretur, & non teneretur, quod falsum est. Unde rectè *Aristot. L. de memoria*, quem sequitur S. Thom. ait: *Cùm anima memoratur, pronuntiat se vel priùs audivisse aliquid, vel sensisse, vel intellexisse;* proinde, ut pœnitens dicatur meminisse peccati, non sufficit dubium negativum, & suspensio intellectûs.

Si respondeant Adversarii, de peccatis dubiis haberi memoriam, & conscientiam dubiam. Contra est 1mò. Concilium intelligendum est de memoria, & conscientia absolutè, & simpliciter prolata, & verba ejus in sensu proprio sunt accipienda, præsertim cùm exactam promiserit de Confessione doctrinam; at verò memoria, & conscientia negativè dubia

bia non est absolutè, & simpliciter talis, constat ex jam dictis, tum ex eo, quod no dicere simpliciter possit se meminisse, conscium esse ejus, de quo negativè dubi-. Unde dicit S. *Bern. de interiore domo* ɔ. 11. *Conscientia est cordis scientia.* Et S. om. 1. p. q. 29. a. 1. *Conscientia importat inem scientiæ ad aliquid: nam conscientia tur cum alio scientia.* Contra est 2dò. Si d. comprehendit sub memoria, & con-ntia etiam dubium, ex eo erit obligatio fitendi peccata etiam positivè dubia, quod versarii communiter negant. Contra est Si verum est, quod dicitur, ergo scrupu-s posset dici habere conscientiam peccati, d se commisisse valde timet, &c. Unde neritò dixit Gormaz, oppositam senten-ı esse certam. Argumenta, quæ Adver-afferunt pro se, pariter militant contra s, probarentque, si quam vim haberent, ata etiam positivè dubia esse confitenda, quis probabiliùs judicet, se non pec-:.

ıttamen fatendum, pro quiete conscien-consultius esse, peccata dubia, per se lo-ıdo, confiteri; quia oriri facilè potest etas, an fuerit ratio probabilis pro liber-

Et sic habet praxis fidelium, quæ tamen gationem non probat, sicut consuetudo itendi venialia non probat obligationem ea itendi.

ixi: *Per se loquendo*: nam non expedit, rupulosi sua dubia confiteantur; quia ple-que sunt ex levi, vel nullo fundamento, que inducerentur in gravissimas, perpe-ue molestias, & anxietates cum detri-

mento valetudinis, & profectûs in spiritu. Dein, qui solitus est sollicitè examinare se, & exactè confiteri, si dein dubitet, an omnia sit ritè confessus, consultius est, ut non repetat anxiè ex eo, quòd non recordetur, se hoc, vel illud peccatum rectè explicâsse, aut confessum esse: sic enim non erit repetendi finis.

QUÆSTIO IV.

Quomodo peccata mortalia in Confessione sint explicanda?

510. *Secundùm numerum, & speciē infimam* Resp. Jure divino, per se loquendo, omnia & singula mortalia in Confessione exponenda sunt, quoad morali diligentiâ fieri potest, prout sunt in conscientia, secundùm numerum, speciemque moralem infimam, & circumstantias speciem immutántes. Est de Fide. Probatur ex Scriptura Joannis 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ubi Christus Apostolis, & eorum in Sacerdotio Successoribus confert judiciariam potestatem remittendi peccata; quæ exerceri non potest exactè, & ùt per se convenit, nisi cognoscantur peccata tum quoad suam speciem, tum quoad numerum: dispositis enim impertienda est absolutio, & injungenda est conveniens satisfactio, id quod, prout oportet, fieri non potest, nisi peccata omnia secundùm suam speciem, & numerum exponantur; & hinc, qui in necessitate non potuit sua peccata quoad numerum & speciem exponere, tenetur ad id postea, ubi impotentia fuerit sublata. Probatur 2. ex *Trid. Sess.* 14. *Can.* 7. ubi definit, omnia, & sin-

singula peccata mortalia, quorum memoria ex debita, & diligenti præmeditatione habetur, etiam occulta, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant, jure divino oportere confiteri, idque ad eorum remissionem necessarium esse.

Dixi 1. *Per se loquendo:* nam in casu necessitatis, ubi non possunt exponi omnia, sufficit exponere ea, quæ possunt exponi, aut, si nullum possit, se in genere accusare: tunc enim adhuc servatur ratio judicii, quantùm humano modo servari potest hìc & nunc.

Dixi 2. *Quoad numerum moralem:* quia, cùm numerum physicum exponere sæpè sit impossibile; Christus non requisivit, nisi ut exponatur numerus in æstimatione humana. Vide dicta de peccatis 1. P. à N. 348.

Dixi 3. *Quoad speciem infimam*; quia aliàs natura, malitia, & gravitas peccati non cognosceretur à Judice Sacerdote. Unde nec sufficit, quamcunque speciem infimam explicare, sed explicanda est illa, quæ admissa est. Sic peccare delectatione turpi, & se exponere proximo illius periculo, etsi peccata sint ejusdem speciei, malè tamen confiteretur, se delectatum esse, qui se tantùm exposuisset proximo delectationis periculo. Item, ejusdem speciei peccata sunt, furari quinque, & furari decem, attamen furatus decem non rectè confiteretur dicendo: furatus sum quinque, aut contra. Cæterum, qui non posset explicare speciem infimam, potest autem subalternam, hanc teneretur explicare, ùt, qui sciret, se peccâsse contra Justitiam; & nesciret, in qua materia, teneretur dicere, se peccâsse contra Justitiam, sed nescire, in qua materia. Imò, qui sciret, se

se peccâsse graviter, & nullius speciei recordaretur, deberet se accusare de peccato mortali in genere.

Dixi 4. *Quoad morali diligentiâ fieri potest:* plus enim Deus non requirit sed voluit, ùt docet Trid. peccata, quæ post diligens examen non occurrunt memoriæ, in eadem Confessione includi, & indirectè remitti dispositis.

Dixi 5. *Prout sunt in conscientia*, ut nempe, qui novit certò, se peccâsse, confiteatur peccatum, ùt certum; qui dubitat, confiteatur, ùt dubium; qui scire potest numerum certum, confiteatur certum; qui non potest invenire, nisi dubium, confiteatur dubium, prout conscientia per prudens judicium dictat.

311. *Quale requiratur examen conscientiæ?*

Ex his deduco 1. Tenetur pœnitens, per se loquendo, diligens examen conscientiæ ante Confessionem instituere: cùm enim teneatur numerum, & speciem confiteri, etiam tenetur, quoad morali diligentiâ potest, ea scire, adeoque & se examinare. Dico: *Per se loquendo:* nam, qui certus esset, se non peccâsse graviter, aut semel tantùm, posset hoc, vel aliud ex vita priore confiteri, & absolutionem accipere sine ulteriori examine. Quanta autem diligentia ad examen sufficiens requiratur, non potest unâ regulâ definiri; Doctores communiter docent, requiri tantam, quantam homines diligentes adhibere solent in rebus seriis, & magni momenti; sed monent, spectandas simul esse circumstantias, quales sunt 1*ma*, lapsuum frequentia in confuso jam cognita: nam examen diligentius requiritur in eo, qui peccavit in consuetudine. 2*da*. Tempus, quod intercessit inter ultimam, & præsentem Confessionem:

nem : si enim longius est, major quoque diligentia, per se loquendo adhibenda est. 3*tia.* Status pœnitentis : si enim hic timoratæ sit conscientiæ, minus temporis requiritur; quia talis peccatorum gravium non facilè obliviscitur. 4*ta.* Pœnitentis vires, ingenium, memoria, & doctrina : in sagacioribus enim, & doctis major, cæteris paribus, diligentia requiritur, quàm in rudibus; major in sanis, quàm in periculosè decumbentibus; quia Deus accommodavit legem suam viribus hominum. Cæterùm experientia docet, ùt rectè notârunt Vasq. & Lugo, rusticos, aliosque rudes rarò se bene examinare, & prudentem Confessarium aliquot interrogationibus plus proficere, quàm illi sibi relicti longo examine, quamvis conentur omnia in memoriam revocare. Unde tales, si diligentiam aliquam adhibuerint, non facilè sunt remittendi, ut se examinent, etsi aliquis defectus advertatur; sed eum suppleat Confessarius, quod rectè præstare pœnitentis, sibi relicti, ruditas vix poterit. Universim satisfacit, qui recogitat, ubi quovis die fuerit, quæ negotia gesserit, quid in iis circumstantiis cogitatione, interiore affectu, verbo, opere, vel omissione deliquerit ? Quomodo domi, in templo, in conversatione cum proximo se habuerit ? Nec necesse est, ut eadem vestigia relegendo iterum, iterumque rimetur : mediocris enim diligentia sufficit ex communi DD. & ordinariè propria conscientia testimonium perhibebit, num debita diligentia huic examini sit impensa : nam, si quis sincerè volens omnia peccata confiteri, invocato divino auxilio, examen suscepit, eoque finito non audiat latratum conscientiæ, non

nimis laxæ, nec ſcrupuloſæ, is tutò ſibi perſuadebit, ſe ſuæ obligationi ſatisfeciſſe: Conſcientia enim non ſileret, ſi quid culpabilis negligentiæ ſubeſſet. Atque hæc dicta ſint de eo, qui ſe graviter peccâſſe, prudenter ſuſpicatur: ſi enim de hoc prudens dubium non habeat, aut, ſi illud grave occurrat quidem, putet tamen prudenter, aliud non latere, minor diligentia requiritur; imò ſcrupuloſis nimia inquiſitio vitanda, omnibus maxima cura impendenda, ut dolorem, & propoſitum ſerium, & efficax habeant. Quodſi quis à modico tempore confeſſus v. g. à duabus, vel tribus hebdomadis, exprimat numerum parvum incertum peccatorum palbabilium v. g. dicendo: Hâc ſeptimanâ circiter quater fornicatus ſum, vel: me pollui: merito redditur ſuſpectus de defectu examinis; quia peccata, præſertim externa, & non ab adeò longo tempore commiſſa, facilè in numero certo invenientur in examine diligenti: unde talis adigendus eſt, ut ſe meliùs examinet.

312\. *Si non inveniatur numerus certus.*

2\. Qui, adhibitâ morali diligentiâ, non poteſt deprehendere certum numerum, tenetur exprimere magis ſibi veriſimilem, adjectis particulis: *plus minùs*, vel *circiter.*

Quantum importet particula circiter?

Quouſque autem illæ ſe extendant, prudentis arbitrio æſtimandum eſt: neque enim numerus modicus, qui illis implicitè comprehenditur, æſtimandus eſt abſolutè, ſed reſpectivè ad numerum, cui adjicitur: quò enim hic major eſt, eò major intelligitur exceſſus, qui per eas voces comprehendi poteſt, v. g. exceſſus modicus reſpectu quinque, vel ſex eſt unum; reſpectu verò decem ſunt duo, & reſpectu viginti ſunt tria, reſpectu triginta ſunt qua-

quatuor, & sic de cæteris semper procedendo cum proportione Geometrica, ità, ut numerus, qui statuitur comprehendi illis vocibus, sit talis respectu majoris, qui censeatur ab eo absorberi. Unde, si quis, debito examine peracto, sincerè sic putans dicat in Confessione; ter circiter, sique postea resciat, se quater peccâsse, non tenetur vicem quartam denuò confiteri; quia, licèt unum sit pars tertia trium, est tamen aliquid in se parvum, & vox circiter aliquid consignificat. Si dixerit bonâ fide: feci centies circiter, & postea comperiat, se sexies, vel etiam octies fecisse ultra, pariter satisfecit. Si autem dixerit: feci circiter centies, & postea resciat, factum esse centies trigesies, excessus esset nimius, quàm illâ voce comprehendi potest: qui enim alicui centum circiter imperiales promisisset, non intelligeretur promisisse centum & triginta, & licèt triginta non sint tertia pars centenarii, attamen neque in se, neque respectu ad centum sunt aliquid parvi. Hinc debet postea excessus non comprehensus in Confessione exponi. Similiter, si dicas, te furatum esse rem gravem circiter decies, & postea deprehendas, factum esse decies octies, vel vigesies, debebis sex, vel octo furta denuò confiteri.

3. Si nullus numerus, neque verisimilis quidem haberi possit, opus erit, & sufficiet pœnitentem aperire statum suum, & consuetudinem peccandi, moramque temporis, quo in consuetudine peccandi mortaliter perseveravit, & frequentiam lapsuum in die, septimana, mense, dicendo nempe, quoties in iis tale, vel tale peccatum commiserit: ex his enim prudens Confessarius statum, & mali- 313. *Quid, si inveniri numerus verisimilis non possit?*

tiam

tiam peccatoris meliùs, & firmiùs cognoſcet, quàm ex numero à pœnitente determinato, qui ſæpe imprudenter magìs ab eo extorquetur, quàm benè percipitur. Sic meretrix communis ſatisfacit dicendo: tot annos in ſtatu meretricio perſeveravi, & quoties occaſio fuit, quibusvis ſeu conjugatis, ſeu liberis, ſeu voto obſtrictis copiam mei corporis feci. Exprimere tamen debet ſpecies peccatorum, ſaltem principales, quantùm poteſt, imò & numerum aliquem, ſi poſſet, ſaltem in menſe, vel ſeptimana commiſſum. Ità Lugo. Similiter, qui domi habuit concubinam, ſufficienter confitetur numerum dicendo: tanto tempore habui concubinam, & eâ velut uxore uſus ſum. Item, qui ſolitus eſt obvias quaſcunque concupiſcere mulieres, ſatisfacit dicendo ſuam conſuetudinem, & ſpecies ſaltem principales: an conjugatas, an cognatas, an ſacras. Ità iterum Lugo, juxta quem etiam ſatisfacient aperiendo conſuetudinem, qui conſueverant paſſim colloqui de rebus turpibus ſine delectu circa materiam, vel ſocios: debent tamen tales dicere, quantùm poſſunt, majorem, vel minorem frequentiam peccandi intra tale tempus, v. g. quoties de die &c. quia poteſt eſſe magna inæqualitas in hac frequentia. Addit Lugo. Si tales poſtea magìs diſtinctè recordentur numerum, & ſpecies peccatorum, non teneri illas diſtinctiùs confiteri; quia in illa confuſa narratione ſufficienter intellecta fuerunt à Confeſſario: cùm potuerit de illis formare morale judicium, atque ità ab omnibus debitè abſolverit. Excipe, niſi tanta multitudo peccatorum poſtea in mentem veniret, ut notabiliter excederet numerum antè confusè dictum.

Quodſi

Quodsi quis numerum bonâ fide nimis magnum dixisset, non tenetur ideo denuò confiteri; quia numerus verus in majore inclusus, & remissus fuit.

QUÆSTIO V.

An circumstantiæ, intra eandem speciem notabiliter aggravantes, sint sub obligatione in Confessione explicandæ?

Quæ sint circumstantiæ speciem peccati mutantes, quæ intra eandem speciem malitiam ejus tantùm aggravantes, exposui 1. P. N. 36.

Quæritur hic, an, qui v. g. actum peccaminosum diu continuavit, aut eum vehementer intenso affectu posuit, aut furatus est rem gravem, teneatur in Confessione explicare durationem, intensionem actûs sui mali, & determinare materiam furti. Affirmant Cajet. Suar. Sanch. aliique multi apud La Croix hîc N. 977. Negat *S. Thom. in 4. Dist. 16. q. 3. a. 2. & Dist. 22. q. 1. a. 4. S. Bonav.* S. *Anton. Scotus*, aliique multi apud La Croix N. 970. Cum quibus.

Resp. Per se loquendo, & ante interrogationem Confessarii, circumstantiæ, intra eandem speciem tantùm aggravantes, non sunt sub obligatione in Confessione explicandæ. 314. *Probabilior sententia negativa.*

Probatur 1mò ex Trid. Sess. 14. Cap. 5. & Can 7. Nam ibi explicans materiam necessariam Confessionis, ostendensque obligationem confitendi non esse observatu impossibilem, *constat*, inquit, *nihil aliud exigi, quàm, ut ea peccata quis confiteatur, quorum meminit;*

verteris ad gravem malitiam in commisso actu graviter malo.

Probatur autem sententia nostra 1mò. In dubio melior est conditio possidentis; atqui in hoc casu libertas possidet; nam in priori ad dubium libertas est certa, quæ per rationem, non sufficientem ad prudens judicium, à possessione excludi non debet. 2. Juxta *Trid. Sess.* 14. *Cap.* 5. *& Can.* 7. non est obligatio confitendi peccata, nisi mortalia, quorum pœnitens memoriam, vel conscientiam habet; atqui dubius purè negativè, de peccato commisso non habet hujus conscientiam, vel memoriam: nam meminisse non importat solum suspicionem, aut quodcunque etiam improbabile dubium; sed saltem opinionem probabilem: aliàs, qui negativè tantùm dubitaret, an solverit debitum, dixerit horas, impleverit votum, meminisset, se non satisfecisse obligationi suæ, & satisfecisse, adeoque adhuc teneretur, & non teneretur, quod falsum est. Unde rectè *Arist. L. de memoria*, quem sequitur S. Thom. ait: *Cùm anima memoratur, pronuntiat se vel priùs audivisse aliquid, vel sensisse, vel intellexisse;* proinde, ut pœnitens dicatur meminisse peccati, non sufficit dubium negativum, & suspensio intellectûs.

Si respondeant Adversarii, de peccatis dubiis haberi memoriam, & conscientiam dubiam. Contra est 1mò. Concilium intelligendum est de memoria, & conscientia absolutè, & simpliciter prolata, & verba ejus in sensu proprio sunt accipienda, præsertim cùm exactam promiserit de Confessione doctrinam; at verò memoria, & conscientia negativè dubia

dubia non est absolutè, & simpliciter talis, ùt constat ex jam dictis, tum ex eo, quod nemo dicere simpliciter possit se meminisse, vel conscium esse ejus, de quo negativè dubitat. Unde dicit S. *Bern. de interiore domo Cap.* 11. *Conscientia est cordis scientia.* Et S. Thom. 1. p. q. 29. a. 1. *Conscientia importat ordinem scientia ad aliquid: nam conscientia dicitur cum alio scientia.* Contra est 2dò. Si Trid. comprehendit sub memoria, & conscientia etiam dubium, ex eo erit obligatio confitendi peccata etiam positivè dubia, quod Adversarii communiter negant. Contra est 3. Si verum est, quod dicitur, ergo scrupulosus posset dici habere conscientiam peccati, quod se commisisse valde timet, &c. Unde immeritò dixit Gormaz, oppositam sententiam esse certam. Argumenta, quæ Adversarii afferunt pro se, pariter militant contra ipsos, probarentque, si quam vim haberent, peccata etiam positivè dubia esse confitenda, etsi quis probabiliùs judicet, se non peccâsse.

Attamen fatendum, pro quiete conscientiæ consultius esse, peccata dubia, per se loquendo, confiteri; quia oriri facilè potest anxietas, an fuerit ratio probabilis pro libertate. Et sic habet praxis fidelium, quæ tamen obligationem non probat, sicut consuetudo confitendi venialia non probat obligationem ea confitendi.

Dixi: *Per se loquendo*: nam non expedit, ut scrupulosi sua dubia confiteantur; quia plerumque sunt ex levi, vel nullo fundamento, aliásque inducerentur in gravissimas, perpetuásque molestias, & anxietates cum detri-

singula peccata mortalia, quorum memoria ex debita, & diligenti præmeditatione habetur, etiam occulta, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant, jure divino oportere confiteri, idque ad eorum remissionem necessarium esse.

Dixi 1. *Per se loquendo*: nam in casu necessitatis, ubi non possunt exponi omnia, sufficit exponere ea, quæ possunt exponi, aut, si nullum possit, se in genere accusare: tunc enim adhuc servatur ratio judicii, quantùm humano modo servari potest hìc & nunc.

Dixi 2. *Quoad numerum moralem*: quia, cùm numerum physicum exponere sæpè sit impossibile; Christus non requisivit, nisi ut exponatur numerus in æstimatione humana. Vide dicta de peccatis 1. P. à N. 348.

Dixi 3. *Quoad speciem infimam*; quia aliàs natura, malitia, & gravitas peccati non cognosceretur à Judice Sacerdote. Unde nec sufficit, quamcunque speciem infimam explicare, sed explicanda est illa, quæ admissa est. Sic peccare delectatione turpi, & se exponere proximo illius periculo, etsi peccata sint ejusdem speciei, malè tamen confiteretur, se delectatum esse, qui se tantùm exposuisset proximo delectationis periculo. Item, ejusdem speciei peccata sunt, furari quinque, & furari decem, attamen furatus decem non rectè confiteretur dicendo: furatus sum quinque, aut contra. Cæterum, qui non posset explicare speciem infimam, potest autem subalternam, hanc teneretur explicare, ùt, qui sciret, se peccâsse contra Justitiam; & nesciret, in qua materia, teneretur dicere, se peccâsse contra Justitiam, sed nescire, in qua materia. Imò, qui sciret, se

ſe peccâſſe graviter, & nullius ſpeciei recordaretur, deberet ſe accuſare de peccató mortali in genere.

Dixi 4. *Quoad morali diligentiâ fieri poteſt:* plus enim Deus non requirit ſed voluit, ùt docet Trid. peccata, quæ poſt diligens examen non occurrunt memoriæ, in eadem Confeſſione includi, & indirectè remitti diſpoſitis.

Dixi 5. *Prout ſunt in conſcientia*, ut nempe, qui novit certò, ſe peccâſſe, confiteatur peccacatum, ùt certum; qui dubitat, confiteatur, ùt dubium; qui ſcire poteſt numerum certum, confiteatur certum; qui non poteſt invenire, niſi dubium, confiteatur dubium, prout conſcientia per prudens judicium dictat.

311. *Quale requiratur examen conſcientiæ?* Ex his deduco 1. Tenetur pœnitens, per ſe loquendo, diligens examen conſcientiæ ante Confeſſionem inſtituere: cùm enim teneatur numerum, & ſpeciem confiteri, etiam tenetur, quoad morali diligentiâ poteſt, ea ſcire, adeoque & ſe examinare. Dico: *Per ſe loquendo:* nam, qui certus eſſet, ſe non peccâſſe graviter, aut ſemel tantùm, poſſet hoc, vel aliud ex vita priore confiteri, & abſolutionem accipere ſine ulteriori examine. Quanta autem diligentia ad examen ſufficiens requiratur, non poteſt unâ regulâ definiri; Doctores communiter docent, requiri tantam, quantam homines diligentes adhibere ſolent in rebus ſeriis, & magni momenti; ſed monent, ſpectandas ſimul eſſe circumſtantias, quales ſunt 1*ma*, lapſuum frequentia in confuſo jam cognita: nam examen diligentius requiritur in eo, qui peccavit in conſuetudine. 2*da*. Tempus, quod interceſſit inter ultimam, & præſentem Confeſſionem:

nem:

nem : si enim longius est, major quoque diligentia, per se loquendo adhibenda est. *3tia.* Status pœnitentis : si enim hic timoratæ sit conscientiæ, minus temporis requiritur ; quia talis peccatorum gravium non facilè obliviscitur. *4ta.* Pœnitentis vires, ingenium, memoria, & doctrina : in sagacioribus enim, & doctis major, cæteris paribus, diligentia requiritur, quàm in rudibus ; major in sanis, quàm in periculosè decumbentibus ; quia Deus accommodavit legem suam viribus hominum. Cæterùm experientia docet, ùt rectè notârunt Vasq. & Lugo, rusticos, aliosque rudes rarò se bene examinare, & prudentem Confessarium aliquot interrogationibus plus proficere, quàm illi sibi relicti longo examine, quamvis conentur omnia in memoriam revocare. Unde tales, si diligentiam aliquam adhibuerint, non facilè sunt remittendi, ut se examinent, etsi aliquis defectus advertatur ; sed eum suppleat Confessarius, quod rectè præstare pœnitentis, sibi relicti, ruditas vix poterit. Universim satisfacit, qui recogitat, ubi quovis die fuerit, quæ negotia gesserit, quid in iis circumstantiis cogitatione, interiore affectu, verbo, opere, vel omissione deliquerit ? Quomodo domi, in templo, in conversatione cum proximo se habuerit ? Nec necesse est, ut eadem vestigia relegendo iterum, iterumque rimetur : mediocris enim diligentia sufficit ex communi DD. & ordinariè propria conscientia testimonium perhibebit, num debita diligentia huic examini sit impensa : nam, si quis sincerè volens omnia peccata confiteri, invocato divino auxilio, examen suscepit, eoque finito non audiat latratum conscientiæ, non

nimis laxæ, nec scrupulosæ, is tutò sibi persuadebit, se suæ obligationi satisfecisse: Conscientia enim non sileret, si quid culpabilis negligentiæ subesset. Atque hæc dicta sint de eo, qui se graviter peccâsse, prudenter suspicatur: si enim de hoc prudens dubium non habeat, aut, si illud grave occurrat quidem, putet tamen prudenter, aliud non latere, minor diligentia requiritur; imò scrupulosis nimia inquisitio vitanda, omnibus maxima cura impendenda, ut dolorem, & propositum serium, & efficax habeant. Quodsi quis à modico tempore confessus v. g. à duabus, vel tribus hebdomadis, exprimat numerum parvum incertum peccatorum palbabilium v. g. dicendo: Hâc septimanâ circiter quater fornicatus sum, vel: me polliui: meritò redditur suspectus de defectu examinis; quia peccata, præsertim externa, & non ab adeò longo tempore commissa, facilè in numero certo invenientur in examine diligenti: unde talis adigendus est, ut se meliùs examinet.

312\. *Si non inveniatur numerus certus.* 2. Qui, adhibitâ morali diligentiâ, non potest deprehendere certum numerum, tenetur exprimere magìs sibi verisimilem, adjectis particulis: *plus minùs*, vel *circiter*.

Quantum importet particula circiter? Quousque autem illæ se extendant, prudentis arbitrio æstimandum est: neque enim numerus modicus, qui illis implicitè comprehenditur, æstimandus est absolutè, sed respectivè ad numerum, cui adjicitur: quò enim hic major est, eò major intelligitur excessus, qui per eas voces comprehendi potest, v. g. excessus modicus respectu quinque, vel sex est unum; respectu verò decem sunt duo, & respectu viginti sunt tria, respectu triginta sunt qua-

quatuor, & sic de cæteris semper procedendo cum proportione Geometrica, ità, ut numerus, qui statuitur comprehendi illis vocibus, sit talis respectu majoris, qui censeatur ab eo absorberi. Unde, si quis, debito examine peracto, sincerè sic putans dicat in Confessione; ter circiter, sique postea resciat, se quater peccâsse, non tenetur vicem quartam denuò confiteri; quia, licèt unum sit pars tertia trium, est tamen aliquid in se parvum, & vox circiter aliquid consignificat. Si dixerit bonâ fide: feci centies circiter, & postea comperiat, se sexies, vel etiam octies fecisse ultra, pariter satisfecit. Si autem dixerit: feci circiter centies, & postea resciat, factum esse centies trigesies, excessus esset nimius, quàm illâ voce comprehendi potest: qui enim alicui centum circiter imperiales promisisset, non intelligeretur promisisse centum & triginta, & licèt triginta non sint tertia pars centenarii, attamen neque in se, neque respectu ad centum sunt aliquid parvi. Hinc debet postea excessus non comprehensus in Confessione exponi. Similiter, si dicas, te furatum esse rem gravem circiter decies, & postea deprehendas, factum esse decies octies, vel vigesies, debebis sex, vel octo furta denuò confiteri.

3. Si nullus numerus, neque verisimilis quidem haberi possit, opus erit, & sufficiet pœnitentem aperire statum suum, & consuetudinem peccandi, moramque temporis, quo in consuetndine peccandi mortaliter perseveravit, & frequentiam lapsuum in die, septimana, mense, dicendo nempe, quoties in iis tale, vel tale peccatum commiserit: ex his enim prudens Confessarius statum, & mali- 313. ***Quid, si inveniri numerus verisimilis non possit?***

tiam

tiam peccatoris meliùs, & firmiùs cognoſcet, quàm ex numero à pœnitente determinato, qui ſæpe imprudenter magìs ab eo extorquetur, quàm benè percipitur. Sic meretrix communis ſatisfacit dicendo : tot annos in ſtatu meretricio perſeveravi, & quoties occaſio fuit, quibusvis ſeu conjugatis, ſeu liberis, ſeu voto obſtrictis copiam mei corporis feci. Exprimere tamen debet ſpecies peccatorum, ſaltem principales, quantùm poteſt, imò & numerum aliquem, ſi poſſet, ſaltem in menſe, vel ſeptimana commiſſum. Ità Lugo. Similiter, qui domi habuit concubinam, ſufficienter confitetur numerum dicendo : tanto tempore habui concubinam, & eâ velut uxore uſus ſum. Item, qui ſolitus eſt obvias quaſcunque concupiſcere mulieres, ſatisfacit dicendo ſuam conſuetudinem, & ſpecies ſaltem principales : an conjugatas, an cognatas, an ſacras. Ità iterum Lugo, juxta quem etiam ſatisfacient aperiendo conſuetudinem, qui conſueverant paſſim colloqui de rebus turpibus ſine delectu circa materiam, vel ſocios : debent tamen tales dicere, quantùm poſſunt, majorem, vel minorem frequentiam peccandi intra tale tempus, v. g. quoties de die &c. quia poteſt eſſe magna inæqualitas in hac frequentia. Addit Lugo. Si tales poſtea magìs diſtinctè recordentur numerum, & ſpecies peccatorum, non teneri illas diſtinctiùs confiteri ; quia in illa confuſa narratione ſufficienter intellecta fuerunt à Confeſſario ; cùm potuerit de illis formare morale judicium, atque ità ab omnibus debitè abſolverit. Excipe, niſi tanta multitudo peccatorum poſtea in mentem veniret, ut notabiliter excederet numerum antè confusè dictum.

Quodſi

Quodsi quis numerum bonâ fide nimis magnum dixisset, non tenetur ideo denuò confiteri; quia numerus verus in majore inclusus, & remissus fuit.

QUÆSTIO V.

An circumstantiæ, intra eandem speciem notabiliter aggravantes, sint sub obligatione in Confessione explicandæ?

Quæ sint circumstantiæ speciem peccati mutantes, quæ intra eandem speciem malitiam ejus tantùm aggravantes, exposui 1. P. N. 36.

Quæritur hic, an, qui v. g. actum peccaminosum diu continuavit, aut eum vehementer intenso affectu posuit, aut furatus est rem gravem, teneatur in Confessione explicare durationem, intensionem actûs sui mali, & determinare materiam furti. Affirmant Cajet. Suar. Sanch. aliique multi apud La Croix hîc N. 977. Negat *S. Thom. in 4. Dist. 16. q. 3. a. 2. & Dist. 22. q. 1. a. 4. S. Bonav.* S. *Anton. Scotus*, aliique multi apud La Croix N. 970. Cum quibus.

314. *Probabilior sententia negativa.*

Resp. Per se loquendo, & ante interrogationem Confessarii, circumstantiæ, intra eandem speciem tantùm aggravantes, non sunt sub obligatione in Confessione explicandæ.

Probatur 1mò *ex Trid. Sess. 14. Cap. 5. & Can 7.* Nam ibi explicans materiam necessariam Confessionis, ostendensque obligationem confitendi non esse observatu impossibilem, *constat*, inquit, *nihil aliud exigi, quàm, ut ea peccata quis confiteatur, quorum meminit;*

nit ; & docens ; quid in iis explicari debeat, ait, *numerum*, *speciem*, *& circumstantias, speciem mutantes, explicandas esse*, nullamque unquam fecit mentionem de circumstantiis intra eandem speciem solùm aggravantibus necessariò confitendis ; hanc autem debuisset facere, si confitendæ essent : promisit etenim in principio sessionis, se exactam doctrinam traditurum de Sacramento Pœnitentiæ, foret autem manca, si quid necessariò confitendum omisisset. Unde valet hic, utpote in doctrina dogmatica, illud vulgatissimum : *Inclusio unius est exclusio alterius.*

Probatur 2dò. Si circumstantiæ illæ necessariò essent confitendæ, Confessio esset difficillima, & moraliter impossibilis, atqui hoc repugnat Trid. & legis essentiæ, ergo. *Major* probatur : nam nulla regula probabilis universalis assignari potest, ex qua cognoscatur, quæ sit circumstantia notabiliter aggravans, ità ut sit obligatio eam confitendi.

Si enim dicas 1mò. Tunc illam esse, quando ad substantiam actûs peccaminosi tantum accedit, ut se solo sufficeret ad peccatum mortale : uti, si quis furetur duos florenos, ubi unus sufficeret ad mortale. *Contra est :* Ergo, qui peccatum mortale continuat per tria instantia, contrahit circumstantiam notabiliter aggravantem, & necessariò confitendam; quia unum instans sufficit ad mortale. Idem erit de eo, qui, ubi unus gradus intensionis sufficit ad mortale, actum ponit intensum, ùt tria.

Si dicas 2. Tunc esse talem circumstantiam, quando exceditur ordinarius modus operandi. *Contra est :* Fures non servant ordinariè eundem furandi modum : nam, quandoque unum, quan-

uandoque duos, quandoque furantur decem orenos simul. An non est notabilis excessus n furto decem florenorum?

Si dicas 3. Id judicio prudentum relinquendum esse. Peto, quis ille prudens, à quo hoc discam? quomodo rudes instruendi, ut integrè sua peccata confiteantur? an obligandi, ut semper addant durationem, & intensionem sui actûs, cùm scire non possint, quando sit circumstantia notabiliter aggravans? An, si pœnitentes non exponant, ùt fit communiter, actûs sui durationem, & intensionem, tenebuntur Confessarii interrogare? An in detractione exponendum, cui personæ, in qua materia facta sit &c. Hæc certè sunt contra praxin communem, forentque onus gravissimum.

Probatur 3. Si circumstantiæ aggravantes essent necessariò explicandæ, etiam explicandæ essent notabiliter minuentes: uti, si quis ex magno metu, & motu vehementis iræ ex justo dolore provenientis, si alterius inductus dolo, aut vehementi tentatione peccâsset. Consequens est contra sensum communem; Antecedens autem probatur: quia, sicut materiæ necessariæ Confessionis nihil detrahendum, ità nihil addendum, quod materia non est; hoc autem fieret: nam confitendo peccatum simpliciter, significaret, illud commissum esse modo ordinario, & sine imminutione malitiæ.

Dixi in conclusione 1mò. *Per se loquendo*: nam per accidens potest esse obligatio, ùt v. g. in furto intelligatur, an sit, spectatis circumstantiis, obligatio restituendi; an non ratione temporis peccata sint numero multiplicata,

an

an modus non induxerit mutationem specificam? an peccatum non sit ratione circumstantiæ reservatum. Hinc *Catechismus Romanus* consulit, non præcipit, ut circumstantiæ notabiliter aggravantes, quando commodè possunt, explicentur, idque innuunt plures Canones.

Dixi 2. *Ante interrogationem Confessarii:* Si enim hic interroget, ordinariè pœnitens tenebitur respondere; quia gravis ratio esse potest interrogandi, ut sic suam, & pœnitentis obligationem, & statum necessariò exponendum intelligat.

Dixi 3. *Sub obligatione:* quia melius est eas, quas sine magna difficultate quis explicare potest, exponere, quales sunt objectivæ circumstantiæ: ùt, si quis furatus sit valde magnam summam v. g. 1000. aureos: quamvis enim is, per se loquendo, spectatâque obligatione præcisè confitendi hoc peccatum, satisfaciat dicendo: furatus sum rem gravem; ex alio tamen capite expedit, imò, quandoque necessarium est id exponere, tum propter jam dicta, tum ob lucrum cessans, damnum emergens damnificato &c.

315. *Malitia essentialis, non integralis necessariò explicanda.* *Dices 1mò.* Si non explicentur circumstantiæ, notabiliter aggravantes, non innotescit integrè gravitas peccati Confessario, ut rectè de eo judicare, & proportionatam possit imponere satisfactionem: ergo. R. Etsi non innotescat gravitas integralis: innotescit tamen substantialis, & essentialis, quod sufficit ad rectum judicium secundùm essentiam, nec Christus plus requisivit, ne Confessio esset pœnitentibus nimis difficilis, & odiosa Confessariis. Certè si plus requisivisset, Trid. id non

non tacuisset : aliàs enim & exactam doctrinam non tradidisset, & Hæreticis occasionem dedisset cavillandi, quòd nempe volens ostendere, Sacramentum Pœnitentiæ non esse conscientiarum carnificinam, aliqua necessariò confitenda attulisset, alia tacuisset explicatu difficiliora.

Si instes. Ergo sufficeret, si pœnitens diceret : Peccavi, vel semel peccavi mortaliter : sic enim habetur essentiale judicium. Resp. Neg. seq. Si enim sufficeret dicere : Peccavi, omnibus æqualis pœnitentia imponenda esset. Si sufficeret dicere : Peccavi mortaliter, non posset alia satisfactio imponi pro gravissimis mortalibus, quàm pro uno minùs gravi, quod est contra æquitatem hujus judicii, ubi aliter fieri potest. Deinde pœnitentiæ medicinali locus non esset, si species peccatorum non exponeretur.

Dices 2. Qui unâ v. g. explosione tormenti bellici intenderet occidere decem, aut uno actu tot scandalizare, juxta omnes teneretur saltem dicere : Intendi uno actu plures occidere, vel scandalizare, & tamen est unum numero peccatum notabiliter gravius. Resp. Sunt plura numero peccata. Qui dicunt, esse unum tantùm numero peccatum, tenent, esse explicandam pluralitatem personarum ; quia, dicendo tantùm : volui homicidium committere, non confiteretur suum peccatum ; quia intelligeretur de unius hominis nece. Sicut, qui furatus centum diceret : furatus sum decem : hic enim & suum peccatum non confiteretur, & subtraheret de eo, quod, dicendo : Furatus sum rem gravem, in confuso contineretur.

316. ***Quid, si quis uno actu plures occiderit?***

cesse, illos confiteri; sed confitenda esset negligentia, si admissa sit, in tollenda illa consuetudine.

Dixi: *Si contingeret*: nam plerumque adest advertentia, saltem tenuis, & quasi imperceptibilis, quæ ad peccandum sufficit, nisi tamen motus subitus iræ præverteret omnem deliberationem, seu advertentiam ad inhonestatem operationis. Cæterùm se exponere periculo proximo peccandi, & statim peccare, est unicum numero peccatum, quod satis explicatur dicendo actionem positam, vel ejus omissionem.

QUÆSTIO VII.

An pœnitens licitè possit, & teneatur aliquando detegere in Confessione complicem sui peccati, seu personam, cum qua peccavit?

320. *Non potest, si aliter suum peccatum possit integrè confiteri.* Resp. 1. Certum est, non teneri, imò nec licere. 1. Si pœnitens sine revelatione complicis possit peccatum suum sufficienter explicare. 2. Si sine gravi incommodo possit alium Confessarium adire, cui complex notus non sit. 3. Si peccatum suum ritè sit confessus, & nunc faciat Confessionem generalem. 4. Si possit commodè per aliquod breve tempus differre Confessionem, donec habiturus sit alium Confessarium, qui non novit complicem. *Ratio* horum est; quia non adest justa causa diffamandi apud Confessarium personam complicem. Itaque quæritur, an teneatur pœnitens manifestare complicem, seu socium, vel sociam criminis, dum aliter non potest explicare peccati sui speciem, vel circumstantiam neces-

necessariò explicandam : uti, si peccâsset carnaliter cum matre sua, Confessario notâ, nec differre Confessionem, nec alium adire Confessarium, qui complicem non noverit, posset sine gravi incommodo.

Resp. 2. Tenetur manifestare complicem, si in casu debeat, vel velit confiteri. Ità S. *Th. in 4. dist.* 16. *q.* 3. *a.* 2. *S. Bonav.* S. *Bernardus*, S. *Antoninus Alensis*, *Suar. Vasq. Lugo*, & alii communiùs contra *Valent. Navar. Dianam*, & alios. 321. *Secùs potest.*

Probatur Conclusio 1. Nam ex una parte, ùt supra audivimus, Christus voluit in Confessione explicari numerum peccatorum mortalium, speciem, & circumstantias, speciem mutantes, seu aliam novam introducentes, adeoque explicatio horum est onus Confessioni intrinsecum; id autem non potest totum præstari, nisi detegatur complex, si ex ejus qualitate nova introducatur species: ùt, si quis incestum commisit cum matre sua; ex altera parte socius, vel socia peccati, sciens obligationem peccatum illud confitendi, subjecit se judicio Sacramentali, & in tantum renuntiare debuit famæ suæ, faciendo se circumstantiam peccati necessariò explicandam. 2. Pœnitens, ut integrè confiteatur peccatum, tenetur apud Confessarium, cui notus est, dum aliter non potest, se ipsum infamare, ergo complex peccati non potest rationabiliter ægrè ferrè, quòd infametur apud eundem: nam ex natura rei plus requiritur, ut aliquis teneatur se ipsum infamare, quàm celare alterius crimen: licitè enim aliquando possum alterius crimen revelare ad avertendum damnum proximi temporale injustum, nec tamen ideo teneor detegere cri-

crimen meum. 3. Ideo Christus voluit explicari integrè peccata quoad numerum, & speciem, ut Sacerdos possit prudenter judicare, punire, curare: ad hoc autem requiritur non minùs notitia complicis cum infamia etiam ejus, quàm cum infamia propria. Denique ex opposita sententia sequitur, conjuges, Confessario notas, debere frequenter novos quærere Confessarios, ne revelent conjugem peccati complicem; quod foret onus nimis grave.

Nec obstat 1. Quòd præceptum non infamandi proximum sit naturale, & præceptum confitendi sit positivum: nam præceptum hoc naturale cessat obligare, ubi adest causa rationabilis, & alter debet cedere famæ suæ: secùs, ubi hæc desunt; utì in casu, quo quis aliter sine incommodo peccatum suum potest confiteri.

Nec obstat 2. Quòd non teneatur quis detegere complicem, si Confessarius esset peccatum revelaturus: nam nec tunc tu tenereris peccatum tuum confiteri; & ratio disparitatis est; quia infamia illa non esset onus intrinsecum Confessionis; non enim sequeretur ex integritate Confessionis, sed ex abusu illius. Secùs est de infamia, quæ apud Confessarium sequitur ex revelatione complicis.

Nec obstat 3. Quòd ad integrè confitendum veniale non liceat infamare alterum v. g. dicendo, negligenter restiti sorori meæ, me sollicitanti ad incestum: nam non est obligatio confitendi veniale; jus verò manifestandi complicem oritur ex obligatione mortale integrè confitendi: ex eo enim, quòd peccans graviter se subjiciat judicio sacramentali, etiam se subjicit complex.

Nec obstat 4. Quòd videatur non licere per-

personam cum gravi ejus infamia revelare, quæ fuit objectum peccati: ùt, si quis sorori suæ invitæ stuprum, quod suppono specie differre, intulisset, aut eam gravidam occidisset, quam Confessarius sciret, non fuisse nuptam: nam, ut taceam, id negari à multis cum Lugone, eò quòd & hìc prævaleat præceptum integræ Confessionis, tenearque proprium defectum etiam inculpabilem detegere, si aliter peccatum explicare non possem: ùt, si occultè illegitimus sacros Ordines suscepissem; ut, inquam, hoc taceam, disparitas est ex *Suar. Esp. Rhodes*, *D.* 2. *Q.* 4. *S.* 3. *A.* 3. Quando enim aliquis non est complex peccati, non est subjectus judicio, in quo cognoscitur de alterius peccato; adeoque alter non habet jus eum declarandi in eodem: cessant enim omnes rationes, propter quas declarari posset; institutio enim hujus Sacramenti tantùm fert, ut peccator, neglectâ famâ suâ, confiteatur peccatum suum totum, & neglectâ famâ illius, qui se voluntariè fecit circumstantiam illius peccati.

Ex dictis deduco. 1. Peccat, qui Confessario detegit in Confessione aliorum peccata, quos Confessarius aut novit, aut facilè novisse potest, quando illi complices non sunt, vel sine eorum revelatione suum peccatum explicare potest; quia sine causa eos infamat: excusantur tamen aliquando matres, quæ filiorum, & uxores, quæ maritorum peccata indirectè tangunt apud Confessarios, qui filios, & maritos nôrunt: id enim quandoque faciunt consilii, & doloris leniendi causâ, quo medio eas privare nimis durum foret, utì & eas cogere, ut adeant alios Confessarios: unde viden- 322. *Corollaria.*

videntur filii, agendo contra matres, & viri contra uxores peccati rei, excidisse jure suo ad illam famam retinendam. Consulendum tamen, ut, quoad fieri potest, de alienis peccatis sileant, & se solas accusent.

2. Non potest Confessarius obligare pœnitentem, ut complicem manifestet, quando ejus manifestario non est necessaria ad integrè intelligendum ejus peccatum. *Excipe*, nisi à complice timeretur grave malum, quod non possit impedire pœnitens: tunc enim hic teneretur complicem revelare, & dare licentiam Confessario utendi notitiâ, in, vel extra Confessionem datâ, in ordine ad id malum impediendum; si alius possit malum illud impedire, tenetur pœnitens illi complicem manifestare: quod an facturus sit, si Confessarius meritò dubitaret, posset ei differre absolutionem, donec fecerit. Non expedit tamen, ut Confessarius se offerat ad complicem tunc manifestandum alteri, ne Confessio fiat odiosa, saltem apud alios.

3. Potest Confessarius interrogare pœnitentem, an sit in occasione proxima peccandi, licèt ità venturus esset in notitiam complicis: per accidens enim est, quòd etiam hujus peccatum manifestetur.

QUÆSTIO VIII.

Qualis debeat esse Confessio?

323. Resp. 1. Debet ordinariè esse secreta; va-
1. *Secreta.* leret tamen publica.

Prima pars constat ex praxi Ecclesiæ, contra quam, agere sine rationabili causa, juxta *Suar-*

Suar. non vacaret omni culpâ. Non foret tamen per se mortale; quia nulla ratio evincit, quòd praxis illa obliget sub gravi. *Ratio 2dæ partis est;* , quia etiam publica potest habere omnes conditiones ad valorem Sacramenti requisitas. Quòd autem ad hanc nemo teneatur, constat ex *Trid. Sess.* 14. *Cap.* 5. & ex communi Doctorum.

Resp. 2. Ordinariè debet fieri voce humanâ. Sic habet *Florent. in Decreto Eugen. IV.* & praxis Ecclesiæ. In necessitate tamen, ubi est impotentia physica, vel moralis, potest fieri aliis signis, v. g. per actus, gestus, scripturam, interpretem: his enim potest fieri legitima accusatio, nec Christus plus requisivit, quàm ut manifestentur peccata Sacerdoti velut Judici. V. g. Si infirmus ob guttur malè affectum loqui non posset, nisi cum magna difficultate, vel puella præ nimia verecundia non posset peccata ore proferre, ea in scripto legenda posset præbere Sacerdoti, & dein dicere, de his omnibus me accuso: sic enim foret oris Confessio. Imò nec hoc, etsi consultissimum, necesse foret; quia, dum tradet scriptum, & exspectat pœnitentiam, & absolutionem, sufficienter se accusat. Qui sine causa sic legenda peccata traderet, peccaret saltem venialiter, agendo contra consuetudinem Ecclesiæ; non tamen mortaliter, si adderet post peccata lecta, de his me accuso; quia esset oris Confessio, & confusio ferè eadem subiretur. Putant Scotus, & alii eum, qui non potest ore confiteri, non teneri scripto, eò quòd omnis Scriptura ex natura sua sit publica, sed, per se loquendo, contrarium dicendum; quia, qui tenetur ad finem, tenetur

324. 2. *Vocalis ordinariè.*

ad media de se licita, & facilia, poteſtque averti periculum manifeſtationis, poſtea chartam lacerando, vel comburendo; quo caſu Scriptura non eſt magis publica, quàm nutus, quos etiam alius ex insidiis latens obſervare poſſet.

325. *3. Sincera, & fidelis.* Reſp. 3. Debet eſſe ſincera, fidelis, & vera, ità, ut pœnitens confiteatur peccata, ſicut conſcientia, ritè diſcuſſa, nunc dictat eſſe commiſſa, dicatque dubia, ùt dubia, certa, ùt certa: unde ſi dubitet, an peccâtit, vel an plenè conſenſerit, hoc addendum eſt. *Ratio eſt;* quia pœnitens eſt in judicio Sacramentali accuſator ſuî, & teſtis coram Judice: accuſator autem debet fideliter deferre delicta, prout novit, vel judicat eſſe commiſſa, reumque eſſe, quem accuſat, non augendo, nec minuendo, nec falſa referendo, aut vera tacendo: aliàs decepit Judicem, & pervertit judicium.

326. *Mendacium circa materiã Confeſſionis.* Hinc 1mò. Mendacium in Confeſſione, afficiens ipſum Sacramentum, eſt ſacrilegium, & grave quidem, ſi ſit circa materiam neceſſariam: ùt, ſi pœnitens neget, vel omittat mortale, quod fecit, vel augeat numerum mortalium, niſi ſimplicitas excuſet, utì excuſat quandoque rudes, qui putant meliùs eſſe plus dicere, quàm minùs, ideoque numerum augent. *Ratio eſt;* quia pervertitur judicium circa ſubſtantialia. Et idem eſt, ſi dicat, certum mortale, ùt dubium, vel dubium ùt certum. Secùs tamen tenent Suar. Vaſq. Lugo, & alii contra alios, ſi quis negaret veniale, quod fecit, aut affirmaret, quod non fecit, vel mentiretur circa mortalia, aliàs ritè confeſſa; quia non tolleret rationem veri judicii

dicii quoad substantialia, & deciperet Confessarium tantùm circa materiam liberam: unde peccaret solùm venialiter, modò tamen adsint reliqua ad Sacramenti valorem requisita, & non sit specialis obligatio alia fatendi veritatem. Universim attendendum, an inducat Confessarium in errorem circa materiam necessariam, exprimatque, vel neget malitiam gravem ex parte objecti.

Hinc 2. juxta Suar. qui confitetur mortale, 327.
quod antè ritè confessus est, non tenetur ad- *Confessio*
dere, an confessus sit, modò id non neget; *peccati*
quia confitetur malitiam ex parte objecti, vel *antè di-*
se subjicit Confessario, circumstantiaque factæ *rectè, re-*
Confessionis tenet se ex parte pœnitentis; secùs *missi.*
est de ratione malitiæ mortalis, & venialis. Idem dicit Lugo de confitente mortale, in ultima Confessione inculpabiliter omissum. Idem dicunt Suar. Sanch. de eo, qui dubitat, an mortale sit confessus, vel an ante, aut post ultimam Confessionem id commiserit; quia sic non immutatur malitia peccati, pœnitensque se simpliciter subjicit Confessario tanquam reum; si tamen à Confessario interrogaretur, deberet fateri, ùt res est.

3. Facturus generalem Confessionem, etsi, 328.
nisi speciale quid obstet, non teneatur sepa- *In Con-*
rare confessa à non confessis, id tamen con- *fessione*
sultiùs est; quia de non confessis diligentiùs *generali*
examinandus est, & quandoque media melio- *an con-*
ra contra relapsum præscribere convenit. Qui *fessa à*
decipit tantum circa tempus, individuum, vel *non con-*
modum, quæ peccatum non mutent quoad *fessis se-*
essentialia, peccat tantùm venialiter, modò *paranda.*
adsint reliqua ad valorem Sacramenti: sicut v. g. si quis dicat se commisisse peccatum ante men-

an modus non induxerit mutationem specificam? an peccatum non sit ratione circumstantiæ reservatum. Hinc *Catechismus Romanus* consulit, non præcipit, ut circumstantiæ notabiliter aggravantes, quando commodè possunt, explicentur, idque innuunt plures Canones.

Dixi 2. *Ante interrogationem Confessarii:* Si enim hic interroget, ordinariè pœnitens tenebitur respondere; quia gravis ratio esse potest interrogandi, ut sic suam, & pœnitentis obligationem, & statum necessariò exponendum intelligat.

Dixi 3. *Sub obligatione:* quia melius est eas, quas sine magna difficultate quis explicare potest, exponere, quales sunt objectivæ circumstantiæ: ùt, si quis furatus sit valde magnam summam v. g. 1000. aureos: quamvis enim is, per se loquendo, spectatâque obligatione præcisè confitendi hoc peccatum, satisfaciat dicendo: furatus sum rem gravem; ex alio tamen capite expedit, imò, quandoque necessarium est id exponere, tum propter jam dicta, tum ob lucrum cessans, damnum emergens damnificato &c.

315. *Malitia essentialis, non integralis necessariò explicanda.* *Dices 1mò.* Si non explicentur circumstantiæ, notabiliter aggravantes, non innotescit integrè gravitas peccati Confessario, ut rectè de eo judicare, & proportionatam possit imponere satisfactionem: ergo. R. Etsi non innotescat gravitas integralis: innotescit tamen substantialis, & essentialis, quod sufficit ad rectum judicium secundùm essentiam, nec Christus plus requisivit, ne Confessio esset pœnitentibus nimis difficilis, & odiosa Confessariis. Certè si plus requisivisset, Trid. id non

non tacuisset : aliàs enim & exactam doctrinam non tradidisset , & Hæreticis occasionem dedisset cavillandi , quòd nempe volens ostendere , Sacramentum Pœnitentiæ non esse conscientiarum carnificinam , aliqua necessariò confitenda attulisset , alia tacuisset explicatu difficiliora.

Si instes. Ergo sufficeret , si pœnitens diceret : Peccavi, vel semel peccavi mortaliter : sic enim habetur essentiale judicium. Resp. Neg. seq. Si enim sufficeret dicere : Peccavi, omnibus æqualis pœnitentia imponenda esset. Si sufficeret dicere : Peccavi mortaliter , non posset alia satisfactio imponi pro gravissimis mortalibus, quàm pro uno minùs gravi, quod est contra æquitatem hujus judicii , ubi aliter fieri potest. Deinde pœnitentiæ medicinali locus non esset, si species peccatorum non exponeretur.

316. *Quid, si quis uno actu plures occiderit?*

Dices 2. Qui unâ v. g. explosione tormenti bellici intenderet occidere decem , aut uno actu tot scandalizare , juxta omnes teneretur saltem dicere : Intendi uno actu plures occidere, vel scandalizare , & tamen est unum numero peccatum notabiliter gravius. Resp. Sunt plura numero peccata. Qui dicunt , esse unum tantùm numero peccatum , tenent , esse explicandam pluralitatem personarum ; quia, dicendo tantùm : volui homicidium committere , non confiteretur suum peccatum ; quia intelligeretur de unius hominis nece. Sicut , qui furatus centum diceret : furatus sum decem : hic enim & suum peccatum non confiteretur , & subtraheret de eo, quod , dicendo : Furatus sum rem gravem , in confuso contineretur.

QUÆSTIO VI.

An actus externus, effectus peccati, & consuetudo in Confessione sub obligatione explicari debeant?

317. *Est obligatio confitendi actum externum.* Resp. 1. Est obligatio confitendi simul actum externum, qui internum complet in ratione peccati externi. Est communis, & certa; quia actus externus facit cum interno unum simpliciter peccatum in genere moris completum, quod totum voluit Christus explicari, ùt constat ex communi consensu, & praxi Ecclesiæ Rationes congruentiæ dedi 1. *P. N.* 51. Dixi: *Qui complet internum in ratione peccati externi.* Quis autem compleat in ea ratione, dixi 1. *P. N.* 336.

318, *Non tamen effectum peccati, per se loquendo.* Resp. 2. Effectus ex peccato secutus, non subſtans actuali libertati, per se loquendo, non est sub obligatione confitendus. *Ratio est*; quia nec peccatum est, nec complet peccatum internum in ratione peccati externi. Dixi: *Per se loquendo*; quia per accidens est quandoque confitendus, v. g. ratione reservationis, censuræ, restitutionis faciendæ &c. Hæc explicavi 1. *P. de Peccatis à N.* 337.

319. *Nec consuetudinē, quæ per accidens tamen aliquando est aperiēda.* Resp. 3. Consuetudo, per se loquendo, non est necessariò confitenda. *Ratio est*, quia vel est sermo de habitu ex actibus frequentatis generato; & hic vitium quidem est, sed non peccatum; vel de actibus malis frequentatis, & hi, ùt suppono, jam sunt clavibus subjecti, & directè remissi; peccatum autem præsens non est ideo gravius ex parte objecti, nec specie diversum.

Dixi:

Dixi *: Per se loquendo* : nam 1. Si Confessarius de ea interroget , est aperienda. Constat ex damnata 58. ab Innocentio XI. *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.* Et *Ratio est* : quia Confessarius , ùt Judex, habet jus cognoscendi , an pœnitens serium habeat propositum emendandi, an adhuc sit in occasione proxima relabendi ; ergo & habet jus interrogandi , cui in pœnitente respondet obligatio fatendi , etsi hic doctus esset , & consilio Confessarii non egeret. Deinde Confessarius est Medicus simul , cui constare debet , quomodo infirmo sit medendum , adeoque debet cognoscere statum ejus , cui salutaria media tenetur præscribere. 2. Quando consuetudo est occasio , vel causa actuum objectivè malorum , v. g. imprecationum , blasphemiarum, perjuriorum , etsi sine plena advertentia fierent , tenetur se accusare de negligentia admissa eam emendandi , sicque indirecte aperire consuetudinem. Quodsi consuetudo esset adhuc voluntaria , pergeretque adhuc esse occasio proxima relapsuum , id aperiendum esset ; quia sic non peccaretur tantùm advertenter , malè operando ex consuetudine , sed etiam manendo in periculo proximo novorum peccatorum , adeoque peccaretur dupliciter : si nempe quis advertenter blasphemaret , advertendo , quòd sic augeat consuetudinem , vel eam continuet ; quia esset causa voluntaria blasphemiarum secuturarum objectivè malarum : sed quia id rarò advertitur , non semper est obligatio confitendi consuetudinem. Si contingeret , ejusmodi actus ex consuetudine mala omnino inadvertenter fieri, non esset ne-

 cesse,

cesse, illos confiteri; sed confitenda esset negligentia, si admissa sit, in tollenda illa consuetudine.

Dixi: *Si contingeret*: nam plerumque adest advertentia, saltem tenuis, & quasi imperceptibilis, quæ ad peccandum sufficit, nisi tamen motus subitus iræ præverteret omnem deliberationem, seu advertentiam ad inhonestatem operationis. Cæterùm se exponere periculo proximo peccandi, & statim peccare, est unicum numero peccatum, quod satis explicatur dicendo actionem positam, vel ejus omissionem.

QUÆSTIO VII.

An pœnitens licitè possit, & teneatur aliquando detegere in Confessione complicem sui peccati, seu personam, cum qua peccavit?

320. *Non potest, si aliter suum peccatum possit integrè confiteri.* Resp. 1. Certum est, non teneri, imò nec licere. 1. Si pœnitens sine revelatione complicis possit peccatum suum sufficienter explicare. 2. Si sine gravi incommodo possit alium Confessarium adire, cui complex notus non sit. 3. Si peccatum suum ritè sit confessus, & nunc faciat Confessionem generalem. 4. Si possit commodè per aliquod breve tempus differre Confessionem, donec habiturus sit alium Confessarium, qui non novit complicem. *Ratio* horum est; quia non adest justa causa diffamandi apud Confessarium personam complicem. Itaque quæritur, an teneatur pœnitens manifestare complicem, seu socium, vel sociam criminis, dum aliter non potest explicare peccati sui speciem, vel circumstantiam neces-

necessariò explicandam : uti, si peccâsset carnaliter cum matre sua, Confessario notâ, nec differre Confessionem, nec alium adire Confessarium, qui complicem non noverit, posset sine gravi incommodo.

Resp. 2. Tenetur manifestare complicem, 321.
si in casu debeat, vel velit confiteri. Ità S. *Th.* *Secùs*
in 4. *dist.* 16. *q.* 3. *a.* 2. *S. Bonav.* S. *Bernar-* *potest.*
dus, S. *Antoninus Alensis*, *Suar. Vasq. Lugo*, & alii communiùs contra *Valent. Navar. Dianam*, & alios.

Probatur Conclusio 1. Nam ex una parte, ùt supra audivimus, Christus voluit in Confessione explicari numerum peccatorum mortalium, speciem, & circumstantias, speciem mutantes, seu aliam novam introducentes, adeoque explicatio horum est onus Confessioni intrinsecum; id autem non potest totum præstari, nisi detegatur complex, si ex ejus qualitate nova introducatur species: ùt, si quis incestum commisit cum matre sua; ex altera parte socius, vel socia peccati, sciens obligationem peccatum illud confitendi, subjecit se judicio Sacramentali, & in tantum renuntiare debuit famæ suæ, faciendo se circumstantiam peccati necessariò explicandam. 2. Pœnitens, ut integrè confiteatur peccatum, tenetur apud Confessarium, cui notus est, dum aliter non potest, se ipsum infamare, ergo complex peccati non potest rationabiliter ægrè ferre, quòd infametur apud eundem: nam ex natura rei plus requiritur, ut aliquis teneatur se ipsum infamare, quàm celare alterius crimen: licitè enim aliquando possum alterius crimen revelare ad avertendum damnum proximi temporale injustum, nec tamen ideo teneor detegere

 cri-

crimen meum. 3. Ideo Christus voluit explicari integrè peccata quoad numerum, & speciem, ut Sacerdos possit prudenter judicare, punire, curare: ad hoc autem requiritur non minùs notitia complicis cum infamia etiam ejus, quàm cum infamia propria. Denique ex opposita sententia sequitur, conjuges, Confessario notas, debere frequenter novos quærere Confessarios, ne revelent conjugem peccati complicem; quod foret onus nimis grave.

Nec obstat 1. Quòd præceptum non infamandi proximum sit naturale, & præceptum confitendi sit positivum: nam præceptum hoc naturale cessat obligare, ubi adest causa rationabilis, & alter debet cedere famæ suæ: secùs, ubi hæc desunt; uti in casu, quo quis aliter sine incommodo peccatum suum potest confiteri.

Nec obstat 2. Quòd non teneatur quis detegere complicem, si Confessarius esset peccatum revelaturus: nam nec tunc tu tenereris peccatum tuum confiteri; & ratio disparitatis est; quia infamia illa non esset onus intrinsecum Confessionis; non enim sequeretur ex integritate Confessionis, sed ex abusu illius. Secùs est de infamia, quæ apud Confessarium sequitur ex revelatione complicis.

Nec obstat 3. Quòd ad integrè confitendum veniale non liceat infamare alterum v. g. dicendo, negligenter restiti sorori meæ, me sollicitanti ad incestum: nam non est obligatio confitendi veniale; jus verò manifestandi complicem oritur ex obligatione mortale integrè confitendi: ex eo enim, quòd peccans graviter se subjiciat judicio sacramentali, etiam se subjicit complex.

Nec obstat 4. Quòd videatur non licere per-

personam cum gravi ejus infamia revelare, quæ fuit objectum peccati: ùt, si quis sorori suæ invitæ stuprum, quod suppono specie differre, intulisset, aut eam gravidam occidisset, quam Confessarius sciret, non fuisse nuptam: nam, ut taceam, id negari à multis cum Lugone, eò quòd & hìc prævaleat præceptum integræ Confessionis, tenearque proprium defectum etiam inculpabilem detegere, si aliter peccatum explicare non possem: ùt, si occultè illegitimus sacros Ordines suscepissem; ut, inquam, hoc taceam, disparitas est ex *Suar. Esp. Rhodes*, *D.* 2. *Q.* 4. *S.* 3. *A.* 3. Quando enim aliquis non est complex peccati, non est subjectus judicio, in quo cognoscitur de alterius peccato; adeoque alter non habet jus eum declarandi in eodem: cessant enim omnes rationes, propter quas declarari posset; institutio enim hujus Sacramenti tantùm fert, ut peccator, neglectâ famâ suâ, confiteatur peccatum suum totum, & neglectâ famâ illius, qui se voluntariè fecit circumstantiam illius peccati.

Ex dictis deduco. 1. Peccat, qui Confessario detegit in Confessione aliorum peccata, quos Confessarius aut novit, aut facilè novisse potest, quando illi complices non sunt, vel sine eorum revelatione suum peccatum explicare potest; quia sine causa eos infamat: excusantur tamen aliquando matres, quæ filiorum, & uxores, quæ maritorum peccata indirectè tangunt apud Confessarios, qui filios, & maritos nôrunt: id enim quandoque faciunt consilii, & doloris leniendi causâ, quo medio eas privare nimis durum foret, utì & eas cogere, ut adeant alios Confessarios: unde 322. *Corollaria.*

 viden-

videntur filii, agendo contra matres, & viri contra uxores peccati rei, excidisse jure suo ad illam famam retinendam. Consulendum tamen, ut, quoad fieri potest, de alienis peccatis sileant, & se solas accusent.

2. Non potest Confessarius obligare pœnitentem, ut complicem manifestet, quando ejus manifestatio non est necessaria ad integrè intelligendum ejus peccatum. *Excipe*, nisi à complice timeretur grave malum, quod non possit impedire pœnitens: tunc enim hic teneretur complicem revelare, & dare licentiam Confessario utendi notitiâ, in, vel extra Confessionem datâ, in ordine ad id malum impediendum; si alius possit malum illud impedire, tenetur pœnitens illi complicem manifestare: quod an facturus sit, si Confessarius meritò dubitaret, posset ei differre absolutionem, donec fecerit. Non expedit tamen, ut Confessarius se offerat ad complicem tunc manifestandum alteri, ne Confessio fiat odiosa, saltem apud alios.

3. Potest Confessarius interrogare pœnitentem, an sit in occasione proxima peccandi, licèt ità venturus esset in notitiam complicis: per accidens enim est, quòd etiam hujus peccatum manifestetur.

QUÆSTIO VIII.

Qualis debeat esse Confessio?

523. Resp. 1. Debet ordinariè esse secreta; valeret tamen publica.

1. *Secreta.* *Prima pars* constat ex praxi Ecclesiæ, contra quam, agere sine rationabili causa, juxta *Suar-*

Suar. non vacaret omni culpâ. Non foret tamen per se mortale; quia nulla ratio evincit, quòd praxis illa obliget sub gravi. *Ratio 2dæ partis est;* , quia etiam publica potest habere omnes conditiones ad valorem Sacramenti requisitas. Quòd autem ad hanc nemo teneatur, constat ex *Trid. Sess.* 14. *Cap.* 5. & ex communi Doctorum.

Resp. 2. Ordinariè debet fieri voce humanâ. Sic habet *Florent. in Decreto Eugen. IV.* & praxis Ecclesiæ. In necessitate tamen, ubi est impotentia physica, vel moralis, potest fieri aliis signis, v. g. per actus, gestus, scripturam, interpretem: his enim potest fieri legitima accusatio, nec Christus plus requisivit, quàm ut manifestentur peccata Sacerdoti velut Judici. V. g. Si infirmus ob guttur malè affectum loqui non posset, nisi cum magna difficultate, vel puella præ nimia verecundia non posset peccata ore proferre, ea in scripto legenda posset præbere Sacerdoti, & dein dicere, de his omnibus me accuso: sic enim foret oris Confessio. Imò nec hoc, etsi consultissimum, necesse foret; quia, dum tradet scriptum, & exspectat pœnitentiam, & absolutionem, sufficienter se accusat. Qui sine causa sic legenda peccata traderet, peccaret saltem venialiter, agendo contra consuetudinem Ecclesiæ; non tamen mortaliter, si adderet post peccata lecta, de his me accuso; quia esset oris Confessio, & confusio ferè eadem subiretur. Putant Scotus, & alii eum, qui non potest ore confiteri, non teneri scripto, eò quòd omnis Scriptura ex natura sua sit publica, sed, per se loquendo, contrarium dicendum; quia, qui tenetur ad finem, tenetur 324. 2. *Vocalis ordinariè.*

 ad

ad media de se licita, & facilia, potestque averti periculum manifestationis, postea chartam lacerando, vel comburendo; quo casu Scriptura non est magìs publica, quàm nutus, quos etiam alius ex insidiis latens observare posset.

325. *3. Sincera, & fidelis.* Resp. 3. Debet esse sincera, fidelis, & vera, ità, ut pœnitens confiteatur peccata, sicut conscientia, ritè discussa, nunc dictat esse commissa, dicatque dubia, ùt dubia, certa, ùt certa: unde si dubitet, an peccârit, vel an plenè consenserit, hoc addendum est. *Ratio est;* quia pœnitens est in judicio Sacramentali accusator suî, & testis coram Judice: accusator autem debet fideliter deferre delicta, prout novit, vel judicat esse commissa, reumque esse, quem accusat, non augendo, nec minuendo, nec falsa referendo, aut vera tacendo: aliàs decepit Judicem, & pervertit judicium.

326. *Mendacium circa materiã Confessionis.* Hinc 1mò. Mendacium in Confessione, afficiens ipsum Sacramentum, est sacrilegium, & grave quidem, si sit circa materiam necessariam: ùt, si pœnitens neget, vel omittat mortale, quod fecit, vel augeat numerum mortalium, nisi simplicitas excuset, utì excusat quandoque rudes, qui putant meliùs esse plus dicere, quàm minùs, ideoque numerum augent. *Ratio est;* quia pervertitur judicium circa substantialia. Et idem est, si dicat, certum mortale, ùt dubium, vel dubium ùt certum. Secùs tamen tenent Suar. Vasq. Lugo, & alii contra alios, si quis negaret veniale, quod fecit, aut affirmaret, quod non fecit, vel mentiretur circa mortalia, aliàs ritè confessa; quia non tolleret rationem veri judicii

dicii quoad substantialia, & deciperet Confessarium tantùm circa materiam liberam: unde peccaret solùm venialiter, modò tamen adsint reliqua ad Sacramenti valorem requisita, & non sit specialis obligatio alia fatendi veritatem. Universim attendendum, an inducat Confessarium in errorem circa materiam necessariam, exprimatque, vel neget malitiam gravem ex parte objecti.

Hinc 2. juxta Suar. qui confitetur mortale, 327.
quod antè ritè confessus est, non tenetur addere, an confessus sit, modò id non neget; quia confitetur malitiam ex parte objecti, vel se subjicit Confessario, circumstantiaque factæ Confessionis tenet se ex parte pœnitentis; secùs est de ratione malitiæ mortalis, & venialis. Idem dicit Lugo de confitente mortale, in ultima Confessione inculpabiliter omissum. Idem dicunt Suar. Sanch. de eo, qui dubitat, an mortale sit confessus, vel an ante, aut post ultimam Confessionem id commiserit; quia sic non immutatur malitia peccati, pœnitensque se simpliciter subjicit Confessario tanquam reum; si tamen à Confessario interrogaretur, deberet fateri, ùt res est.

Confessio peccati antè dicti rectè remissi.

3. Facturus generalem Confessionem, etsi, 328.
nisi speciale quid obstet, non teneatur separare confessa à non confessis, id tamen consultiùs est; quia de non confessis diligentiùs examinandus est, & quandoque media meliora contra relapsum præscribere convenit. Qui decipit tantum circa tempus, individuum, vel modum, quæ peccatum non mutent quoad essentialia, peccat tantùm venialiter, modò adsint reliqua ad valorem Sacramenti: sicut v. g. si quis dicat se commisisse peccatum ante men-

In Confessione generali an confessa à non confessis separanda.

menſem, cùm commiſerit ante ſeptimanam, ſe occidiſſe Petrum, cùm occiderit Paulum, ſe occidiſſe gladio, cùm occiderit cultro; quia malitia peccati adhuc tota exprimitur. Vide La Croix N. 1184. Præterea Confeſſio, ut convenienter fiat, debet eſſe ſimplex, non immixta impertinentibus, non conſt ire verbis obſcuris. Item debet eſſe pura, humilis, verecunda, atque ob honeſtum finem. Item debet eſſe Sacramentalis, id eſt, facta animo à præſente Sacerdote accipiendi abſolutionem.

529. *Integritas Confeſſionis duplex.* Reſp. 4. Denique Confeſſio debet eſſe integra ſecundùm dicta. N. 310. Eſt autem integritas Confeſſionis, alia materialis, alia formalis. Materialis eſt, cùm quis confitetur omnia mortalia ſecundùm numerum, ſpeciem, & circumſtantias, ſpeciem mutantes, quæ poſt diligens examen memoriæ occurrunt: hæc enim ſunt hîc & nunc per ſe materia neceſſaria. Formalis integritas eſt, cùm quis non confitetur quidem illa omnia ex cauſa juſta; attamen confitetur, quæ hìc & nunc ſufficiunt ad valorem, & fructum Sacramenti, à quo formatum denominatur; vel, ùt alii loquuntur: Confeſſio eſt materialiter integra, quando quis confitetur omnia ſua peccata mortalia poſt Baptiſmum commiſſa, necdum per abſolutionem Sacramentalem directè remiſſa; integra autem formaliter eſt, quando confitetur omnia, quæ hîc & nunc tenetur confiteri, qualia ſunt, quæ poſt diligens examen memoriæ occurrunt, niſi ſit ſpecialis cauſa excuſans.



QUÆS-

QUÆSTIO IX.

Quænam excusent ab integritate materiali Confessionis?

Resp. Excusat impotentia tum physica, tum 330.
moralis, cum rationabili causa hìc & nunc con- *Impo-*
fitendi; manet tamen obligatio confitendi in- *tentia*
tegrè, ubi impotentia erit sublata. *Ratio etiam*
1ma partis est; quia, ubi est impotentia phy- *moralis.*
sica, non est per vires naturæ possibile omnia confiteri; ad impossibile autem Deus non obligat. *Ratio 2da partis est;* quia tunc censetur impotentia moralis, quando est valde gravis difficultas, Sacramento extrinseca, omnia confitendi, v.g. grave dispendium famæ, bonorum, periculum mortis &c. atqui cum tali difficultate præcepta etiam divina positiva non obligant, ùt habet communis, & certa: Christus enim voluit jugum suum esse suave, & onus leve, ne succumbat humana infirmitas, & Sacramentum sit fidelibus odiosum.

Dixi tamen: *Cum rationabili causa hìc & nunc confitendi:* Sine hac enim non licet confiteri dimidiatè: causæ autem tales sunt tum tempus urgentis præcepti annuæ Confessionis, vel Communionis, tum obligatio celebrandi Missam, tum occasio lucrandi Jubilæum non reditura, nec alibi habenda; tum etiam necessitas aliàs nimium differendi Confessionem: dilationem nimiam pro reo peccati mortalis esse censet Lugo, quæ ultra triduum excurreret. *Ratio 3tia partis est;* quia est obligatio omnia mortalia confitendi, quæ non est annexa tempori, quo elapso exspiret, sed pergit urge-

urgere, etsi suspendatur, dum est impotentia. Ex dictis deduco

331. *Corollaria.* 1mò. Si moribundus uno, alterove peccato exposito deficiat, statim absolvendus est. Si ad se redeat, tenetur, si quod mortale restet, id confiteri, & denuò absolvi debet. Qui tamen prævidet se non fore in statu omnia confitendi, debet à mortalibus incipere; quia hæc, quoad potest moraliter, confiteri tenetur.

Exempla impotentiæ

2. Mutus, qui nescit scribere, satisfacit confitendo per signa, & nutus; exprimenda tamen sunt omnia gravia quoad numerum, & speciem, quoad possunt: si autem sciat scribere, tenetur ex Scriptura confiteri, quæ per alia signa non potest. Idem dic de ignaro idiomatis, qui juxta communem contra Lugonem non tenetur confiteri per interpretem; est enim onus grave, extrinsecum Sacramento, alteri, quàm Sacerdoti sua peccata manifestare, quod Lugo putat non tam grave esse, ut excuset.

3. Qui rationabiliter timet, sibi à Confessario, aut huic, vel proximo ex revelatione peccati grave malum imminere, non tenetur hîc & nunc illud peccatum confiteri; sed potest omittere, si adsit rationabilis causa confitendi, nec adsit alius, cui sine periculo confiteri posset.

4. Si immineat conflictus, aut naufragium, plures altâ voce se fateri peccatores possunt, & simul una forma absolvi.

5. Si in hospitali sint simul plures moribundi, nec possit Confessarius omnium Confessiones integras excipere, nisi aliqui Sacramento priventur, potest, uno, alterove singulorum peccato audito, illos absolvere.

6. Qui

6. Qui prudenter timet, ne, si longior sit in examine conscientiæ circa materiam veneriam labatur, potest omisso longiore examine, petere absolvi (saltem donec aberit periculum labendi) confitendo in specie, quæ confiteri potest sine periculo; tum enim est impotentia moralis integrè confitendi. Idem est de scrupuloso, si prudenter timeatur, ne nimiâ fatigatione lædat caput: tunc enim breviore examine utendum.

7. Si nequeas peccatum tuum confiteri, nisi cum alterius infamatione, qui peccati socius non fuit, potes, imò teneris illam circumstantiam, ex qua is manifestetur, omittere; quia non amisit jus ad famam suam. Ex quo patet quòd aliquando sit obligatio non integrè confitendi, si nempe agatur de damno spirituali, proprio, vel proximi, aut hujus temporali, quod vitare charitas jubet: si verò agatur de damno temporali proprio pœnitentis, quod licitè subire potest; licèt possit ex rationabili causa confitendi non integrè confiteri; attamen ad id non tenetur.

8. Concursus magnus pœnitentium non est causa sufficiens non integrè confitendi. patet ex Damnata 59. ab Innoc. XI. Idque verum est, etsi aliqui non essent redituri; quia eorum negligentia non facit necessitatem absolvendi, aut impotentiam confitendi. Idem dicendum de difficultate pœnitentis ex confusione subeunda in revelatione sui peccati; quia illa est onus proveniens ex ipso peccato, & Sacramento intrinsecum, eamque Deus voluit esse partem satisfactionis; ut nimirum, qui non erubuit peccare in conspectu Domini, in conspectu hominis se confundat.

QUÆS-

QUÆSTIO X.

An, qui confessus est bonâ fide peccatum mortale dubium, ut dubium, postea deprehendens illud ut certum, teneatur illud iterum, ut certum, confiteri?

332. *Sententia negativa ex ratione probabilior* Resp Etsi sententia affirmativa sit communior; tamen negativa, quam tenent *Arriag. D.* 31. *N.* 46. *Sporer N.* 398. *Henrinx*, *Bosco*, *Merolla*, *Leander*, & alii apud *Moya Tr.* 3. *D.* 1. *Q.* 6. *N.* 2. videtur ex ratione probabilior. Nam 1mò talis confessus est peccatum suum secundùm circumstantias objectivas, necessariò explicandas, & secundùm speciem infimam, ut supponitur, uti habuit in conscientia, nec induxit Confessarium ad aliter judicandum, adeoque confessus est totum, & ab eo directè est absolutus. Quòd autem peccatum antea dubium, nunc ei sit certum, non mutat malitiam peccati, cùm non sit circumstantia se tenens ex parte objecti: sed per accidens, & se tenens ex parte intellectûs: unde nec cognitio prior dubia impedivit, quò minùs peccatum integrè explicaretur, & pœnitens directè absolveretur; nec cognitio certa superveniens detegit aliquam circumstantiam diversificantem peccatum: proinde non est ratio, cur tale peccatum denuò sit confitendùm.

2. Qui, discusâ diligenter conscientiâ, non invenit numerum certum, sed dubitat, an octies, novies, an undecies v.g. sit delecta-

tus

tus objecto turpi, & confitetur se circiter decies esse delectatum, si dein deprehendat, esse factum undecies, non tenetur undecimum illud peccatum iterum confiteri, ùt habet communissima; atqui is confessus est peccatum undecimum, ùt dubium: idem enim erat, ac si diceret, fortè delectatus sum novies tantùm, fortè etiam undecies: ergo. Ad hoc argumentum nulla solida disparitas dari potest, sed vel dicendum cum Gobat, Cardenas, Schilderer, & Aversa contra communissimam, quòd undecimum illud peccatum teneatur iterum confiteri ùt certum; aut, qui se accusavit de peccato mortali ùt dubio, non teneatur denuò confiteri ùt certum, si ùt tale deprehendat.

3. In forensi judicio à crimine dubio absolutus non potest revocari in judicium, etsi crimen postmodum agnoscatur certò commissum, ùt habet communis cum Covar. Sanch. Tamb. L. 2. Cap. 1. N. 25. ergo à pari. 4. Dispensatus super voto, vel censura dubia, etsi votum, vel censura certò postea innotescat, non tenetur novam petere dispensationem; ergo similiter hîc.

Si dicas 1. Peccata sunt confitenda, ùt sunt in conscientia; ergo cùm jam sit in conscientia ùt certum, ùt tale confitendum est. Resp. Sunt confitenda prout sunt in conscientia, quando quis ea primùm confitetur; ità, ut non subducat Confessario, quod necessariò exprimendum est, nec addat tanquam materiam necessariam, quæ talis non est, sicque Confessarium determinet ad errandum circa substantialia judicii, quodsi semel explicata sint peccata integrè, quoad numerum, & speciem, *Solvuntur opposita.*

 nulla

nulla superest obligatio repetendi: aliàs teneretur repetere, qui numerum dubium bonâ fide dixit, si cognoscat certum.

Si dicas 2. Peccatum, ùt substans nunc certitudini, moraliter est aliud, mutatque judicium Confessarii, & aliam exigit satisfactionem. Resp. Inprimis idem valet, si quis confessus sit numerum dubium, dein peccatum non est moraliter aliud ex parte objecti; sed ex parte intellectûs tantùm, & ex hac tantùm mutat judicium Confessarii. Et quamvis aliquanto major fuisset injungenda pœnitentia, non ideo est obligatio repetendi. Patet in alio exemplo, si Titius osculatus puellam, se accuset, nesciens, vel etiam dubitans, an peccârit mortaliter, si postea sciat se peccâsse graviter, non tenetur repetere Confessionem, etsi etiam Confessarius nescivisset, vel dubitâsset, an sit mortale commissum, modò pœnitens suum actum dixerit, ùt habet La Croix N 619. & alii communiter cum Suar. Lugone, Dicast. Sanch. &c. Et tamen si osculum priùs fuisset cognitum ùt mortale, aliud fuisset judicium Confessarii, aliaque injungenda pœnitentia.

Si dicas 3. cum La Croix, in iis, quæ pendent à voluntate Christi, tenendum est, quòd plerique tenent: atqui plerique tenent tale peccatum esse denuò confitendum; ergo R. Si plerique loquantur cohærenter, transeat Secùs, nego Majorem. Si argumentum teneret, ergo quamvis contra plerosque esset ratio probabilior, sicque lex Christi esset incerta, nihilominus obligaret, quòd adversarii non admittunt.

QUÆS-

QUÆSTIO XI.

An, & quando Confessio sit repetenda, dum in ea error ex parte Confessarii, vel pœnitentis est commissus?

Hoc docebunt sequentia : 1mò. Si Confessarius non absolvit validè, & is amplius adiri non possit, Confessio mortalium est repetenda. 333. *Casus varii.*

2. Si Confessarium scias aliquod mortale tuum non intellexisse, nescias autem, quale, teneris, per se loquendo, repetere, totam mortalium Confessionem, vel saltem eorum, de quibus prudenter dubitas, an illud complectantur; quia certus es, te ab uno non esse directè absolutum, & non est ratio de uno magìs dubitandi, quàm de altero. Si dubitares, an unum satis intellexerit, & nescires, quale, supponere potes, quòd satis intellexerit; quia solent Confessarii interrogare, dum non satis intelligunt. Unde non teneris repetere Confessionem, saltem si longa fuisset.

3. Si Confessarius indoctus, audiens rusticos, aliosve rudes, rudi modo confitentes, non interrogavit numerum, vel speciem infimam mortalium, pœnitentes autem postea intelligant, se in multis defecisse; tenentur postea, per se loquendo, quantùm moraliter possunt, exponere numerum eorum, & speciem infimam: nihil enim apparet, quod excuset.

4. Si Confessarius omiserit imponere pœnitentiam, aut illam pœnitens impositam per culpam omisisset, & jam oblitus esset, quæ

fuerit imposita, non ideo tenetur repetere Confessionem; quia Sacramentum primarium suum effectum habuit, & peccata sunt directè remissa. La Croix N. 1215. & alii communiter.

5. Si Confessarius non agnovit peccatum mortale tanquam tale, vel judicaverit mortale esse veniale; non ideo est obligatio repetendi, modò pœnitens factum rectè, & fideliter dixerit; quia necesse non est ad valorem, nec ad directam absolutionem, ut Confessarius judicet esse mortale; imò id sæpè discernere non potest.

6. Si quis multa peccata mortalia commisit, & sciat se aliquoties invalidè, vel sacrilegè esse confessum mortalia, nesciat autem, quæ; per se loquendo, induci debet ad Confessionem generalem, saltem à tempore invalidæ Confessionis: generalis enim non semper est ità difficilis, ut censeri possit moraliter impossibilis; præsertim, si simul accedat instructio, & examen Confessarii. Et quidem si Confessarium adeat, qui ejus conscientiam non novit, omnia distinctè exponenda sunt; si verò adeat, cui solitus est confiteri, hicque habeat adhuc distinctam peccatorum notitiam, satis est, si se accuset generatim de omnibus antè confessis; imò &, si adhuc confusam habeat eorum notitiam; ità, ut de statu pœnitentis judicare possit: sufficit enim aliquando fuisse distinctam notitiam peccatorum in Confessario: ùt patet in eo, qui per plures dies fecit Confessionem generalem: nam tunc in fine satis est Confessarium confusè meminisse peccatorum, & statûs pœnitentis, ut congruam possit satisfactionem injungere: Priores tamen

tamen Confessiones debent fuisse Sacramentales, id est, factæ cum intentione accipiendæ absolutionis, aut nunc moraliter per posteriorem repeti. Quòd videtur sufficienter fieri, etsi tantùm in genere dicat pœnitens: accuso me de peccatis, quæ unquam confessus sum à tot annis; si autem nec pœnitentia fuit injuncta, nec Confessarius confusè meminerit peccatorum, non poterit prudens judicium formare de statu pœnitentis, nisi pœnitens ea repetat, quibus auditis ea reducatur notitia, ut status pœnitentis saltem in confuso constet illi, quod sufficit.

7. Si pœnitens timeat, aut putet, se longo tempore invalidè esse confessum, tum si sit timoratæ conscientiæ, solitusque requisitam diligentiam adhibere, nihil tenetur repetere; quia præsumptio est pro valore: secùs, si ob contraria signa præsumptio sit contra ipsum.

8. Qui in Confessione ex inculpabili oblivione, vel ignorantia omisit circumstantiam, quæ peccato addit novam speciem malitiæ, tenetur totum peccatum repetere, si aliàs illa circumstantia explicari non possit; secùs est, si possit se sola explicari satis: v. g. aliquis furatus est rem sacram gravem, & bonâ fide accusavit se: furatus sum rem gravem; vel peccavit peccato adulterii, dicitque in Confessione: fornicatus sum; non satisfacit postea dicendo: commisi sacrilegium, feci alteri gravem injuriam; quia sacrilegium in furto rei sacræ est diversum specie à sacrilegio, v. g. in occisione Clerici, & injuria adulterii est specie diversâ ab injuria in bonis famæ, honoris, &c. Si verò voto se obligavit, v. g. ad jejunium in Quadragesima, ad quod nihilo-

minus tenebatur, & violati jejunii se accusat dicendo: violavi jejunium Ecclesiasticum, inculpabiliter oblitus circumstantiam voti, satisfacit postea dicendo: violavi votum in re gravi; quia sic explicat totam malitiam sui peccati, nec indicat duo numero peccata. Aliud esset, si in Confessione prima diceret: violavi graviter jejunium Ecclesiasticum, violavi votum in re gravi.

19. Qui furatus 100. bonâ fide confessus est, se furatum esse 80. juxta aliquos satisfacit postea dicendo: se furatum esse 20. quia totam malitiam peccati explicat; contradicit Lugo; quia neutrâ vice explicat peccatum suum. Si furatus octo bonâ fide dicat: furatus sum decem; videtur satisfecisse; quia totam malitiam explicavit. Vide La Croix N. 930. & N.C. à N. 48.

CAPUT IV.

De Absolutione, parte formali essentiali Sacramenti Pœnitentiæ.

QUÆSTIO I.

334. An, & quibus verbis constare debeat forma Sacramenti Pœnitentiæ?

Essentia formæ consistit in his: Absolvo te à peccatis.

Resp. Debet constare verbis formalibus Sacerdotis, ad ipsum pœnitentem directis: constat ex traditione Apostolica, & perpetua praxi Ecclesiæ. Poncius apud Sporer hic N. 608. putat, si moribundo non possit adesse nisi Sacerdos

cerdos mutus, hunc posse, imò teneri nutibus v. g. formâ Crucis eum absolvere. Ast hoc ab aliis meritò rejicitur: nam Florent. ait, omnia Sacramenta verbis perfici tanquam forma, excipitque solum Matrimonium: unde non valet absolutio absenti data.

Formam hujus Sacramenti describit *Rituale Romanum*, jussu Pauli V. editum, his verbis: Cùm igitur pœnitentem absolvere voluerit, injunctâ ei priùs, ab eo acceptatâ salutari pœnitentiâ primò dicat: *Misereatur tuî omnipotens Deus, & dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam. Amen.* Deinde, dextrâ adversùs pœnitentem elevatâ, dicat: *Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, & misericors Dominus. Amen. Dominus noster JESUS Christus te absolvat, & ego authoritate ipsius absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, in quantum possum, & tu indiges. Deinde ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Amen. Passio Domini nostri JESU Christi, merita Beatissimæ Virginis: & omnium Sanctorum, & quidquid boni feceris, & mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.* In Confessionibus autem frequentioribus, & brevioribus omitti potest: *Misereatur tuî omnipotens &c.* satisque erit dicere: *Dominus noster JESUS &c.* usque ad illas voces: *Passio Domini nostri JESU &c.* Urgente verò aliquâ gravi necessitate in periculo mortis breviter dicere poterit: *Ego te absolvo ab omnibus censuris, & peccatis in nomine Patris, &c.*

Forma ex Rituali Romano

Hactenus *Rituale Romanum*, quod & monet, si pœnitens sit Laicus, omittendam esse vocem *Suspensionis*.

An peccet omittens aliquid non essentiale? Porrò certum est ex *Trid. Sess.* 14. *Cap.* 3. & communi consensu Theologorum, non omnia illa verba esse de essentia formæ, sed sufficere hæc: *Absolvo te à peccatis.* Et quamvis hæc forma recepta sit: *Dominus noster Jesus Christus &c.* qui tamen ista omitteret, negat Lugo peccaturum etiam venialiter, ubi abest suspicio prudens censuræ in pœnitente. Idem dicunt multi de his verbis: *In nomine Patris &c.* Aliud est de forma Confirmationis, quæ est Sacramentum roborativum in fide: fides autem tendit in Deum, ut unum in natura, & trinum in personis. Verba: *Passio Domini nostri &c.* rarò, & non nisi in Confessione generali solent adhiberi, & sine peccato omitti possunt. Verùm, cùm sit inordinatio contra communem praxin Ecclesiæ, omittere aliquid de forma à verbis: *Dominus noster Jesus &c.* usque ad verba: *Passio Domini &c.* videtur omittere, aliquid sine rationabili causa, esse veniale; imò si prudens sit suspicio, pœnitentem censurâ aliquâ ligari, sub gravi præmittenda esset absolutio illa, quando prohibetur usus Sacramentorum per illam.

QUÆSTIO II.

Quem sensum habeant verba Sacramentalis Absolutionis: *Absolvo te à peccatis?*

335. *Sensus formæ duplex.* Resp. Sicut in aliis Sacramentis sensus formæ duplex est secundùm dicta N. 8. Unus nem-

nempe naturalis , proveniens ab humana institutione ; alius sacramentalis, proveniens ab institutione Christi : sic sensus formæ verbalis Sacramenti Pœnitentiæ alius est naturalis , seu ex humana institutione ; alius sacramentalis ex institutione Christi : Sensus naturalis formæ : *Absolvo te à peccatis*, est hic : *quantum est ex me , judicialiter te libero a peccatis*, vel : *Authoritativè tibi remitto peccata.* Sensus verò sacramentalis est : *Quantum est ex me, confero tibi gratiam per se remissivam peccati post Baptismum commissi. Ratio 1ma partis est ;* quia verba per assumptionem suî ad significandum effectum Sacramenti , non amittunt vim significativam suam , si compossibilis sit, naturalem. *Ratio 2da partis est* ; quia sensus ille clarus, & obvius est, eumque verba audita cuilibet latinæ gnaro ingerunt , statque in eo pro omni casu formæ veritas. Sicut enim , si Judex humanus diceret reo accusato : *Absolvo te à tali delicto* , omnes linguæ gnari intelligerent ; eum judicialiter liberum pronuntiari , vel authoritativè delictum remitti; ità in præsenti. Notat etiam , S. *Thom. hic Q.* 84. *A.* 3. *ad* 3. Quòd , licèt in præsenti idem significet remitto, quod absolvo, Christusque instituens Sacramentum dixerit : *Quorum remiseritis peccata &c.* convenientiùs tamen adhibeatur verbum *absolvo* , quia distinctiùs exprimit remissionem authoritativam , & sententiam judicialem , cùm solius Judicis sit absolvere , privati autem etiam remittere. *Ratio 3tia partis est* ; certum est , quòd verba in Sacramentis sint instituta à Christo ad consignificandam , causandamque gratiam ; cùm ergo Sacramentum Pœnitentiæ sit Sacramen-

tum mortuorum, institutumque ad causandam per se gratiam primam; rectè dicitur, quòd sensus sacramentalis formæ ejus sit: *Quantum est ex me, confero tibi gratiam per se remissivam peccati post Baptismum commissi.* Itaque, licèt ex humana institutione non habeant verba illa vim illam significandi, habent tamen ex institutione Christi, sicut hæc verba, *Hoc est Corpus meum*, licèt ex institutione humana significent tantùm corpus proferentis illa verba; ex institutione tamen Christi significant non corpus Sacerdotis, ea proferentis, sed Christi. Hoc solum discrimen est, quòd forma Eucharistiæ proferatur in nomine, & persona Christi; forma autem absolutionis, rigorosè loquendo, proferatur tantùm in nomine Christi, & in persona hominis ministri, Christo subordinati: sicut Judex humanus in persona sua, sed authoritate Principis fert sententiam.

Dixi in utroque sensu: *Quantum est ex me:* nam à sola voluntate Ministri, non pendet, ut pœnitens liberetur à peccatis, vel accipiat gratiam per se remissivam peccatorum; sed multa requiruntur ex parte pœnitentis, v. g. ut verè doleat de peccatis, ut sit paratus præstare, ad quæ tenetur, ut sit baptizatus &c. Unde forma, licèt sit sensus ejus absolutus signatè. Imbibit varias conditiones, ùt fit & in aliis Sacramentis. Atque ità etiam manet veritas formæ, etsi Sacramentum esset validum, & informe: nam adhuc Minister, quantum est de se, liberaret à peccatis; quia conferret Sacramentum, per se, nisi aliunde impediretur, collativum gratiæ, remissivæ peccatorum; intelligitur quoque formæ veritas, etsi peccata

jam

jam antè per contritionem, vel absolutionem essent remissa: nam licèt in actu secundo non tollat peccata, tollit tamen in actu primo, hoc est, profert sententiam, aptam tollere peccata, dum adsunt, & renovatoriam prioris remissionis, impenditque Sacramentum per modum judicii, collativum gratiæ remissivæ peccatorum, dum adsunt. Quare forma hujus Sacramenti præscindit, an in actu secundo, an tantùm in actu primo remittantur peccata. Si enim jam antè per contritionem perfectam, aut absolutionem sacramentalem remissa sint, jam remittuntur tantùm in actu primo, id est, confertur gratia, ad cujus exigentiam remitterentur mortalia, si adessent, & ad cujus præsentiam, intuitu meritorum Christi, remittuntur venialia, si adsint, aut remitterentur in actu secundo, si adessent. Quodsi gratia, aut ejus productio compleat decretum Dei, remissivum peccatorum; mortalia,& venialia remittuntur formaliter per infusionem gratiæ. Plura de hoc, quæ ad praxin non faciunt, vide apud Scholasticos.

QUÆSTIO III.

Quando danda, neganda, vel differenda sit Absolutio?

Resp. Pro hujus quæstionis resolutione observanda sunt sequentia. 1. Regulariter danda est absolutio pœnitenti habili, & ritè disposito; quia per Confessionem acquisivit jus ad absolutionem ex tacito contractu inter ipsum, & Confessarium. 2. Neganda est absolutio pœnitenti, qui inhabilis est, vel indisposi- 336. *Spectanda dispositio pœnitentis, & circumstantiæ.*

positus, talisque manet, ut, si nolit, offensam condonare, deserere occasionem proximam, cùm facilè posset, &c. *Ratio est*; quia non est capax absolutionis, adeoque irreverentia fieret Sacramento. 3. Differenda est absolutio, si ità exigat confirmatio pœnitentis in concepto proposito, vel examen non sit sufficiens præmissum, nec modò fieri possit. Vide *Neo-Confess.* à N. 21. N. 176.

CAPUT V.

De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ, seu Confessario.

QUÆSTIO I.

Quis sit Minister Sacramenti Pœnitentiæ.

337. *Solus Sacerdos.* Resp. Est solus Sacerdos, plenè ordinatus, adeoque donatus potestate in Corpus Christi physicum, & mysticum, seu Fideles. Est de Fide. Nec in eo dispensare potest Pontifex. Pro ratione est indubitata voluntas Christi, quæ constat nobis ex perpetua traditione Ecclesiæ, *Conc. Flor* & clarissimè ex *Trid. Sess.* 14. *Cap.* 6. & *Can.* 10. ubi ait: *Si quis dixerit, Sacerdotes, qui in mortali sunt, potestatem ligandi, vel solvendi non habere, aut non solos Sacerdotes esse Ministros absolutionis, anathema sit.* Jam verò, qui caret alterutrâ potestate, plenè Sacerdos non est: nam post datam potestatem in Corpus Christi physicum, priùs confertur potestas absolvendi à peccatis.

QUÆS-

QUÆSTIO II.

Quæ requirantur in Ministro, ut validè administret Sacramentum Pœnitentiæ?

Resp. Requiritur 1. Jurisdictio, seu potestas in pœnitentem, tanquam subditum, in ordine ad forum sacramentale: est enim in eo Judex, ut in eo vel solvat, vel liget, id quod præstare non potest sine jurisdictione in pœnitentem, velut sibi in ordine ad id subjectum. 2. Requiritur approbatio pro absolutione sæcularium; sine illa enim jurisdictio in actum exire non potest: est autem approbatio authenticum Episcopi testimonium de idoneitate Sacerdotis, ut Judicem agat in foro Pœnitentiæ. Dicitur 1. *Testimonium*, puta, externum. Dicitur 2. *Authenticum:* quia debet procedere à jurisdictione. 3. Requiritur intentio secundùm dicta N. 16. 4. Ut perceperit saltem in confuso aliquod peccatum: aliàs enim sententiam ferre non poterit. 338. *Jurisdictio, & approbatio.*

Dices: Papa potest absolvi à peccatis, atqui nemo habet in eum jurisdictionem: nam supremus Princeps nulli potest subesse. Resp. Dist. Min. Nemo potest in eum, ùt Vicarium Christi, habere jurisdictionem Conc. ùt personam privatam, Neg. Min. Ut Vicarius Christi potest alteri conferre potestatem se absolvendi, ùt personam privatam, sicque illi se subjicere.

* *
*

QUÆS-

QUÆSTIO III.

Quæ requirantur, ut Minister Sacramenti Pœnitentiæ id licitè administret?

339. *Status gratiæ immunitas à censura impediente, scientia.* Resp. Præter jam dicta requiritur 1. Status gratiæ: Quare lapsus in mortale debet vel per Sacramentum Pœnitentiæ, vel per contritionem perfectam se Deo reconciliare. Requiritur 2. Ut non impediatur per impedimentum Canonicum v.g. per excommunicationem à licita Sacramenti administratione. Requiritur 3. Competens scientia: est enim Judex, Doctor, Medicus animarum.

Scientia Confessario necessaria. Hinc 1. Scire debet omnia, quæ ad valorem, substantiam, integritatem, & effectum hujus Sacramenti, tum ex parte sua, tum ex parte pœnitentis requiruntur. 2. Præcepta Dei, & Ecclesiæ, obligationes communes, & proprias statuum, varias peccatorum species, eorumque numericam multiplicationem, circumstantias, speciem mutantes, & principia discernendi inter mortalia, & venialia. 3. Casus reservatos, censuras, & excommunicationes, quæ adhuc vigent; impedimenta Matrimonii, radices restitutionis, obligationes, & naturam contractuum. 4. Remedia idonea præscribenda pro peccatis vitandis, & vitiis emendandis. 5. Satisfactiones convenientes, & salutares. *Ratio horum est;* quia, qui tenetur ad finem, eâdem ratione tenetur ad media, eò necessaria: Confessarius autem tenetur sub gravi ritè obire munus suum, utpote gravissimum: in eo enim agitur de vindicanda

da

da offensa Dei, de justificatione, & salute animarum, de curandis animi morbis, & vitiis extirpandis. Quare, qui suscipit munus Confessarii, requisitâ scientiâ non instructus, peccat graviter; quia quisque tenetur habere scientiam, ad munus, quod suscipit, necessariam; aliàs exponit se evidenti periculo malè fungendi munere suo cum injuria, & damno proximi. Neque hìc excusat obedientia, vel approbatio Episcopi, bonâ fide facta: etsi enim in examine admissus possit ordinariè acquiescere judicio Episcopi; si tamen sine eo admitteretur, vel sciret, se multa requisita ignorare, tutus in conscientia non esset. Similiter peccat Superior, qui munus audiendi Confessiones committit inidoneo; utì & pœnitens, qui talem scienter adit. Confessio tali bonâ fide facta esset valida, si ex parte pœnitentis adsit debita dispositio, & ex parte Sacerdotis cognitio aliqua materiæ, quæ, licèt non omninò exacta, sufficientem hujus Sacramenti materiam repræsentet, quæ haud difficulter aderit: vix enim, utì notat Suarez, in homine, usu rationis prædito, & in Ecclesia versante, continget, ut ignoret generalem peccatorum distinctionem.

Porrò non est opus, ut prædicta tam perfectè possideat, ut semper nôrit statim omnia dubia dissolvere; sed satis est, si id possit in ordinariè occurrentibus, nôritque principia communia, ut sciat de difficilioribus dubitare, atque ità possit ex generalibus principiis investigare consulendo Authores, vel alios interrogando. Neque tenetur de omnibus peccatis sibi expositis judicare, hìc & nunc admissa esse mortalia, vel venialia, sed sufficit,

audire

audire singula, ùt facta sunt, & de illis judicare secundùm communia certa principia, remedia convenientia præscribere contra relapsum in peccata, quæ scit, vel dubitat esse mortalia.

CAPUT VI.

De jurisdictione, & approbatione Ministri Pœnitentiæ, seu Confessarii.

QUÆSTIO I.

Quid sit Jurisdictio, & quotuplex?

340. *Definitio, & divisio.* RESp. Jurisdictio in genere est authoritativa potestas gubernandi subditos Dicitur: *Potestas authoritativa;* quia vel residet in summo Principe, vel ab eo descendit immediatè, aut mediatè. Ejus actus sunt: præcipere, prohibere, permittere, præmiare, punire, absolvere, dispensare.

Est autem jurisdictio alia sæcularis, quæ respicit externam politicam gubernationem, felicitatemque subditorum temporalem, estque fori externi; alia spiritualis, quæ ad animarum gubernationem, felicitatemque spiritualem ordinatur. Estque duplex, nempe alia fori externi, quæ ordinatur ad animarum gubernationem etiam externam, talem habent supremi Ecclesiæ Prælati, quibus convenit ferre leges, publicè punire, dispensare, visitare ex officio subditos; alia, quæ spectat tantùm bonum internum animarum statum, estque jurisdictio in foro interno. Talis est potestas dispensandi in

in votis, & juramentis, irregularitate, absolvendi à peccatis, & censuris non deductis ad forum contentiosum. Hæc dividitur in sacramentalem, quæ datur ad absolvendum à peccatis in foro pœnitentiæ; & in non sacramentalem, quæ confertur ad alios actus v. g. ad dispensandum in votis, absolvendi à censuris &c. Deinde jurisdictio alia est contentiosa, quæ afficit invitos, & exercetur cum contentione partium, vel cum coërcitione; alia voluntaria, quæ exercetur in volentes sine contentione partium, & coërcitione. A contentiosa procedunt leges, decisiones causarum &c. A voluntaria procedunt privilegia, dispensationes, legitimationes, administratio Sacramentorum &c. Denique jurisdictio alia est jurisdictio ordinaria, quæ alicui competit ratione officii, alia delegata, quæ ab habentis ordinariam concessione venit. Ordinariam spiritualem habent, quibus ex officio incumbit cura animarum, ùt Papa, Episcopi, Parochi, delegatam habent, quibus datur ab ejusmodi officium habentibus, absque cura animarum ex officio, ùt Religiosi, aliique non Parochi.

QUÆSTIO II.

Quando, à quo, & quibus modis pro foro sacramentali Confessario conferatur, vel acquiratur Jurisdictio?

Controvertitur, an Jurisdictio pro foro pœnitentiæ conferatur in ordinatione sacerdotali immediatè à Christo, vel postmodum ab Ecclesia. Primum affirmat *Scotus, in* 4.

D. 19. *Q.* 1. *N.* 13. *Hirquaus* in eundem locum *Scoti*, *Vasq.* *Tr.* 4. *Q.* 93. *A.* 1. *Dub.* 2. *Lessius de divinis perfectionibus L.* 10. *c.* 2. *S. Antoninus*, *Becanus*, *Amicus*, *Arriag.* *Esparf.* & *alii.* Secundum tenent *Suar. Valent. Lugo*, *La Croix hic N.* 1549. & *alii.* Sed controversia multum habet de nomine: convenit enim, quòd in ordinatione sacerdotali conferatur potestas absolvendi à peccatis, adeoque potestas judiciaria, an autem illa dicenda sit jurisdictio sine subjectione Fidelium, ab Ecclesia facienda, controvertitur. Ad quæstionem propositam

341. *Confertur in ordinatione sacerdotali terminativè incompleta.*

Resp. 1. Jurisdictio pro foro sacramentali pœnitentiæ confertur immediatè à Christo in ordinatione sacerdotali ex parte causæ efficientis quidem completa, non tamen ex parte termini, & materiæ, & eatenus quoad exercitium Vicario Christi subordinata.

Probatur pars prima. 1. Jurisdictio pro foro sacramentali pœnitentiæ est judiciaria potestas remittendi, & retinendi peccata; atqui illa confertur in ordinatione sacerdotali: nam Episcopus in ea utitur his verbis: *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sunt.* Verba autem sacramentalia operantur, quod significant. *Probatur* 2. ex *Trid.* Quod *Sess.* 14. *Cap.* 5. hæc habet: *Dominus noster Jesus Christus ascensurus in Cœlum Sacerdotes sui Vicarios reliquit, tanquam Præsides, & Judices*: tales autem non sunt, nisi habeant potestatem judiciariam, saltem secundùm se completam. *Capite verò* 7. ait: *Piè admodum, ne hac occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit;*

ut

ut nulla sit reservatio in articulo mortis, *atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuslibet peccatis*, *& censuris absolvere possint.* Ubi Concilium supponit, omnibus Sacerdotibus competere universalem jurisdictionem, & quamvis restricta sit, & impedita, donec assignentur subditi, attamen nunquam fuisse impeditam in Ecclesia pro articulo mortis. *Confirmatur* à *Lessio.* Potestas remittendi peccata est sublimissima; non erat proinde rationi congruum, eam conferri ab homine, aut conflari ex duplici potestate, unâ collatâ à Christo in ordinatione sacerdotali, alterâ ab homine. Sic enim potestas collata in ordinatione esset manca.

Probatur 2. *Pars*: quia, etsi conferatur in ordinatione Sacerdotali potestas judiciaria secundùm se completa, ut tamen exeat in actum, debent assignari subditi, & causæ, seu materia judicanda. Quæ assignare pertinet ex voluntate Christi ad Ecclesiæ Prælatos, utì constat nobis ex perpetua Ecclesiæ praxi, & hac ratione dicitur Ecclesia conferre jurisdictionem, conferendo nempe ultimum complementum. Nec mirum, quòd forma relativa, qualis est potestas judiciaria, completa licèt non possit exire in actum defectu materiæ, vel termini, aut applicationis. Sic enim potestas consecrandi est completa in Sacerdote, & tamen, pane, & vino deficiente, exire in actum non potest. Sic olim, ùt refert Hirquæus supra ex Sylvio, erant Judices, Chartularii dicti, qui judiciariam habebant potestatem; at in eos tantùm, quorum causæ ad eos speciali mandato mittebantur. Et similes hodiedum esse possunt.

Probatur pars tertia tum ex praxi commu-

ni perpetua Ecclesiæ ; tum quia inconveniens erat, ut potestas illa, quoad exercitium, esset independens à Christi in terris Vicario : sic enim necdum apti ad eam debitè exercendam se ejus exercitio exposuissent, securaque fuissent gravia incommoda, discordiæ, conflictio jurisdictionum, sacrilegia, aliaque mala, ùt expendenti facilè patebit. Unde patet, quâ ratione Ecclesia conferat, & tollere possit jurisdictionem, nempe subjiciendo Fideles, tanquam subditos, pro foro sacramentali, vel eos non subjiciendo, aut subjectos subtrahendo, vel saltem certa peccata.

Dixi in assertione : *Jurisdictio pro foro pœnitentiæ*: nam pro foro externo, & interno non sacramentali Papa, etiam non Sacerdos, accipit eam, suppositâ electione, immediatè à Christo; Episcopi verò à Papa per confirmationem electionis, vel collationem Episcopatûs, etsi necdum sint consecrati, ùt habet communissima Theologorum, & Canonistarum alicujus nominis : unde patet, posse eam separari à jurisdictione sacramentali. Similiter promotus ante susceptum sacerdotium ad Parochiam accipit jurisdictionem quandam, seu potestatem spiritualem suos Parochianos gubernandi, & vi hujus potest Sacerdoti approbato delegare jurisdictionem in foro conscientiæ, non quòd ei conferre possit potestatem judiciariam, quam non habet, sed quòd suos Parochianos illi, tanquam Judici, in foro pœnitentiæ subjiciat. Quare, licèt quis non possit per alium, quod non potest per se, si alius potestate ab ipso donari debeat, id tamen non procedit, si jam ante potestatem habeat alius.

Resp.

Resp. 2. Jurisdictio ordinaria, pro foro pœnitentiæ terminativè completa, acquiritur à Sacerdote primo ratione officii, cui per se annexa est cura animarum : quia omnis, in tali officio existens, tenetur suis vi illius ministrare Sacramentum pœnitentiæ ; ergo debet etiam habere potestatem ordinariam. Hæc magis respicit personam, quàm locum ; hinc si Parochus cum suo subdito peregrinetur, potest eum absolvere ubique locorum. 2. Acquiritur ratione domicilii, vel quasi domicilii pœnitentis : hic enim fit subditus ordinarii ratione domicilii, vel quasi domicilii. 3. Acquiritur superiori familiæ, vel statûs in omnes, qui ad eum admittuntur : hinc Cardinali acquiritur in suos domesticos, Superiori Religiosorum in novitios, Capellano castrensi in milites saltem, dum sunt in castris suæ legionis. 342. *Ordinaria, terminativè completa, acquiritur diversis modis.*

343. *Quomodo delegata.* Resp. 3. Jurisdictio delegata completè acquiritur 1mò immediatè à Papa, per privilegium. Talem habent, suppositâ Episcopi approbatione, & facultate à Superioribus suis obtentâ Religiosi Ordinum mendicantium, & cum illis participantes in privilegiis, in quosque Christi fideles sæculares, dico sæculares ; quia quælibet Religio habet specialia privilegia, ùt illius Religiosi confiteri non possint sine licentia sui Superioris aliis, extra suum ordinem, quanquam habent plerumque licentiam in itinere, dum deest de ordine, confitendi alteri extra ordinem suum.

2. Acquiritur cuilibet approbato Confessione directa ab habente ordinariam facta : Potest autem eam delegare Papa pro tota Ecclesia inconsultis Episcopis, & Episcopus pro sua Diœcesi inconsultis Parochis, Parochus, per se lo-

quendo, alteri Sacerdoti in Diœcesi approbato, ex *Trid. Sess.* 14. *Cap.* 7. Pastor enim habet potestatem in suas oves pascendas vel per se, vel per alios.

3. Acquiritur concessione indirectâ Sacerdoti, quando hic assumitur in Confessarium ab eo, cui fas est sibi eligere Confessarium. Tales sunt de Jure communi omnes Episcopi, Archi-Episcopi, Abbates exempti, Generales Ordinum, Provinciales, Rectores, Priores; Guardiani, salvis tamen privilegiis Ordinum. Nec necesse est talem Confessarium Religiosorum ab Episcopo esse approbatum, modò cæterum idoneus sit: Trid. enim circa Regulares nihil immutavit.

In articulo mortis cui competat?

4. Acquiritur cuicunque Sacerdoti, si alius desit, etiam excommunicato, hæretico, apostatæ ob articulum, vel periculum probabile mortis pœnitenti imminentis. Constat ex Trid. N. 341. citato: potestas enim absolvendi data est ad salvandas animas, proinde restringenda non est, ubi hæ periclitantur. Articulus mortis est, cùm ea moraliter certò proximè instat ex morbo, vulnere, sententia Judicis: periculum mortis est, cùm ea ex probabili timore imminet. In tali sunt milites inituri prælium, suscepturi iter periculosum, Banniti, inter pestiferos agentes, mulieres partui vicinæ expertæ in partubus periculum vitæ, laborantes morbo periculoso, non tamen damnati ad triremes; quia periculum non est semper proximum. La Croix N. 1559. Negant quidem Sotus, & alii id procedere etiam de periculo mortis, sed probabiliùs affirmant Suar. Vasq. Sanch. Lugo, & alii; quia aliàs non esset satis provisum animabus, & articulus, ac periculum mortis quoad hoc in jure

pro

pro eodem sumuntur *Cap. Si quis suadente* 17. *q.* 4. *Cap. Eos, qui, de sententia excommunicationis n.* 6. Probabiliùs tamen id non procedit, si adsit alius Sacerdos speciali jurisdictione, & approbatione præditus; quia Ecclesia dat facultatem pro necessitate pœnitentis, quæ tunc non est, esset tamen, si approbatus nollet absolvere. Quodsi non approbatus jam cœpisset audire Confessionem, fas ei esset, imò deberet pergere, ne pœnitens cogeretur eadem bis confiteri. Opposita sententia nihilominus probabilis est: quia Ecclesia voluit prospicere saluti pro omni casu; posset autem contingere, ut moribundus æquè confiteretur approbato, v. g. Pastori suo, & anima periclitaretur. Sic absolutus à reservato non teneretur postea adire Superiorem, nisi fortè excommunicatio fuerit annexa, aut specialia statuta ordinis id exigant; quia pro illo casu nulla est reservatio, fuitque directè absolutus. Quid possit in hoc casu Sacerdos sacrilegi concubitûs complex: dictum est P. 1. N. 303.

5. Requiritur per consensum etiam tacitum habentis jurisdictionem ordinariam, existentem re ipsâ antè, & declaratum per signum aliquod exterius, v. g. per consuetudinem approbatam: talis enim consensus æquivalet expresso verbis, vel scripturâ. Debet autem consensus re ipsâ existere; quia delegatio jurisdictionis est actualis translatio sui juris in alium, quæ fieri nequit sine actuali voluntate, cùmque ab altero acceptari debeat, necesse est, ut signo externo manifestetur illi. Unde non sufficit merè præsumptâ, nec præsumptio de ratihabitione ordinarii, si rogaretur: hujus tamen de suæ jurisdictionis usu scientis taciturnitas

nitas potest esse indicium sufficiens consensûs, utì si videret suos subditos confiteri alicui, quem scit non habere jurisdictionem, & taceret, cùm facilè sine periculo offensæ, aut incommodi impedire posset, si vellet: qui enim tacet in his, quæ ad ipsum pertinent, & in quibus posset facilè, & deberet contradicere, censetur consentire secundùm *Reg. Juris. 43. in 6.* Aliud foret, si ex metu offensæ, vel scandali, aut murmuris in templo taceret. Tunc enim certum indicium consensûs non esset taciturnitas. Ex dictis deduco.

344. *Corollaria.* 1. Parochi, & simplices Sacerdotes possunt sibi eligere Confessarium, modò approbatus sit; quia est tacitus consensus Ordinariorum ob commoditatem celebrandi; non possunt tamen eligere non approbatum. Alexander enim VII. damnavit sententiam id asserentem. V. Anal. N. 182.

2. Possunt Fideles, extra suam parochiam existentes, alibi confiteri, & Parochus, vel Sacellanus approbatus potest excipere Confessiones alienorum, in suam parochiam accedentium, non requisito illorum Parocho; quia Ordinarii vident hæc fieri, & silent: unde habetur tacitus illorum consensus. Suar. Lugo, La Croix N. 155.

3. Ex eo, quòd delegata sit jurisdictio, non censetur concessa potestas, utpote diversa, subdelegandi. Excipe, nisi quis delegetur ad universitatem causæ, id est, nisi committatur illi officium habens annexam jurisdictionem ordinariam, ut, si quis substituatur loco Parochi, vel in perpetuum, vel ad modicum tempus, v. g. ad dies aliquos absente

Pasto-

Pastore: si enim primum fiat, est quasi Vicarius perpetuus, poteſtque delegare non secùs ac Pastor: si verò fiat secundum, poterit delegare non quidem ad omnia simul Parochi officia, attamen pro certo casu, v. g. ad absolvendum infirmum; non enim censetur Ordinarius erga suum ministrum tam rigorosè parcus, ut ei hanc deneget potestatem.

4. Potest jurisdictio ab Ordinario, v. g. Episcopo, vel Parocho necdum Sacerdote delegari; quia potestas delegandi non fundatur in potestate absolvendi, sed in superioritate spirituali suos subditos gubernandi, & pascendi per se, vel per alium. Metu extorta probabiliùs valet, non tamen petita, & injustè negata; quia non transfertur nisi per voluntatem.

5. Qui jurisdictionem accepit ab Episcopo, ut in ejus Diœcesi administret Sacramenta in subsidium, vel ad requisitionem Parochorum, si absente Parocho advocetur, validè, & licitè absolvit; quia vocantes censentur nomine Parochi requirere, adestque tacitus Parochi consensus.

6. Etsi Sacerdos approbatus quidem, sed excommunicatus toleratus validè absolvat, absolvit tamen illicitè, nisi requiratur; quia retinet potestatem quidem, sed prohibetur eam exercere. At excommunicatus non toleratus nec validè absolvit extra articulum mortis etiam à venialibus; quia privatus est omni jurisdictione, nec potest alteri delegare jurisdictionem audiendi suorum Confessiones; quia delegatio est actus jurisdictionis, quamdiu tamen retinet parochiam in titulum, probabiliter potest alteri dare potestatem assistendi

matrimonio sui Parochiani; quia assistentia illa non est actus jurisdictionis; sed tantùm testis qualificati, qualis esse potest suspensus, vel excommunicatus à Papa. Lugo ex Moral. Dub. 45. Quando Ecclesia suppleat jurisdictionem, dixi suprà N. 47.

QUÆSTIO III.

An omnibus Confessariis necessaria sit approbatio?

345. *Est relatè ad sæculares necessaria.* Resp. Ad absolvendum validè sæcularem à mortali, etiam dubio extra articulum, vel periculum mortis omnibus necessaria est expressa, vel tacita approbatio, constat ex *Trid. Sess.* 25. *Cap.* 15. *de Reform.* ubi sic habet: *Quamvis Presbyteri in sua ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant: decernit tamen S. Synodus, nullum etiam Regularem posse Confessiones sæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale Beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliâs idoneus judicetur & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, privilegiis, & quâcunque consuetudine etiam immemoriali, non obstantibus.*

Dixi 1. *Sæcularem*: Quia circa Regulares Conc. quo ad hoc nihil immutavit, unde exceptis Monialibus possunt confiteri idoneo, non approbato ab Episcopo, quem Superior designavit.

Dixi 2. *A mortali:* quia à venialibus, & mortalibus directè per absolutionem remissis potest probabiliùs quilibet Sacerdos absolvere vali-

validè : dico *validè :* nam Innoc. XI. in Decreto de quotidiana Communione ait : *Ordinarii non permittant , ut venialium Confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato :* unde videtur Confessio talis reddi illicita.

Dixi 3. *Expressa , vel tacita :* Expressa est, quæ vel verbis formalibus , vel signo externo datur ; tacita verò , quæ vel per taciturnitatem Ordinarii habetur , vel in Officio , seu Beneficio Parochiali collato involvitur : hoc ipso enim , quòd quis modo , per Canones præscripto , obtineat Beneficium parochiale, approbatur. Canones autem volunt id obtineri per concursum , vel prævio alio examine, ût habet *Trid. Sess.* 24. *Cap.* 18. *de Reformatione.* Unde si quis per fraudem suam , vel in curiam Episcopi , vel aliter sine examine, vel judicio Episcopi pervenisset ad parochiam, non secùs , ac alii indigeret approbatione Episcopi. Qui parochiam accipit extra concursum ab aliquo non Episcopo , debet se sistere examini , & approbationem petere , hâcque obtentâ est approbatus , per se loquendo , pro tota Diœcesi : Beneficium enim parochiale à Trid. ponitur pro universali approbatione. Unde si consentiant alii Parochi , potest ubique in Diœcesi audire Confessiones , & tempore Jubilæi audire alienos. Porrò per approbatos vi talis Beneficii intelliguntur omnes, qui ordinariam habent in sæculares jurisdictionem , ùt sunt Episcopi , Vicarii Generales, Abbates habentes jurisdictionem quasi Episcopalem ; non tamen Abbates alii , nec Regularium Provinciales , Rectores , Priores , &c. quia in rigore non veniunt nomine Parochi; Parochus enim est , qui authoritate Episcopi præ-

Præfectus est Ecclesiæ Parochiali, ut populum pascat, verbo Dei, & Sacramentis. Ex dictis sequitur, eum, qui vi tantùm Beneficii Parochialis est approbatus, si desinat esse Parochus, non manere approbatum.

QUÆSTIO IV.

A quo Episcopo approbatio haberi, seu Confessarius debeat esse approbatus?

346. *Quis possit approbare?* Certum est, quòd approbare possit solus Episcopus, aut qui habet jurisdictionem Episcopalem in sæculares, ùt Capitulum sede vacante, Abbates habentes jurisdictionem quasi Episcopalem: hanc autem habent in ordine ad approbandum, qui habent Diœcesin nulli Episcopo subjectam, vel qui solent dispensare in votis, visitare Parochias, excommunicare, jungere Matrimonio, non autem saltem vi officii Archidiaconi. An Nuntius Apostolicus possit approbare pro sua provincia, dubium est, multi affirmant. Cæterùm Episcopus potest approbare per se, vel per alium, quando est electus, & confirmatus, etsi necdum consecratus, non tamen nisi subditum saltem ad tempus ratione loci. Quæritur, à quo Episcopo Confessarius debeat esse approbatus?

Resp. Per se loquendo, debet esse approbatus ab Episcopo Diœcesis, in qua excipiendæ sunt Confessiones Sæcularium. *Ratio est;* quia ad Episcopum pertinet, ne quis in sua Diœcesi Confessiones audiat, non approbatus ab ipso, tanquam ad id idoneus; sicut ad Magistratum civilem pertinet, ne Medicus sine ejus

ejus licentia in urbe medicinas præscribat. Quemadmodum enim Medicus inidoneus posset nocere corporibus; ità Confessarius animabus, quarum cura incumbit Episcopo: nam Confessarius, pro uno loco reputatus idoneus, potest pro alio loco inidoneus esse. Dein, si à quocunque Episcopo approbatus, posset ubique audire Confessiones, sequeretur conflictio jurisdictionum, & limites Diœcesium confunderentur. *Suar. Con. & alii* tenent, necessariam esse approbationem Episcopi, cui eam petens subest, eò quòd approbatio sit actus jurisdictionis; hic autem exerceri non possit, nisi in subditum. At verò, si sermo sit de Episcopo, cui subest approbandus ratione stabilis domicilii in ejus Diœcesi, jam non posset Sacerdos Diœcesis Moguntinæ, in Trevirensi ad tempus existens, approbari ab Episcopo Trevirensi, quod *Lugo* ait esse inauditum; si verò sermo sit etiam de Episcopo, cui, quemadmodum de jure communi potest, Sacerdos se subdit, quoad sacras functiones, & administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, in ejus Diœcesi exercendam, utì AA. illius sententiæ exponunt; jam coincidunt cum nostra sententia. *Viva* & alii docent, requiri, & sufficere, quòd Confessarius sit approbatus ab Episcopo pœnitentis, eò quòd ad Episcopum spectet, ne quis ejus subditum audiat, nisi ab eo judicatus fuerit idoneus: verùm, licèt requiratur approbatio saltem tacita illius Episcopi, ea tamen universim non sufficit, aliàs in hac Diœcesi Trevirensi approbatùs, alibi existens, posset quoscunque hinc ad se venientes absolvere sine approbatione Episcopi loci, in quo Confessiones audit, id quod tamen non admittitur, præsertim, si ibi habitet.

Dixit

le non habeant; sint tamen velut Parochi hoc ipso, quod ab Episcopo pro administratione Sacramentorum legionibus sunt præfecti, atque ità suam parochiam velut vagam circumducant: ac proinde sicut Parochus, in sua parochia existens, potest suos absolvere; ità & illi inter suos existentes. Unde &, sicut si alieni veniant ad parochiam, Pastor potest eos audire confitentes, & absolvere; ità possit curio Castrensis milites, ex aliena legione ad suam venientes, ex communi Episcoporum, & Missionariorum consensu audire, & absolvere. Idem dicunt de vagis in exercitu, etsi milites non sint. Ità *Layman L.* 5. *tr.* 6. *cap.* 10. *N.* 5. *La Croix L.* 6. *p.* 2. *N.* 1518. ubi ait difficultatem tantùm esse; an, si Missionarius sit regularis, non debeat ob constitutionem Clementis X. mox citandam esse approbatus ab Episcopis omnium Diœcesium, per quas transit, pro negativa affert duorum Doctorum, quos interrogavit, rationes, & ipse quamvis nihil velit definire, adducit rationem jam allegatam, quòd nempe regularis ille sit velut Parochus legionis; adeoque possit quoad eam, quod potest Parochus in sua parochia. Contradicunt tamen alii; quia ex praxi, & consuetudine Ecclesiæ quilibet ibi sortitur parochiam, & Sacerdotem proprium, ubi domicilium, vel quasi domicilium habet. Quare Episcopus, ex cujus Diœcesi discessit Missionarius Castrensis, non potest illi dare jurisdictionem, & approbationem absolvendi milites in alia Diœcesi, in qua permanenter ad longum tempus existunt. Præterea si talis Missionarius posset absolvere, ex eo quod sit quasi Parochus, etiam posset in hibernis

sine

ſine licentia Epiſcopi, & Parochi loci jungere milites Matrimonio; contrarium autem decidit, teſte Schmalzgruber, *Sacra Congregatio* Anno 1677. 1683. 1694. Proin in hac controverſia ſpectanda eſt conſuetudo, mentem Epiſcoporum, quæ diverſa eſſe poteſt, declarans.

QUÆSTIO V.

An Religioſus, approbatus in Diœceſi una, poſſit in alia exiſtens abſolvere ſubditum Epiſcopi, à quo approbatus eſt, ſine approbatione Epiſcopi loci, in quo confitentem audit?

349. *Negativa communior.* Reſp. Si Religioſus permanſurus ſit in Diœceſi hac alia, non poteſt abſolvere talem ſæcularem. Conſtat ex Declaratione Clement. X. quæ incipit *Superna magni Patris &c.* extatque apud La Croix ſub N. 1502. In hac enim decernit Papa Religioſos, ab Epiſcopo ad Confeſſiones ſæcularium in ſua Diœceſi audiendas approbatos, non poſſe in alia Diœceſi eas audire abſque Epiſcopi Diœceſani approbatione, quamvis pœnitentes ſubditi ſint illius Epiſcopi, à quo ipſi Religioſi jam fuerant approbati. An autem hoc idem dicendum ſit, ſi Religioſus ſit tranſeunter in alia Diœceſi, ùt, ſi Religioſus in Trevirenſi approbatus exiſtat tranſeunter v. g. in Moguntina, in qua approbatus non eſt? Negant *Platelus*, *Reiffenſtuel*, *Sporer*, *Pichler L. 5. Tit. 38. N. 236. Schmalzgr. L. 4. Tr. 4. N.* 224.

224. *Taberna*, & alii. Horum ratio est; quia de jure communi voluntaria jurisdictio in alieno territorio exerceri potest, nec Clemens X. ei quoad Religiosum derogavit: nam nunquam fuit quæstio, an Religiosus habitans in Diœcesi A possit absolvere in Diœcesi B, in qua est transeunter, subditum Episcopi Diœcesis A, à quo est approbatus; sed tantùm quærebatur 1mò, An Religiosus, approbatus ab uno Episcopo; censeatur vi Tridentini ubique approbatus? 2. An Religiosus ubique possit in Confessarium eligi vi Bullæ Cruciatæ, & contrà decisum est, uti habetur apud *Cardenam Diss.* 2. *N.* 263. 267. *&c.* Clemens autem inhæsit Decretis suorum Antecessorum, uti apertè habetur in ejus declaratione apud La Croix N. 1503. apud eos autem nostra quæstio agitata non fuit: unde prædicti A.A. inferunt, Sacerdotes Societatis JESU, ab aliquo Ordinario semel approbatos, posse, dum iter agunt per alias Diœceses, audire Confessiones quorumcunque Sæcularium, exceptis locis, in quibus Ordinarii existunt, & dummodo Parochi non repugnent; id enim habet Societas JESU vi Bullæ Greg. XIII. *decet Romanum Pontificem.* Quo privilegio, ùt innuit *Lugo D.* 21. *N.* 47. simus subditi, & censemur approbati ab Ordinario, in cujus Diœcesi existimus, putanturque Pontifices, qui videntur illam facultatem revocare, loqui tantùm de facultate audiendi Confessiones permanenter, non verò solùm transeunter. Oppositum tenet La Croix, & alii, eò quòd verba Constitutionis Clementinæ sint negativa, & generalia, requirantque, ut Regularis sit approbatus ab Episcopo loci;

in quo audit Sæcularium Confessiones, præscindendo, an in eo existant transeunter, vel permanenter, adeoque nos ea non debere restringere ad existentes permanenter in ea Diœcesi, præsertim cùm Pontifex revocet omnia quali & quomodocunque data privilegia in contrarium. Ad hæc tamen dici potest, spectandam esse simul materiam Pontifici propositam, quæ videtur diversa fuisse ab hac quæstione nostra, & privilegium toti Religioni concessum esse favorabile, adeoque quod contra illud pugnat, velut odiosum esse restringendum, uti cum *Suar.* docet *Bonac. Reiffenstuel*, habetque communis.

QUÆSTIO VI.

An Parochus vi Beneficii Parochialis censeatur approbatus pro tota Ecclesia ?

550. *Affirmativa communior.* Resp. Videtur esse approbatus pro tota Ecclesia, adeoque quocunque in loco posse audire Fidelium Confessiones, si accedat jurisdictio, concessa ab Episcopo, vel Parocho. Ità *Suar. Lugo*, & alii communiùs; quia Trid. ponit Beneficium Parochiale pro titulo universalis approbationis, sic, ùt Parochi censeantur approbati ab omnibus Episcopis consensu tacito, & legali, sicut publici Ministri Ecclesiæ à jure, accedente consensu Episcoporum, deputati; secùs ac ii, qui Beneficium Parochiale non habent: *Confr.* jure antiquo erant Parochi pro tota Ecclesia approbati, hocque Trid. circa eos invariatum reliquit: proinde possunt ubique audire Confessiones Fidelium,

lium, si ab Ordinario, vel Parocho loci accedat jurisdictio. Atque recepta consuetudo habet, ut in confinio duarum Diœcesium Parochi unius evocent Parochos alterius in subsidium ad audiendas Confessiones in majoribus solennitatibus.

Resp. 2. Probabiliùs Parochus non est approbatus vi Beneficii Parochialis pro tota Ecclesia, sed solùm pro Diœcesi sua. Ità *Laym. L. 5. Tr. 6. Cap. 11. N. 8. Guttier, Roderiquez, Sa*, & alii. Ratio à priori est; quia Parochus non approbatur ab Ecclesia universali; sed tantùm ex dispositione Trid. à suo Episcopo, ipsi parochiam conferènte, cujus solius judicium, & examen requiritur; ergo non est censendus approbatus, nisi pro Diœcesi Episcopi sui. Antecedens probatur. Inprimis non approbatur ab omnibus Episcopis tacito, & legali consensu: nam ad eos pertinet, à quibus dirigantur, & pascantur eorum oves; sæpe autem idoneus pro uno loco non est idoneus pro alio, cùm in diversis locis sint diversæ consuetudines, peccatorum reservationes, alia statuta, commercia, alius hominum genius: unde meritò possunt esse inviti, excipi suorum Confessiones ab aliquo, quem non cognoverint idoneum. Imò meritò quandoque timere possunt, ne aliqui Episcopi sint nimis faciles in admittendis ad excipiendas Confessiones; sicque quandoque admittant minùs idoneos. Et hinc S. Congreg. Episcopo Abulensi Anno 1593. respondit, Parochum unius Diœcesis, non posse vigore Jubilæi eligi in Confessarium in alia sine approbatione Ordinarii loci, & Trid. suprà dixit nullum posse audire Confessiones, nisi approbatum ab

351. *Negativa probabilior.*

ab Episcopis. Excipe tamen, nisi alicubi consuetudo vigeat, ut unius Diœcesis Parochus in alia possit ad requisitionem Parochi in hac audire Confessiones: tum enim adest tacitus Episcoporum consensus, & unus alterius approbationem ratam habet.

QUÆSTIO VII.

An Approbatus pro Diœcesi censeatur approbatus pro Monialibus?

552. *Non est ad audiendas in claustris.*

Resp. Pro illis audiendis in claustris non est approbatus sed eget speciali approbatione Episcopi, sive jam Moniales exemptæ sint, sive non: sic enim statuit Greg. XV. in Constit. *Inscrutabili.* quam roborat Clemens X. per Constitutionem, quæ incipit: *Superna magni Patris.* suprà relata, vigetque in his partibus.

Dixi: *In claustris*: nam si Moniales cum licentia degant extra monasterium, v. g. Eleëmosynæ, aut suos invisendi causâ, & à Superioribus suis licentiam habeant cuicunque confitendi; possunt audiri à non approbato, specialiter pro illis: nam licèt Greg. in Constitutione sua velit Confessarium pro illis esse specialiter approbatum, videtur intelligendus de Confessario Monialium, degentium in claustris: supponit enim juxta alias Constitutiones Moniales semper esse in claustris. Nec obstat Constitutio Clementis X. quia non videtur ponere novum jus; sed solùm declarare, & roborare Constitutiones priorum Pontificum, utì indicant verba Constitutionis §. *Nos attendentes*; ergo de Monialibus extra claustra degentibus non loquuntur Pontifices, consequen-

ſequenter cùm non ſit recedendum à jure antiquo, niſi quatenus per novum exprimitur, poſſunt tales abſolvi à non ſpecialiter approbatis. Id quod ſaltem valet per Epiikiam in Germania, ubi ſæpe diu abſunt à monaſteriis, & vix habent pro iis ſpecialiter approbatum: neque enim approbatus pro uno monaſterio, ideo approbatus eſt pro alio; non eſt autem credibile Papam velle, eos tanto tempore carere Sacramentis Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ. *La Croix N.* 1527.

Porrò, ut audiantur in clauſtris etiàm à ſpecialiter approbatis exemptæ, præter approbationem Epiſcopi requiritur licentia Superiorum Ordinis, cujus ſunt illæ exemptæ; quia approbans non intendit derogare Privilegiis Ordinum, vi quorum non poſſunt ejuſmodi regulares confiteri, niſi Confeſſariis à Superiore deputatis. *La Croix* 1532. Quare Abbatiſſa non poteſt ſibi eligere Confeſſarium non approbatum pro Monialibus, nec exempta ſive licentia Abbatis, cui ſubeſt, approbatum: conſtitutio enim illa Papæ principaliter favorem intendit, ut nempe moniales diſcretum habeant animarum directorem, quo Abbatiſſa maximè eget. V. La Croix N. 1534.

QUÆSTIO VIII.

Quando Epiſcopus approbationem negare, limitare, & revocare poſſit?

Reſp. Negare eam poteſt, & debet, quan- 553.
do admiſſus ad examen invenitur inidoneus: *Poteſt*
nam Trid. ideo requirit examen, ut inidonei *ex juſta*
rejiciantur; ſi autem admiſſus ad examen re- *cauſa*
periatur idoneus, non poteſt ſine injuria ei ne- *negare.*
gari; quia licèt poſſit Epiſcopus non admit-

tere ad examen, admittendo tamen init contractum eum examinando, sicut aliàs in concursu: examinandus enim æquivalenter dicit: subjicio me examini, ut, si reperiar idoneus, approber. Episcopus verò dicit: admitto te ad examen, ut, si inveniaris idoneus, te approbem: unde facto examine, & repertâ idoneitate, approbatio non est favor, sed sententia.

Resp. 2. Potest quoque Episcopus approba-
354. tionem limitare ad certas personas, tempus, lo-
Limi- ca, & peccata, & quidem validè sine causa, &
tare. licitè ex justa causa? quia concessio pendet ab ejus voluntate, nec Pontifex supplet defectum, sed supponit adesse causam justam.

Causæ autem justæ sunt hæ: 1ma, si pro nunc approbandus habeat sufficientem scientiam, sed meritò major desideratur pro approbatione perpetua. 2da. Si prudenter timeatur, ne ùt sæpe fit, semel approbatus in perpetuum, negligat studium, per oblivionem evadat ineptus, aut saltem minus aptus. 3tia. Ut probetur, si necdum constet, an principia generalia bene applicet in praxi, an fortè sit heteroclitus, nimiùm laxus, aut severus. Atque ob has, similesque causas potest Episcopus etiam Parochorum approbationem limitare ad certum tempus: etsi enim hi hoc ipso, quòd Beneficium Parochiale accipiant, dicantur à jure approbari, hoc tamen non fit, nisi dependenter ab examine, & judicio Episcopi, qui sicut potest ineptos repellere, sic minùs aptos ad tempus tantùm approbare: hæc enim facultas ei necessaria est ad rectum animarum regimen, consequenter nullo jure negari potest; aliàs, quod concessum est in ædificationem, cederet in destructionem.

Resp.

Resp. 3. Potest etiam Episcopus approbationem, etiamsi illimitatè datam, ex justa causa revocare, uti, si approbatus esset nimis laxus, vel nimis rigidus, mali exempli &c. quia ad Episcopum pertinet cura suarum ovium; proinde facultas esse illi debet, ut oportet illis prospiciendi.

Dixi: *Ex justa causa*: nam sine hac illicitè revocaret: est enim approbatio quædam donatio, quæ acceptata sine causa licitè non potest revocari. Imò non desunt, qui teneant, sine causa approbationem illimitatè datam Regulari, non posse validè revocari; quia Cap. *Accepimus.* de qualitate & ætate ordinandorum dicitur: *Semel idoneus reputatus debet pro tali haberi semper, aliâ causâ non interveniente*, & Clemens X. in Bulla: *Superna.* statuit, Regulares, ab Episcopo illimitatè approbatos, non posse ab eodem, nisi superveniente causâ, quæ ipsas Confessiones concernat, revocari ad examen, vel suspendi ab audiendis Confessionibus. At, si Regularis revocetur ad examen, frustra se opponet: Episcopus enim præsumitur habere justam causam, statque pro ejus authoritate possessio. Vide *P.* 1. *à N.* 167. in Analysi. 355. *Revocare.*

QUÆSTIO IX.

Quibus modis cesset Approbatio, & Jurisdictio?

Resp. Approbatio, & Jurisdictio delegata regulariter cessat, & perseverat pro beneplacito concedentis. Hinc 1mò cessat, si revocetur, modò revocatio approbato & delegato inti- 356. *Regulariter pendet à*

intimetur, & innotescat subditis. 2. Cessat, si constet, tempus concessionis effluxisse. 3. Si approbans, vel delegans tantùm ad tempus vitæ suæ moriatur, & mors innotescat; quia, ùt approbatio, & jurisdictionis concessio, ità ejus perseverantia pendet à voluntate concedentis, & approbantis; si autem mors; vel revocatio communiter ignoretur; approbatio & jurisdictio adhuc perseverat ex Cap. *Si prabendam*, Donec innotescat; quia, si illa ignorentur, est error communis cum titulo, & concedens debuit velle dare, donec revocatio, vel mors innotesceret, aliàs imprudenter egisset, Fideles exponendo periculo invalidè suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ. 4. Si concessa sit hoc modo: *Quamdiu mihi visum fuerit, vel usque ad beneplacitum*, exspirat morte concedentis per Cap. *Si gratiosè. De rescriptis in 6.* quia beneplacitum non censetur post mortem durare, secùs esset, si dictum fuisset: *Ad beneplacitum Sedis Apostolica*: quia hæc non moritur, sed per successionem Pontificum perseverat. Si verò dictum fuisset. *Donec revocavero*, non exspiraret morte concedentis: quia, ut tunc exspiret, requiritur actus positivus, qui præcisè per mortem non habetur. 5. Si indefinitè sit concessa, non exspirat morte concedentis; quia facultas absolvendi est gratia facta Confessario, quæ statim perfectè acquiritur; gratiæ autem factæ non exspirant morte concedentis, ex Cap. *Si cui in 6.* Et *Ratio est*; quia est quædam donatio, quæ non finitur morte donantis absolutè. Jura, quæ afferuntur in contrarium, loquuntur de facultate concessa pro foro contentioso, ùt, si quis denominetur Judex ad terminan-

voluntate concedentis, & modo concedendi.

minandam aliquam controversiam : hæc enim exspirat morte concedentis, quando res adhuc est integra, seu Judex necdum cœpit uti suâ jurisdictione: non verò intelligenda sunt jura de facultate gratiosa ad forum internum pertinente, uti facultas dispensandi in votis & impedimentis Matrimonii, quia est gratia facta, dum conceditur in gratiam delegati; secùs, si detur in gratiam tertii pro arbitrio delegati exequenda secundùm dicta P. 1. N. 211. 6. Si moriatur Parochus, non ideo cessat approbatio, & jurisdictio delegata Sacellano, vel Vicario, eum in finem approbato, ut juvet Parochum; quia non approbatur præcisè ratione Parochi, sed Fidelium loci, & jurisdictio etiam est immediatè ab Episcopo. An facultas assistendi Matrimonio, delegata Sacellano à Parocho v. g. ægrotante, exspiret morte Parochi, spectanda consuetudo. In Trevirensi talis Sacellanus pro cura primaria vicaria, mortuo Parocho debet se iterum sistere examini, & facultatem regendi obtinere. 7. Approbatus titulo Parochiæ, si hanc dimittat, non censetur ampliùs approbatus, ùt dictum supra. 8. Jurisdictio Vicarii Episcopi, hujus morte exspirat; quia est moraliter eadem cum jurisdictione Episcopi. 9. Si Regularis, v. g. in Trevirensi approbatus, mutet Diœcesin, non ideo desinit ejus approbatio Treviris obtenta; hinc nisi tempus concessionis sit elapsum, si huc redeat, non indiget novâ approbatione, idque verum est, sive ab ipso Episcopo expressè, sive à suis Superioribus ex facultate, ab Episcopo obtentâ, sit approbatus; quia, dum Superiores approbant, approbat Episcopus, & Regularis exemptus jurisdictionem habet à Pa-

pa, quæ licèt sit suspensa, usque dum accedat approbatio Episcopi, hanc tamen si Episcopus semel dederit, functus est suo officio, habentque Regulares jurisdictionem omnino expeditam, & inimpedibilem ab Episcopo conformiter dictis. 10. Jurisdictio cessat quandoque per Censuram, de quo vid. 1. P. *De Censuris n.* 274.

QUÆSTIO X.

An licet uti Jurisdictione dubiâ, vel tantùm probabili in pœnitentem, vel ejus peccatum?

357. *Licet, dum Ecclesia supplet.* Resp. 1. Si jurisdictio sit merè dubia absque positiva probabilitate, non licet eâ uti, nisi in casu necessitatis proximi, quo extra articulum mortis absolvendus esset sub conditione. 2. Si verò sit vera pro ea probabilitas juris, quæ æquivaleat errori communi, licet eâ uti conformiter dictis N. 47. quia tunc Ecclesia supplet. 3. Si pœnitens confiteatur peccatum grave, ad quod remittendum Confessarius tantùm probabilem habet jurisdictionem, putat *Lugo, Sanch. Cardenas*, si addatur leve, in quod certò adest jurisdictio, certum esse, quòd Confessarius validè & licitè absolvat: Sacramentum enim non exponitur periculo nullitatis, nec ponitur obex gratiæ; quia remittitur veniale directè, & mortale saltem indirectè. juxta *Gobat* in tali casu non est procedendum sine aliqua necessitate; quia, si desit jurisdictio, à mortali directè non absolvitur, adeoque manet obligatus pœnitens ad peccatum illud iterum confitendum pro absolutio-

lutione directa; si non adderetur peccatum, in quod certa sit jurisdictio, non liceret absolvere extra casum necessitatis.

CAPUT VII.

De Jurisdictionis, & Approbationis restrictione à certis peccatis, seu de casibus reservatis.

QUÆSTIO I.

Quid sit Reservatio?

RESP. Reservatio est negatio, seu non concessio jurisdictionis ad absolvendum ab aliquo, vel aliquibus peccatis. Facultas reservandi competit omni Superiori, habenti jurisdictionem ordinariam, qui, sicut potest dare jurisdictionem in omnia subditi sui peccata, ab altiori potestate non reservata, ità & negare potest in aliqua inferiori. Unde 1. Papa reservare sibi potest aliqua peccata in tota Ecclesia. 2. Episcopus in sua Diœcesi. 3. Parochus in sua Parochia, nisi ab Episcopo detur jurisdictio, à quo, quia communiter datur, consuetudo non habet, ut Parochi sibi peccata reservent. Habent quidem Parochi suam jurisdictionem à Papa, sed subordinatam Episcopis, ac si essent Vicarii ab ipsis positi, habent & Regulares exempti suam immediatè à Papa, sed non expeditam, nisi secundum approbationem Episcopi. Unde hic sibi reservare potest casus, à quibus Religiosi,

358. *Est restrictio jurisdictionis.*

Qui possint reservare casus?

si, & Parochi sine facultate, ab ipso obtentâ, nequeant absolvere. 4. Prælati Regulares reservare possunt, per se loquendo, in suis Ordinibus certa peccata. Causa autem reservandi est, ut homines, videntes difficiliorem remissionem, à certis peccatis gravioribus deterreantur.

QUÆSTIO II.

Quænam requirantur ex consuetudine Ecclesiæ, ut peccatum censeatur reservatum?

359. *1. Peccatum mortale formale.* Resp. Requiruntur sequentia. 1. Ut sit mortale: nam, cùm venialia non sunt materia necessaria Confessionis, sed possint aliis multis modis expiari, in iisque finis reservationis cesset, non reservantur: hinc, qui commisit peccatum, etiam in materia gravi, si defectu plenæ advertentiæ non sit mortale, reservatum non est. 2. Ut sit in sua specie internum: hinc, qui externè tantùm negavit fidem, non incurrit casum reservatum hæresis: etsi enim talis peccaverit graviter contra præceptum profitendi fidem, in foro tamen interno non est Hæreticus, & pœnam, Hæreticis statutam, in eo non incurrit; etsi in foro externo præsumatur Hæreticus.

Completum ac tu exter. no gravi 3. Ut sit simul externum, quia, licèt Ecclesia peccata merè interna reservare posset, negando jurisdictionem, illa tamen non reservat, sed tantùm simul externa; quia hæc reservare ad bonum commune animarum ordinariè sufficit. Imò nec satis est, quòd actus externus denominetur malus mortaliter ab-

actu

actu interno mortali, sed insuper actus externus debet esse objectivè graviter malus: hinc, si furtum grave ex loco sacro esset reservatum, & aliquis grave quid volens furari ex eo, furaretur tantùm quid leve, aut volens graviter percutere Clericum, percuteret tantùm leviter, vel volens successivè furari summam gravem, hodie furaretur quid leve, non incurreret casum reservatum: reservatio enim cadit præcipuè in actum externum malum, ac proinde requirit actum externum objectivè graviter malum. Præterea actus externus debet esse talis *secundùm dicta p. 1. n. 266.* ut ducat in cognitionem interni: si enim esset indifferens, eumque non indicaret, casum reservatum non constitueret. *La Croix L. 6. p. 2. n.* 1655.

4. Requiritur, ut peccatum, nisi aliud exprimatur, sit externè in sua specie consummatum, & eo modo, quo à lege reservante exprimitur, ùt, si dicatur, quitemerè, scienter, præsumptuosè id fecerit, debet esse eo modo factum & completum in sua specie: verba enim legis sumenda sunt cum effectu, & debet esse peccatum simpliciter tale: Quare, si fornicatio reservaretur, non incurretur reservatio, nisi per copulam perfectam. *In sua specie & modo expresso.*

5. Requiritur, ut peccatum sit certum, & certò reservatum: nam, cùm reservatio sit odiosa, odia autem sint restringenda, non censentur peccata reservata, nisi in sua specie certa, certoque reservata. Quod verum quoque est de reservatis in Bulla Cœnæ: licèt enim Clemens VIII. à 1601. prohibuerit absolvere à casibus, etiam dubiè contentis in Bulla Cœnæ, attamen 29. Sept. 1602. in alio decreto de eadem re omisit illa duo adverbia: *clarè,* *Certum, certoque reservatum.*

& *du*

& *dubiè*, adeoque videtur priùs revocâsse, inquit Viva in damnatam tertiam ab Alexandro VII. scribens. Cæterum, si pœnitens, vel Confessarius dubitet, an peccatum sit reservatum, tenetur inquirere: inscitia enim Confessarii non facit non esse reservatum, nec ei dat jurisdictionem. Aliud esset, si dubium foret cum ratione probabili pro non reservatione. Item, si dubitaretur, an peccatum sic sit commissum, ùt requirit reservatio. In hoc casu, si ùt sic dubium esset confessus pœnitens non habenti facultatem in reservata, & postea sciretur esse sic commissum, non esset opus denuò confiteri; quia jurisdictio in dubio non erat restricta. *Nec obstat*, quòd peccatum dubium fortè in foro externo habeatur pro reservato; quia in hoc, quando actus externus est positus, internus præsumitur.

QUÆSTIO III.

An peccati reservationem incurrat ignorans eam?

360. *Reservatio triplex.* *Nota.* Reservatio triplex considerari potest. 1*ma*. Purè pœnalis, quæ fit tantùm ex motivo vindicandi delictum: talis de facto vix datur. 2*da*. Purè medicinalis, quæ fit in bonum Communitatis tantùm ex motivo homines deterrendi à peccatis: talis hodiedum est, quæ nullam annexam habet Censuram, vel aliam pœnam Ecclesiasticam. 3*tia*. Mixta, quæ fit ex motivo delictum vindicandi, & ab eo deterrendi: talis est juxta *Gobat*, quæ annexam habet Censuram; juxta *Castrop.* per quam delictum specialiter prohibetur, & punitur.

tur. Et hæc passim pœnalis dicitur. Quæ autem sit purè medicinalis, quæ pœnalis, ex verbis decreti reservantis colligendum est. *Hoc notato*

Resp. Reservatio purè medicinalis incurritur ab ignorante; non vero pœnalis ab ignorante pœnam inculpabiliter v.g. excommunicationem; secùs, si pœnam sciverit, etsi ignoraverit reservationem. 351.

Incurritur ab ignorante reservatio me[illegible]

Ratio 1mæ partis est; quia reservatio est restrictio jurisdictionis, quâ sublatâ absolutio non subsistit, etsi pœnitens id ignoraverit.

Ratio 2dæ partis est; quia pœna ab ignorante non incurritur, consequenter nec reservatio ob illam facta. Imò, si diceretur, qui sciens fecerit, excusaret ignorantia etiam culpabilis; quia deficeret conditio requisita ad reservationem incurrendam. *Vide p. 1. n. 225.*

Ratio 3tiæ partis est; quia reservatio secundùm se est potiùs medicina, quàm pœna; proinde, si pœna incurratur, incurritur & reservatio, etsi ignorata ipsius pœna, & quamvis unica pœna, quam peccatum sit reservatum; tamen, una reservatione sublatâ, tollitur, & altera. Hinc casus Papæ reservati non incurruntur ab ignorantibus, vel non advertentibus suam pœnam, dum peccant. Idem est, si ignorant metum, vel aliam causam non incurrentis Censuræ. *Ita Lugo. De Pœnitent. Disp. 29. S. 2. N. 125. & alii apud La Croix hic N. 1614.* Quicunque *Sanct. & Tamb.* aliud dicendum tenent de casibus ab Episcopo, vel Prælato Regulari, adjectâ etiam censurâ, reservatis, eò quòd horum mens sit, ut incurratur reservatio, etsi Censura non incurratur: Censuram enim dicuntur addere, ut reservatio sit gravior, & difficilior. Hic animadvertunt *Sporer, Burchaber* & alii, qui [illegible] *igno-*

quuntur de casibus, à Papa, & Episcopis reservatis; quia reservatio pœnalis sequitur naturam legis pœnalis, quæ pœnam ignoranti non imponit. Hæc sententia, saltem in illis, quæ à jure reservatione pœnali Episcopo reservantur, vera est

QUÆSTIO IV.

An valeat Reservatio facta sine justa causa?

362. *Regulariter valet.* Resp. Facta sine justa causa à Summo Pontifice illicita quidem est, attamen valida; quia ab ipso pendet omnium aliorum jurisdictio, neque transit unquam in dominium absolutum eorum, quibus confertur. An idem dicendum de reservatione facta per Episcopos, dubium est. Affirmat universaliter Suar. Lugo & alii, eò quòd aliàs daretur subditis occasio eludendi reservationem, cavillando causæ sufficientiam. His consentiunt Becanus & alii; si habenti tantùm delegatam jurisdictionem sine causa negetur, vel subtrahatur facultas absolvendi à certis peccatis; secùs verò, si subtrahatur habenti jurisdictionem ordinariam. *Ratio 1mæ partis est*; quia jurisdictio, gratis, & ex mero beneplacito concessa, semper validè, & faciliùs revocari potest licitè, cùm non transeat in jus absolutum alterius. *Ratio 2dæ partis est*; quia habenti jurisdictionem ordinariam v. g. Pastori debetur ratione muneris potestas competens, fitque injuria, si sine justa causa restringatur. V. Anal. n. 167.

* * *

QUÆS-

QUÆSTIO V.

Qui sint Casus tum Pontifici, tum Episcopis reservati?

Resp. Casus Pontifici reservatos retuli P. 1. N. 282. 283. reservatos verò Episcopis stabili jure cum annexa Censura ibidem N. 289. Præter illos solent Episcopi sibi quosdam specialiter reservare, qui videndi sunt in libris Agendorum cujusvis Diœcesis, solentque approbandis in Tabella tradi. 363. *Sunt varii.*

In hac Archi-Diœcesi Trevirensi Episcopo reservati sunt sequentes:

1. *Enormis blasphemia in Deum, vel Sanctos in loco publico.* 364. *Reservati Episcopo in Trevirensi Diœcesi.*

2. *Abusus sacræ Hostiæ, Chrismatis, Olei sacri, vel cujusve rei sacræ ad sortilegium, divinationem, incantationem, aliosve usus magicos.*

3. *Perjurium Clerici, attactis sanctis Evangeliis in judicio.*

4. *Crimen incendiarii, excisio notabilis segetis, arborum fructiferarum, vitium, vinearum ex odio tertii, vel communitatis.*

5. *Crimen falsarium tam monetæ, quàm literarum, seu instrumentorum publicorum.*

6. *Sodomia, bestialitas, congressus carnalis cum dæmone.*

7. *Commixtio Sacerdotis cum filia spirituali.*

8. *Homicidium voluntarium, quamvis oc-*

cultum, & exhortatio, ex qua commissum est homicidium.

9. *Depulsio fœtûs sive animati, sive inanimati.*

10. *Percussio enormis parentum.*

11. *Matrimonium, à sciente, conjugem suam, vel alterius contrahentis adhuc vivere, contractum.*

Circa hos Casus juvat notare sequentia.

1. Per crimen incendiarii intelligitur etiam incendium, mandato efficaciter procuratum; quia is propriè incendiarius est. Si autem remotè sit procuratum, dubitatur, an sit casus reservatus, proin in partem benigniorem interpretatio est facienda. Cæterùm, quando reservatio simpliciter fertur in facientes, non intelliguntur mandantes, nisi id exprimatur.

2. Per Sodomiam ordinariè intelligitur sodomia perfecta, proprieque dicta, tam agentis, quàm patientis.

3. Per commixtionem sacerdotis cum filia spirituali intelligitur copula perfecta carnalis cum filia ex baptismo, vel confirmatione. An etiam copula sacerdotis cum sua pœnitente, dubium est: Pro parte negativa est, tum quod pœnitens non sit proprie filia spiritualis secundùm dicta P. 2. N. 316. tum quia, quod quis facile exprimere potuit, & non expressit, lege sua non voluisse comprehendere censetur, præsertim, si sit non levis momenti; quare cum reservatio sit odiosa non videtur extendenda ultra propriam verborum significationem. Pro parte affirmativa est, quod pœnitens, saltem ordi-

ordinaria, dicatur vulgari sermone filia spiritualis, legislator autem, cùm dirigat legem suam ad subditos, accommodet se communi modo loquendi, cúmque in dubio censeatur lege sua comprehendere, adeoque non fiat extensio, sed censeatur casus lege comprehensus. Dixi *saltem ordinaria*: Nam mulier, sacerdoti semel iterumque per accedens confessa, non dicitur etiam vulgari loquendi modo filia ejus spiritualis. Pars affirmativa videtur probabilior.

4. Per homicidium intelligitur etiam lethalis percussio, vel vulneratio, ex qua mors sequitur.

5. Nomine percussionis parentum venit etiam trusio, projectio lapidum in illos: Nomine parentum autem venit etiam avus, & avia, non tamen socer, & socrus; nec juxta Arsdekin contra Chapeaville vitricus, & noverca.

QUÆSTIO VI.

Quis possit absolvere à Reservatis?

Resp. In articulo mortis potest quivis Sacerdos absolvere à quibuscunque peccatis, & censuris; extra articulum mortis à reservatis Episcopo absolvere potest Episcopus, ejus Superior, Successor potestate ordinariâ; potestate verò delegatâ omnes, quibus ab ipso, vel ejus Superiore, vel Successore facultas concessa est, à reservatis Papæ possunt absolvere, quibus est facultas absolvendi a Censuris ipsi reservatis. *Prima pars* constat ex *Trid. Sess. 14. de pœn. cap. 7.*

365. *Reservans, ejus Superior & cui ab his specialis est potestas.*

& ex 1. p. n. 303. & idem est de periculo mortis secundùm dicta *supra* 343. modo alius approbatus non adsit: tum enim juxta communiorem absolvere non posset non approbatus, & juxta hanc probabiliùs, uti dictum P. 1. N. 303. constitutus in articulo mortis non absolvitur à suspensiore reservata, si facultas ad id non sit extra illum Sacerdoti; quia causa concessionis pro articulo mortis cessat, cùm non obsit saluti. Porrò absolutus in articulo mortis non tenetur se postea sistere Superiori, si casus non habet annexam Censuram reservatam; secùs verò, si eam annexam habeat secundùm dicta P. 1. loc. citato. Ubi & dixi, ad quæ obligandus sit pœnitens, si convalescat, vel periculum mortis evadat. *Pars 2da* per se patet. Superior enim, & Successor Episcopi non habet minorem potestatem, quàm ipse. *Pars 3tia* constat ex 1. P. ibidem. Ubi tamen notandum, quòd habens potestatem absolvendi à reservatis Papæ non ideo habeat potestatem absolvendi ab iis, si & Episcopus eadem sibi reservavit, patet ex damnata 12. *ab Alex. VII. exposità in Analys. n.* 178. Denique, qui in Trevirensi Diœcesi accepit facultatem absolvendi à reservatis, non potest absolvere à percussione Clerici in Jure Episcopo reservatâ, nec suam complicem in peccato carnali. Imo *Bened. XIV.* ab eo sustulit potestatem absolvendi eam etiam in articulo mortis à quocunque peccato inhonesto contra sextum præceptum, si alius, etsi non approbatus, sine gravi incommodo haberi possit. Qui Casus sint reservati in Religionibus, quisque ab iis possit absolvere, discat Religiosus ex suo instituto, & documentis domesticis.

QUÆS-

QUÆSTIO VII.

Quomodo intelligenda sit concessio delegatæ facultatis absolvendi à reservatis?

Resp. Intelligitur ex sequentibus. 1. Si Superior dicat: *Committo tibi omnem facultatem meam*, non extenditur ad casus reservatos, nisi id verbis, aut aliis indiciis exprimatur; quia in generali concessione non comprehenduntur, quorum specialis est ratio. 2. Si dicat Sacerdoti, habenti facultatem absolvendi à non reservatis: *Concedo tibi facultatem in omnes casus*, censetur concessa facultas in reservatos: aliàs enim frustra esset concessio. 3. Si verò dicat: *Concedo tibi facultatem absolvendi à peccatis, & censuris etiam reservatis*, facultas illa non extenditur ad Censuras, ab homine latas specialiter in personam, vel communitatem determinatam; quia turbaretur ordo tribunalium, & regimen Superiorum; secùs, si lata esset per legem, vel ab homine generatim v. g. quicunque hoc fecerit. 4. Quando in Jubilæo conceditur generalis facultas absolvendi à quibuscunque peccatis, & censuris, non intelliguntur reservata; quia specialiter excepta specialem requirunt concessionem. Si autem addatur generaliter: *etiam à reservatis Sedi Apostolicæ*, non intelliguntur Casus Bullæ Cœnæ; quia specialiter reservantur. Si denique addatur: *etiam à Casibus Bullæ Cœnæ*, putant *Sanch. Lugo D. 20. N. 162. Viva de Jubilæo Q. 11. A. 1.* non comprehendi hæresin, nisi signanter exprimatur; sed contradicunt alii, tenetque Tanne-

366. *Colligitur ex tenore concessionis.*

 rus,

si, & Parochi sine facultate, ab ipso obtentâ, nequeant absolvere. 4. Prælati Regulares reservare possunt, per se loquendo, in suis Ordinibus certa peccata. Causa autem reservandi est, ut homines, videntes difficiliorem remissionem, à certis peccatis gravioribus deterreantur.

QUÆSTIO II.

Quænam requirantur ex consuetudine Ecclesiæ, ut peccatum censeatur reservatum?

359. *1. Peccatum mortale formale.* Resp. Requiruntur sequentia. 1. Ut sit mortale: nam, cùm venialia non sunt materia necessaria Confessionis, sed possint aliis multis modis expiari, in iisque finis reservationis cesset, non reservantur: hinc, qui commisit peccatum, etiam in materia gravi, si defectu plenæ advertentiæ non sit mortale, reservatum non est. 2. Ut sit in sua specie internum: hinc, qui externè tantùm negavit fidem, non incurrit casum reservatum hæresis; etsi enim talis peccaverit graviter contra præceptum profitendi fidem, in foro tamen interno non est Hæreticus, & pœnam, Hæreticis statutam, in eo non incurrit; etsi in foro externo præsumatur Hæreticus.

Completum ac tu exter. no gravi 3. Ut sit simul externum, quia, licèt Ecclesia peccata merè interna reservare posset, negando jurisdictionem, illa tamen non reservat, sed tantùm simul externa; quia hæc reservare ad bonum commune animarum ordinariè sufficit. Imò nec satis est, quòd actus externus denominetur malus mortaliter ab-

actu

actuinterno mortali, sed insuper actus externus debet esse objectivè graviter malus : hinc, si furtum grave ex loco sacro esset reservatum, & aliquis grave quid volens furari ex eo, furaretur tantùm quid leve, aut volens graviter percutere Clericum, percuteret tantùm leviter, vel volens successivè furari summam gravem, hodie furaretur quid leve, non incurreret casum reservatum : reservatio enim cadit præcipuè in actum externum malum, ac proinde requirit actum externum objectivè graviter malum. Præterea actus externus debet esse talis *secundùm dicta p. 1. n. 266.* ut ducat in cognitionem interni : si enim esset indifferens, eumque non indicaret, casum reservatum non constitueret. *La Croix L. 6. p. 2. n. 1655.*

4. Requiritur, ut peccatum, nisi aliud exprimatur, sit externè in sua specie consummatum, & eo modo, quo à lege reservante exprimitur, ùt, si dicatur, quis temerè, scienter, præsumptuosè id fecerit, debet esse eo modo factum & completum in sua specie : verba enim legis sumenda sunt cum effectu, & debet esse peccatum simpliciter tale : Quare, si fornicatio reservaretur, non incurretur reservatio, nisi per copulam perfectam. *In sua specie & modo expresso.*

5. Requiritur, ut peccatum sit certum, & certò reservatum : nam, cùm reservatio sit odiosa, odia autem sint restringenda, non censentur peccata reservata, nisi in sua specie certa, certoque reservata. Quod verum quoque est de reservatis in Bulla Cœnæ : licèt enim Clemens VIII. à 1601. prohibuerit absolvere à casibus, etiam dubiè contentis in Bulla Cœnæ, attamen 29. Sept. 1602. in alio decreto de eadem re omisit illa duo adverbia : *clarè,* *Certum, certoque reservatum.*

& du-

& *dubiè*, adeoque videtur priùs revocâsse, inquit Viva in damnatam tertiam ab Alexandro VII. scribens. Cæterum, si pœnitens, vel Confessarius dubitet, an peccatum sit reservatum, tenetur inquirere: inscitia enim Confessarii non facit non esse reservatum, nec ei dat jurisdictionem. Aliud esset, si dubium foret cum ratione probabili pro non reservatione. Item, si dubitaretur, an peccatum sic sit commissum, ùt requirit reservatio. In hoc casu, si ùt sic dubium esset confessus pœnitens non habenti facultatem in reservata, & postea sciretur esse sic commissum, non esset opus denuò confiteri; quia jurisdictio in dubio non erat restricta. *Nec obstat*, quòd peccatum dubium fortè in foro externo habeatur pro reservato; quia in hoc, quando actus externus est positus, internus præsumitur.

QUÆSTIO III.

An peccati reservationem incurrat ignorans eam?

360. *Reservatio triplex.* *Nota*. Reservatio triplex considerari potest. *1ma*. Purè pœnalis, quæ fit tantùm ex motivo vindicandi delictum: talis de facto vix datur. *2da*. Purè medicinalis, quæ fit in bonum Communitatis tantùm ex motivo homines deterrendi à peccatis: talis hodiedum est, quæ nullam annexam habet Censuram, vel aliam pœnam Ecclesiasticam. *3tia*. Mixta, quæ fit ex motivo delictum vindicandi, & ab eo deterrendi: talis est juxta *Gobat*, quæ annexam habet Censuram; juxta *Castrop.* per quam delictum specialiter prohibetur, & punitur.

tur. Et hæc passim pœnalis dicitur. Quæ autem sit purè medicinalis, quæ pœnalis, ex verbis decreti reservantis colligendum est. *Hoc notato*

Resp. Reservatio purè medicinalis incurritur ab ignorante; non vero pœnalis ab ignorante pœnam inculpabiliter v. g. excommunicationem; secùs, si pœnam sciverit, etsi ignoraverit reservationem. 361. *Incurritur ab ignorante reservationem.*

Ratio 1mæ partis est; quia reservatio est restrictio jurisdictionis, quâ sublatâ absolutio non subsistit, etsi pœnitens id ignoraverit.

Ratio 2dæ partis est; quia pœna ab ignorante non incurritur, consequenter nec reservatio ob illam facta. Imò, si diceretur, qui sciens fecerit, excusaret ignorantia etiam culpabilis; quia deficeret conditio requisita ad reservationem incurrendam. *Vide p. 1. n. 225.*

Ratio 3tiæ partis est; quia reservatio secundùm se est potiùs medicina, quàm pœna; proinde, si pœna incurratur, incurritur & reservatio, etsi ignorata ipsius peccati, & quamvis tam pœna, quam peccatum sit reservatum; tamen, una reservatione sublatâ, tollitur, & altera. Hinc casus Papæ reservati non incurruntur ab ignorantibus, vel non advertentibus ad pœnam, dum peccant. Idem est, si propter metum, vel aliam causam non incurratur Censura. *Ità Suar. De Pænitent. Disp. 29. S. 2. N. 11. & alii apud La Croix hic N. 1614.* Qui cum *Storz & Tamb.* aliud dicendum tenet de casibus ab Episcòpo, vel Prælato Regulari, adjectâ etiam censurâ, reservatis, eò quòd horum mens sit, ut incurratur reservatio, etsi Censura non incurratur: Censuram enim dicuntur addere, ut reservatio sit gravior, & difficilior. His contradicunt Sporer, Burchaber & alii, qui pariformiter loquun-

quuntur de casibus, à Papa, & Episcopis reservatis; quia reservatio pœnalis sequitur naturam legis pœnalis, quæ pœnam ignoranti non imponit. Hæc sententia, saltem in illis, quæ à jure reservatione pœnali Episcopo reservantur, vera est

QUÆSTIO IV.

An valeat Reservatio facta sine justa causa?

362. *Regulariter valet.* Resp. Facta sine justa causa à Summo Pontifice illicita quidem est, attamen valida; quia ab ipso pendet omnium aliorum jurisdictio, neque transit unquam in dominium absolutum eorum, quibus confertur. An idem dicendum de reservatione facta per Episcopos, dubium est. Affirmat universaliter Suar. Lugo & alii, eò quòd aliàs daretur subditis occasio eludendi reservationem, cavillando causæ sufficientiam. His consentiunt Becanus & alii, si habenti tantùm delegatam jurisdictionem sine causa negetur, vel subtrahatur facultas absolvendi à certis peccatis; secùs verò, si subtrahatur habenti jurisdictionem ordinariam. *Ratio 1ma partis est*; quia jurisdictio, gratis, & ex mero beneplacito concessa, semper validè, & faciliùs revocari potest licitè. cùm non transeat in jus absolutum alterius. *Ratio 2da partis est*; quia habenti jurisdictionem ordinariam v. g. Pastori debetur ratione muneris potestas competens, fitque injuria, si sine justa causa restringatur. *V. Anal. n. 167.*

* * *

QUÆS-

QUÆSTIO V.

Qui sint Casus tum Pontifici, tum Episcopis reservati?

Resp. Casus Pontifici reservatos retuli P. 1. N. 282. 283. reservatos verò Episcopis stabili jure cum annexa Censura ibidem N. 289. Præter illos solent Episcopi sibi quosdam specialiter reservare, qui videndi sunt in libris Agendorum cujusvis Diœcesis, solentque approbandis in Tabella tradi. 363. Sunt varii.

In hac Archi-Diœcesi Trevirensi Episcopo reservati sunt sequentes:

1. *Enormis blasphemia in Deum, vel Sanctos in loco publico.* 364. Reservati Episcopo in Trevirensi Diœcesi.

2. *Abusus sacræ Hostiæ, Chrismatis, Olei sacri, vel cujusve rei sacræ ad sortilegium, divinationem, incantationem, aliosve usus magicos.*

3. *Perjurium Clerici, attactis sanctis Evangeliis in judicio.*

4. *Crimen incendiarii, excisio notabilis segetis, arborum fructiferarum, vitium, vinearum ex odio tertii, vel communitatis.*

5. *Crimen falsarium tam monetæ, quàm literarum, seu instrumentorum publicorum.*

6. *Sodomia, bestialitas, congressus carnalis cum dæmone.*

7. *Commixtio Sacerdotis cum filia spirituali.*

8. *Homicidium voluntarium, quamvis oc-*

cultum, & exhortatio, ex qua commissum est homicidium.

9. *Depulsio fœtûs sive animati, sive inanimati.*

10. *Percussio enormis parentum.*

11. *Matrimonium, à sciente, conjugem suam, vel alterius contrahentis adhuc vivere, contractum.*

Circa hos Casus juvat notare sequentia.

1. Per crimen incendiarii intelligitur etiam incendium, mandato efficaciter procuratum; quia is propriè incendiarius est. Si autem remotè sit procuratum, dubitatur, an sit casus reservatus, proin in partem benigniorem interpretatio est facienda. Cæterùm, quando reservatio simpliciter fertur in facientes, non intelliguntur mandantes, nisi id exprimatur.

2. Per Sodomiam ordinariè intelligitur sodomia perfecta, proprieque dicta, tam agentis, quàm patientis.

3. Per commixtionem sacerdotis cum filia spirituali intelligitur copula perfecta carnalis cum filia ex baptismo, vel confirmatione. An etiam copula sacerdotis cum sua pœnitente, dubium est: Pro parte negativa est, tum quod pœnitens non sit proprie filia spiritualis secundùm dicta P. 2. N. 316. tum quia, quod quis facile exprimere potuit, & non expressit, lege sua non voluisse comprehendere censetur, præsertim, si sit non levis momenti; quare cum reservatio sit odiosa non videtur extendenda ultra propriam verborum significationem. Pro parte affirmativa est, quod pœnitens, saltem ordi-

ordinaria, dicatur vulgari sermone filia spiritualis, legislator autem, cùm dirigat legem suam ad subditos, accommodet se communi modo loquendi, cúmque in dubio censeatur lege sua comprehendere, adeoque non fiat extensio, sed censeatur casus lege comprehensus. Dixi *saltem ordinaria*: Nam mulier, sacerdoti semel iterumque per accedens confessa, non dicitur etiam vulgari loquendi modo filia ejus spiritualis. Pars affirmativa videtur probabilior.

4. Per homicidium intelligitur etiam lethalis percussio, vel vulneratio, ex qua mors sequitur.

5. Nomine percussionis parentum venit etiam trusio, projectio lapidum in illos: Nomine parentum autem venit etiam avus, & avia, non tamen socer, & socrus; nec juxta Arsdekin contra Chapeaville vitricus, & noverca.

QUÆSTIO VI.

Quis possit absolvere à Reservatis?

Resp. In articulo mortis potest quivis Sacerdos absolvere à quibuscunque peccatis, & censuris; extra articulum mortis à reservatis Episcopo absolvere potest Episcopus, ejus Superior, Successor potestate ordinariâ; potestate verò delegatâ omnes, quibus ab ipso, vel ejus Superiore, vel Successore facultas concessa est, à reservatis Papæ possunt absolvere, quibus est facultas absolvendi a Censuris ipsi reservatis. *Prima pars* constat ex *Trid. Sess. 14. de pæn. cap. 7.* 365. *Reservans, ejus Superior & cui ab his specialis est potestas.*

& ex 1. *p. n.* 303. & idem est de periculo mortis secundùm dicta *supra* 343. modo alius approbatus non adsit : tum enim juxta communiorem absolvere non posset non approbatus, & juxta hanc probabiliùs, uti dictum P. 1. N. 303. constitutus in articulo mortis non absolvitur à suspensiore reservata, si facultas ad id non sit extra illum Sacerdoti ; quia causâ concessionis pro articulo mortis cessat, cùm non obsit saluti. Porrò absolutus in articulo mortis non tenetur se postea sistere Superiori, si casus non habet annexam Censuram reservatam ; secùs verò, si eam annexam habeat secundùm dicta P. 1. loc. citato. Ubi & dixi, ad quæ obligandus sit pœnitens, si convalescat, vel periculum mortis evadat. *Pars 2da* per se patet. Superior enim, & Successor Episcopi non habet minorem potestatem, quàm ipse. *Pars 3tia* constat ex 1. P. ibidem. Ubi tamen notandum, quòd habens potestatem absolvendi à reservatis Papæ non ideo habeat potestatem absolvendi ab iis, si & Episcopus eadem sibi reservavit, patet ex damnata 12. *ab Alex. VII. expositâ in Analys. n.* 178. Denique, qui in Trevirensi Diœcesi accepit facultatem absolvendi à reservatis, non potest absolvere à percussione Clerici in Jure Episcopo reservatâ, nec suam complicem in peccato carnali. Imo *Bened. XIV.* ab eo sustulit potestatem absolvendi eam etiam in articulo mortis à quocunque peccato inhonesto contra sextum præceptum, si alius, etsi non approbatus, sine gravi incommodo haberi possit. Qui Casus sint reservati in Religionibus, quisque ab iis possit absolvere, discat Religiosus ex suo instituto, & documentis domesticis.

QUÆS-

QUÆSTIO VII.

Quomodo intelligenda sit concessio delegatæ facultatis absolvendi à reservatis?

Resp. Intelligitur ex sequentibus. 1. Si Superior dicat : *Committo tibi omnem facultatem meam*, non extenditur ad casus reservatos, nisi id verbis, aut aliis indiciis exprimatur; quia in generali concessione non comprehenduntur, quorum specialis est ratio. 2. Si dicat Sacerdoti, habenti facultatem absolvendi à non reservatis : *Concedo tibi facultatem in omnes casus*, censetur concessa facultas in reservatos : aliàs enim frustra esset concessio. 3. Si verò dicat : *Concedo tibi facultatem absolvendi à peccatis, & censuris etiam reservatis*, facultas illa non extenditur ad Censuras, ab homine latas specialiter in personam, vel communitatem determinatam ; quia turbaretur ordo tribunalium, & regimen Superiorum; secùs, si lata esset per legem, vel ab homine generatim v. g. quicunque hoc fecerit. 4. Quando in Jubilæo conceditur generalis facultas absolvendi à quibuscunque peccatis, & censuris, non intelliguntur reservata ; quia specialiter excepta specialem requirunt concessionem. Si autem addatur generaliter : *etiam à reservatis Sedi Apostolicæ*, non intelliguntur Casus Bullæ Cœnæ; quia specialiter reservantur. Si denique addatur : *etiam à Casibus Bullæ Cœnæ*, putant *Sanch. Lugo D.* 20. *N.* 162. *Viva de Jubilæo Q.* 11. *A.* 1. non comprehendi hæresin, nisi signanter exprimatur ; sed contradicunt alii, tenetque Tanne-

366. *Colligitur ex tenore concessionis.*

sus, non esse dubium pro Germania, & hæresin, & lectionem librorum hæreticorum comprehendi cùm in Germania hic casus sit frequens, & ferè unicus per Bullam Cœnæ reservatus. 5. Si Parochus habeat facultatem suos absolvendi à reservatis, potest ipse in reservatum lapsus alteri committere, ut ab eo absolvatur. Itá habet sententia satis communis, & sumitur ex declaratione Cardin. *apud Suar. hic Disp.* 30. S. 2. qui responderunt, posse Episcopos suo Confessario facultatem dare ipsos absolvendi à reservatis, à quibus Episcopi possunt suos subditos absolvere. Et ratio est, tum quia æquitas naturalis postulat, ut Episcopus, & Parochus non sint deterioris conditionis, quam subditi; tum quia facultas absolvendi, vel dispensandi, pro tota communitate ratione officii concessa, est quasi ordinaria, & Episcopus in præsenti casu transferr à se reservationem in Parochum pro tota communitate ejus, habens autem jurisdictionem quasi ordinariam pro communitate, eam delegare potest alteri, ùt & ipse absolvatur quia & is in communitate comprehenditur. Aliud foret si in concessione facultatis certæ personæ essent determinatæ: Ad alias enim tunc quæ illâ non comprehenderentur, extendi non deberet. Ita Laym. L. 5. T. 6. Cap. 1. N. 17. Suar. Disp. 30. S. 2. Sanchetz de Matrimonio D 3. N. 10. L. 4. Moral. Cap. 37. N. 41. Roderiquetz, & alii.



QUÆS-

QUÆSTIO VIII.

Quæ præterea circa absolutionem à Reservatis sint observanda?

Resp. 1. Lapsus in peccatum reservatum debet convenire præditum facultate absolvendi ab eo. Hoc si nequeat, nec urgeat necessitas, vel causa gravis, non potest confiteri alteri; sed per contritionem perfectam restituat se statui gratiæ. Si autem urgeat necessitas, vel causa gravis, v. g. obligatio celebrandi, vel communicandi, aut absque scandalo, vel gravi detrimento, v. g. famæ, vitæ, &c. Confessio omitti non possit; potest confiteri Sacerdoti inferiori approbato peccatum aliud, & simul indirectè absolvi à peccato reservato cum obligatione habenti facultatem illud postea confitendi pro absolutione directa accipienda: Absolutio enim directa à mortalibus non est de essentia Sacramenti nec semper de præcepto. An autem tunc sit obligatio simul confitendi reservatum non habenti facultatem ab eo absolvendi, controvertitur. Negat probabiliùs Suar. quia carens potestate in reservatum non est Judex respectu illius. Quodsi peccatum non esset reservatum, nisi dum est publicum, quale censetur, si in communitate, vel vicinia, vel etiam in domo, constante decem personis, notum sit plerisque, ùt habet *La Croix hic N.* 1656. & quis absolvatur ab eo adhuc occulto per Confessarium, non habentem facultatem in reservata, manet absolutus pro foro 367. *Conveniendus præditus facultate.*

 inter-

interno, dum fit publicum, nec tenetur se sistere Superiori. Item si homicidium fit reservatum, & is, qui alterum lethaliter vulneravit, confiteatur ante mortem vulnerati, non habenti facultatem in reservatum, non tenetur denuò confiteri; quia necdum aderat reservatio. *La Croix N.* 1694.

368. *Quid, si non possit, & sit necessitas celebrandi?* Resp. 1. Quando est necessitas communicandi, vel celebrandi v.g. ad avertendum scandalum, vel infamiam gravem declinandam, lapsus in reservatum, si adhuc alio mortali gravetur, tenetur hoc confiteri etiam carenti facultate in reservatum, etsi hoc annexam haberet censuram reservatam excommunicationis. *Ratio est*; quia juxta *Trid. Sess.* 13. *Cap.* 7. nullus peccati mortalis sibi conscius absque Sacramentali Confessione, si copiam Confessarii habeat, ad S. Eucharistiam accedere debet, quantumvis sibi contritus videatur. *Confirmatur*, si pluribus mortalibus gravatus justam causam habeat unum non confitendi, tenetur alia confiteri, dum vult, vel hic & nunc debet communicare; ergo à pari.

Dixi 1. *Si adhuc alio mortali gravetur*: Nam si nullius, nisi reservati reus esset, non teneretur in illo casu confiteri, modò de contritione satis certus esset; quia non haberet materiam necessariam, à qua directè absolvi posset. Si autem contritioni suæ diffideret, per accidens teneretur aliud peccatum confiteri pro statu gratiæ recuperando ante Eucharistiæ sumptionem. Dixi 2. *Etsi hoc annexam haberet censuram excommunicationis etiam reservatam*; quia præceptum Ecclesiæ, prohibens excommunicato usum Sacramenti, tunc non obligat. Et quamvis tunc censura maneat, pecca-

peccatum in ratione culpæ indirectè remittitur alia confesso.

Resp. 3. Si Pœnitens habenti potestatem in reservata confiteatur bonâ fide reservatum, sed inculpabiliter oblitus dolorem elicere invalidè absolvatur à peccatis, reservatio est sublata, & satisfacit postea peccata illa confitendo carenti potestate in reservata; quia satisfecit fini reservationis: stitit enim se Superiori, vel ejus delegato pro accipienda magis fructuosa directione, magisque salutari Pœnitentia: unde non apparet, cur Confessarius, cùm possit, nollet reservationem tollere. Imò cùm intentio hanc tollendi debeat præcedere intentionem absolvendi à peccatis, censeri debet eam velle tollere. Idem dicunt multi: si Pœnitens inculpabiliter oblivisceretur confiteri reservatum, negant tamen id alii; eò quòd non satisfiat fini reservationis. Prima sententia tamen non improbabilis. Secùs foret, si Pœnitens malâ fide procederet: nemini enim debet fraus sua patrocinari; unde non potest præsumi Confessarium habere intentionem tollendi reservationem. Secùs ac si Pœnitens bonâ fide procedat, meritòque speretur se emendaturus, tunc enim finis reservationis ex parte saltem obtinetur, memorque dein Pœnitens peccati omissi; & reservationis admonitus deterrebitur ab iterando illo peccato. 369. *Absolutio invalida an tollit reservationem.*

Resp. 4. Non potest Superior, auditis tantùm reservatis, pœnitentem absolvere, eumque remittere ad alium, ut illi reliqua mortalia confiteatur, & ab iis absolvatur; est enim integra mortalium Confessio præcepta jure divino in ordine ad absolutionem, adeoque sicut non licet sine justa causa dimidiare Confessionem, 370. *Absolutio non est dimidianda.*

nem, sic nec absolutionem: hinc si Superiori non vacaret audire omnia, deberet vel tollere per se sine absolutione Sacramentali reservationem, hâcque sublata mittere Pœnitentem ad alium, cui omnia confessus absolvatur; vel alteri delegare jurisdictionem in reservata, & per Pœnitentem hanc delegationem, vel reservationis sublationem illi intimare.

371. *Absolutio peregrini à reservatis.* Resp. 5. Si Pœnitens, lapsus in reservatum in sua Diœcesi, peregrinus veniat in aliam Diœcesin, in qua id non est reservatum, potest à quolibet in ea approbato ibi absolvi: reservatio enim non extendit se ultra Diœcesin, & Peregrini gaudent privilegio loci, in quo degunt. Excipe, nisi Confessarius noverit, Pœnitentem in fraudem reservationis in alienam Diœcesin pro obtinenda absolutione migrâsse. Ità statuit Clem. VIII. in Bulla de privilegiis Regularium, & innovavit Clem. X. in Constit. *Superna.* Idem est, si Pœnitens esset nominatim excommunicatus. Ratio horum est; quia aliàs Superiorum sententiæ facilè contemnerentur. Si verò Pœnitentis grave peccatum non esset in ejus Diœcesi reservatum, & confiteretur in Diœcesi, ubi est reservatum, an possit absolvi à non habente in reservata facultatem, dubium est: pro sententia negante est; quia hujus Confessarii jurisdictio est restricta & pœnitens debet judicari ut incola: pro affirmativa est; quia absolvit vi delegatæ jurisdictionis ab Episcopo, qui peccatum id non reservat. Sententia prima communior, & probabilior est. Denique si quis, obtentâ licentiâ, & facultate absolutionis à reservatis ante absolutionem relabatur in reservatum, an ab hoc vi prioris concessionis possit absolvi, collig

colligendum est ex verbis, & mente præsumpta concedentis: si enim petitio fuit determinata ad certa peccata jam commissa, licentia non extendit se ad alia; si autem petitum fuit, ut posset aliquem Pœnitentem absolvere à reservatis, facultas extendit se ad commissa post obtentam facultatem, idque verum est, etsi Pœnitens ex confidentia illius gratiæ sæpiùs peccâsset, ità *La Croix hic N.* 1092. *Sanch, Lugo, Dicastillo*, & alii. Idem tenent, si quis committat reservatum; quia jam est Jubilæum, vel habet privilegium, ut absolvatur &c. quia tale peccatum nullibi excipitur. *La Croix ibidem & N.* 1451.

CAPUT VIII.

De Sigillo, aliisque Obligationibus Confessarii.

QUÆSTIO I.

Quid sit Sigillum Confessionis Sacramentalis?

Resp. Est obligatio non manifestandi unquam in ullo casu ea, quæ accepta sunt ex Confessione Sacramentali, & quorum manifestatio Sacramentum redderet odiosum. Ità A. A. communiter. Vocatur obligatio illa Sigillum; quia sicut literæ, quarum contentum occultum cupimus, obsignantur certo instrumento, quod Sigillum dicitur, nec aperiendæ sunt, sic dicta in Confessione habentur clausa, 572. *Definitio.*

clausa, & abscondita cæteris, obligatione tacendi.

Dicitur autem 1mò. *Obligatio* : puta gravissima ; quia nunquam leve est Sacramentum Pœnitentiæ, quod in hominum salutem institutum est, fieri hominibus odiosum. Ex defectu tamen plenæ advertentiæ poterit violatio Sigilli esse veniale tantùm, uti & ex eo secundùm Arriagam, quòd præbeantur prorsus tenuia tantùm indicia suspicandi delictum aliquod Pœnitentis.

Dicitur 2. *Non manifestandi :* id est nec directè, nec indirectè, indirectè autem manifestaretur, si diceretur, quòd Pœnitens non sit absolutus, vel remissus ad Superiorem, vel acceperit gravem Pœnitentiam. Unde illicitum est Confessario, comitanti reos ad supplicium, dicere de uno eorum, quòd fuerit innocens ; quia sic indirectè suspicionem saltem movet, quòd alii fuerint nocentes. Ità quoque periculosum est, unum ex paucis pœnitentibus, de quibus sermo est, præ cæteris laudare, commendare, &c.

Dicitur 3. *Unquam*, id est, nec vivo, nec mortuo Pœnitente : aliàs enim Confessio fieret valde odiosa, cùm nolimus etiam post mortem malè audire, unde cognita Sacramentaliter æterno sunt silentio sepelienda.

Dicitur 4. *In nullo casu*; quia sigillum obligat quocunque casu, periculo, damno occurrente, non solùm proprio, sed etiam alieno, & excidio omnium regnorum. Unde permittenda sunt potiùs quævis sacrilegia, invalidæ Confessiones, à tuo Pœnitente faciendæ, collatio invalida Ordinum, quàm sigillum frangendum.

Di-

Dicitur 5. *Ex Confessione Sacramentali*; quia ex omni illa, & sola oritur ista obligatio silendi. Dicitur autem Confessio Sacramentalis, quæ fit animo accipiendi absolutionem Sacramentalem, sive jam Confessio illa sit completa, sive inchoata, sive valida, sive invalida, sive detur absolutio, sive differatur, aut negetur. Unde

1mò. Si quis accideret pedibus ejus, quem falsò, sed bonâ fide putaret Sacerdotem; vel apud Sacerdotem carentem jurisdictione, aut approbatione, vel utraque præditum se accusaret animo, ut ipse agnoscens defectum attritionis, vel propositi dirigatur, & adjuvetur, à Sacerdote ad obtinendum perfectiorem contritionem, & dispositionem pro absolutione, talis Confessio, quamvis absolutio non detur, aut detur invalida, inducit obligationem sigilli. Idem est, si talem adiret consilii causâ pro pacanda conscientia volendo confiteri, si opus fuerit, quamvis nunc re ipsâ absit debita dispositio; quia est Confessio inchoativè, vel saltem reductivè Sacramentalis. 375. *Corollaria.*

2. Si Confessio fieret etiam Sacerdoti animo decipiendi, tentandi, irridendi, Confessarium, vel Sacramentum; vel animo non accipiendi absolutionem, non oritur obligatio sigilli Sacramentalis. Sic & non oritur, si velit tantùm consilium pro avertenda infamia, vel alio modo temporali, sicut &, si nullo peccato dicto, accedat volens habere schedam Confessionis; quia confessus non est. Et in his casibus monendus, quòd non oriatur sigillum Confessionis, licèt oriatur obligatio secreti naturalis. Sed quid, si quis Sacerdoti nolenti audi-

audire narret peccata? Oriri obligationem sigilli tenet *Lugo*, sicut oritur Laico, qui audit invitus confitentem Sacerdoti. Negat tamen id *Suarez*. Si quis accuset se de peccatis non cupiens absolutionem, vult Lugo, posse negare schedam Confessionis, quod verum est, si constet, quòd non soleat dare aliis. Secùs Layman dicit dandam, si soleat dare aliis; quia negare in talibus circumstantiis est saltem indirectè dicere, quòd non sit ritè confessus, vel non absolutus. Denique si quis Laico confiteretur, sciens esse talem, putaret tamen, se posse ab illo absolvi, tenet *Suar. Vasquez*, & alii contra *Hurt. Navar. La Croix*, non oriri obligationem sigilli Sacramentalis; quia, cùm talis error non tantùm esset facti, sed etiam juris, non posset revelatio exinde orta homines sufficienter retrahere à Confessione.

QUÆSTIO II.

Quo jure inducta sit gravissima illa obligatio Sigilli?

574. *Variæ sententiæ.* Etsi certum sit ex traditione, & consensu totius Ecclesiæ, quòd nullo casu liceat aperire accepta ex Sacramentali Confessione; incertum tamen est, unde oriatur strictissima illa obligatio. Aliqui putant ex eo oriri, quòd Sacerdos revelans Confessionem &c. mentiretur: cum id, quod ex Confessione scitur, non sciat ùt homo, sed ùt Deus, ùt loquitur *S. Th. in Suppl. Q.* 11. *A.* 1. *ad* 1. Postea autem manifestaret ùt homo, sed hoc non subsistit: nam casus esse potest, in quo non mentiretur, ùt, si diceret, se scire ut gerentem

vices

vices Dei, nunc autem manifestare ut hominem. Item si revelet cum licentia pœnitentis, nullum est mendacium. Dein si tantùm ratione mendacii esset, ergo, si quis revelaret veniale, in Confessione auditum, peccaret tantùm venialiter, quod falsum est. 2. Alii dicunt ex eo esse, quòd revelatio illa opponatur significationi Sacramenti, eò quòd hoc significet peccata tegi, & aboleri, sicque efficiat, ut peccata se habeant, quasi nec sint, nec fuerint; sed nec hoc subsistit: nam sic non liceret revelare quidquam etiam cum venia pœnitentis, nec licita foret Confessio publica pœnitentis. Dein licebit revelare peccatum, cujus absolutio data non est: si impœnitens illi immoriatur, vel urgeat bonum publicum: tale enim peccatum nec tegitur, nec tollitur per Sacramentum. 3. Alii dicunt, scientiam, ex Confessione haustam, esse sacram, & Ordinis Superioris, adeoque illicitè ordinari ad alios fines extrinsecos inferiores. Nec hoc subsistit; quia sic saltem licebit revelare, ut vitetur relapsus pœnitentis, ut conservetur vera fides in regno aliquo, Denique res superioris Ordinis potest aliquando licitè ordinari ad bonum Ordinis inferioris, v. g. Sacrificium Missæ ad recipiendam sanitatem corporis pro fine honesto

Resp. Strictissima illa obligatio inducta est jure naturali divino. *Ratio est*; quia supposita Sacramenti, ùt nunc institutum est, institutione, & Confessionis præcepto ipsa rei natura exigit, ut nullo casu liceat revelare accepta ex Confessione Sacramentali: Cujus ratio est; quia, si in ullo casu liceret, Sacramentum hoc redderetur odiosissimum, ab eo averg 375. *Oritur ex jure divino, & naturali.*

averterentur fideles, & ejus fructu frustraretur Ecclesia: nam si aliquo casu liceret, pœnitentes meritò timerent, ne hìc & nunc esset casus, quo liceret, Confessariisque aperiretur via, ut existimarent, hìc & nunc licere, uti Epiikia; reverentia ergo Sacramento debita, & finis ejus exigit, ut nullo casu liceat. *Confirmatur:* Ideo mendacium jure naturali est illicitum, ità, ut in nullo casu liceat; quia alliàs fingerent facilè sibi homines alios casus similes, quibus licere mentiri tenerent, sicque Respublica humana turbaretur. Item ideo pollutio jure naturali illicita est; quia, si ullo casu liceret, homines, in carnis vitium propensi, facilè judicâssent, hìc & nunc esse casum licentiæ, sicque permissio gravissimè nocuisset educationi prolium, & generis humani propagationi, Ordinique in Republica humana. Ergo à pari. Hanc solam rationem *Lugo* & alii censent esse sufficientem ad strictissimam illam obligationem; *Vasq. Arr. Gormaz* censent esse simul ex præcepto Christi nolentis ullo casu licere revelare accepta vi Confessionis Sacramentalis. Saltem ergo ex utroque illo capite est strictissima illa obligatio.

Dixi: *Strictissima illa obligatio*: quia obligatio, Secretum servandi simul est ex justitia, & fidelitate; dum enim pœnitens aperit Confessario peccata sua, init tacitum contractum, ut Confessarius taceat, quasi dicendo: aperio tibi peccata mea, ut me absolvas, & serves secretum; & Confessarius admittens Confessionem ejus repromittit, se ea facturum. At obligatio illa, quatenus præcisè oritur ex justitia obligante ad secretum, non ità obligat, ut nullo casu exceptionem patiatur: quia secre-

tum

tum naturale non ità obligat, ut ne ex graviſſimis cauſis, ſaltem bonum commune concernentibus, id liceat revelare. Dein etiam obligatio eſt ad ſecretum ex præcepto Eccleſiæ, ſed nec illa ità graviter præcipere poteſt, ut nullo caſu liceret, ſi non eſſet aliunde intrinſecè malum, aut accederet præceptum Chriſti. Ex his deduco

376. *Frangens ſigillum triplicem malitiam contrahit.* Qui frangit Sigillum Sacramentale, peccat contra religionem, juſtitiam, & fidelitatem; ſicque triplicem malitiam contrahit. Prima eſt ſemper mortalis, etſi leviſſimum ſit, quod revelatur; quia valde odioſum quacunque revelatione ſine expreſſa pœnitentis licentia redditur Sacramentum, quæ eſt graviſſima irreverentia. 2da; & tertia poteſt eſſe venialis, ſi nimirùm tantùm leviter lædatur fama, & jus proximi. Quodſi abſit revelatio peccati, & tantùm reddatur odioſum Sacramentum, putat *Gobat Tr. 7. N.* 884. poſſe dari parvitatem materiæ: eò quòd poſſit eſſe tam leve incommodum pœnitentis, ut Sacramentum non ideo reddatur graviter odioſum, ſed contradicunt alii. Vide *Dominicum Viva in appendice ad propoſitiones damnatas* §.9. *Dub.* 2. Cæterùm debet in Confeſſione addi, an Sigillum ſit fractum in re levi, vel gravi reſpectivè ad perſonam, ut intelligatur, quale peccatum ſit admiſſum contra juſtitiam.

QUÆSTIO III.

Quæ cadant ſub Sigillum Sacramentale?

Reſp. Sub Sigillum cadit omne illud, quod 377.

Nota ex confessione sacramentali, quæ hāc reddunt odiosam

manifestat pœnitens in ordine ad absolutionem à peccatis accipiendam, & cujus revelatio Sacramentum hoc reddere potest grave, & odiosum. *Ratio est;* quia Sigillum inductum est, ne ex metu revelationis retraherentur Fideles ab hoc Sacramento, ergo cùm revelatio talium meritò possit homines retrahere à Confessione, necessariò in ea omne illud cadit sub sigillum.

Unde 1mò cadunt sub sigillum omnia peccata seu vera, seu putata; etsi aliis aliundè nota, uti & proposita peccaminosa, sive executioni data, sive non.

2. Omnes peccatorum circumstantiæ, imò & objecta eorum: sic, si quis dicat se impatienter tulisse, incarcerationem Petri, se gavisum esse de infamia Titii &c. non possunt revelari à Confessario incarceratio Petri, & infamia Titii; quia sunt objecta peccati confessi.

3. Peccata complicis, etsi absque necessitate, & cum peccato essent revelata; ùt docet Suar. quia ex intrinseca occasione Confessionis dicta sunt, imò sic veniri posset in notitiam peccatorum pœnitentis.

4. Pœnitentia pœnitenti injuncta, si talis sit, quæ solet imponi, vel pro mortali, vel pro veniali graviori, aut pluribus venialibus.

5. Defectus manifestati per Confessionem ad explicandam rationem sui peccati, ùt, si pœnitens dicat, se malè suscepisse sacros Ordines, eò quòd sit illegitimus, non posset manifestari, quòd sit illegitimus. Addit *Lugo Disp.* 21. *N.* 60. alios esse defectus cognitos ex Confessione, sive de quibus se accusat pœnitens, & hos nunquam posse manifestari. Alios

Alios in Confessione, quales sunt v. g. si ex modo loquendi advertatur, pœnitentem esse blæsum, surdastrum, hebetis, vel pertinacis ingenii, naturæ irresolutæ, ac molestæ, scrupulosum, ac suis ineptiis, impertinentiis obtundere caput Confessariis, & hos materiam sigilli non esse censet cum Nav. eò quòd pœnitens de his se non accuset. Quod verum est, nisi ea sint talia, ut reddant Confessionem odiosam.

Econtra sub sigillum non cadunt 1mò, virtutes pœnitentis. 2. Peccata aliena, si narrentur merè historicè sine connexione cum peccato proprio. 3. Votum Religionis, propositum nubendi. Secùs esset, si ratione peccati explicandi referrentur. Cavendum tamen scandalum ubique. 4. Ea, quæ pœnitens non ægrè fert sciri, uti, quòd sit uxoratus, Sacerdos, Germanus, &c. 5. Peccata, quæ Acatholicus Prædicanti confitetur, intendens, ut Deus illa tegat; quia talis non credit pœnitentiam esse Sacramentum, nec peccata esse materiam absolutionis. Secùs esset, si exspectaret absolutionem à prædicante, quem ministrum Sacramenti putaret. Semper tamen prædicans tacere tenetur ex justitia. *Ex his deduco.*

1mò. Sigillum frangit, qui rem, sigillo comprehensam, etiam indirectè revelat, v. g. faciendo, aut omittendo aliquid, ex quo alius prudenter suspicari possit, quis sit ille, qui hoc fecerit. Aliud est de suspicione, imprudenti, & temeraria, quæ vitari non potest. Similiter, si narret peccata alicujus personæ, sibi extra Confessionem nota, non potest absque violatione sigilli notitia Confessionis uti ad

378. *Corollaria. De fractione sigilli.*

ad rem magìs individuandam, vel certiùs affirmandam, aut confirmandam.

2. Si de peccato pœnitentis per solam Confessionem sibi noto loquatur cum aliis, qui illud aliunde nôrunt, etiamsi audientes non advertant, quòd ex Confessione loqui incipiat. Lugo

3. Si cum pœnitente citra illius consensum, vel extra Confessionem, vel etiam intra illam cum ejus molestia nec utili, nec necessaria loquatur de rebus aliàs auditis in Confessione; Hæc enim omnia Confessionem reddunt odiosam. Secùs esset, si statim post absolutionem tum præsentem adhuc sibi pœnitentem moneret de re antè sibi non occurrente; quia judicium censetur adhuc durare magìs integrandum, vel si in Confessione hodierna loqueretur in bonum pœnitentis, de rebus in alia Confessione auditis; quia hoc Confessionem odiosam non reddit, & loquitur Confessarius in eodem foro, pertinetque ad ipsum, velut Judicem, & Medicum. Aliud esset, si peccata haberet sub sigillo, non ex eo, quòd ipsi esset pœnitens confessus; quia notitia illa non pertinuit ad hujus Confessarii forum. Lugo.

4. Si diceret: Petro confitenti debui negare absolutionem, vel querenti publicè negatam sibi esse absolutionem, diceret. non potui; quia audientes prudenter suspicari possunt, vel habuisse casum reservatum, vel caruisse proposito emendationis, vel quid simile. Secùs esset, si diceret: negavi absolutionem; quia non est compos mentis, vel, quia puer est, & non attulit materiam sufficientem.

5. Si

5. Si nolit audire eum, quem àliàs erat solitus audire; quia jam putat esse indispositum, aut nolle occasionem peccandi vitare. *La Croix contra Viva in appendice ad damnatas.* §. 9.

6. Si quis diceret, se in tali Monasterio audivisse grave peccatum; quia id satis est ad reddendam ibi Confessionem odiosam. Item, si de oppido, vel urbe exigua diceret, in ea grassari v. g. adulteria, quæ tantùm novit ex Confessione, aut si coram paucis pœnitentibus sibi subditis, v. g. regularibus unius Monasterii concionaretur, de vitiis auditis in Confessione; quia, qui talia confessi sunt, facilè suffunduntur rubore. Item, si immediatus Superior scriberet Provinciali subditos sibi valde molestos esse, casibus reservatis.

7. Si quis pœnitenti tam altè loquatur, ut præsentes intelligere aliquod peccatum possint ex modo loquendi, vel corripiendi. Si injungat pro peccatis occultis gravem pœnitentiam, quam tantùm coram aliis, qui judicare poterunt, esse pœnitentiam, possit peragere; nisi pœnitens expresso, & libero consensu acceptet, vel aliunde teneatur. Vide dicenda N. 396. Dixi: *Prò peccatis occultis*: nam si peccatum fuerit publicum, tenetur pœnitens, nisi rationabilem non acceptandi causam habet, acceptare pœnitentiam publicam, si eam Confessarius, utì tunc potest, velit imponere, nec frangitur sigillum, quia fit consentiente pœnitente, qui tamen recusare poterit, si habeat causam rationabilem.

7. Qui dicit de suo pœnitente: eum nondum absolvi; quia longa Confessio denotat plura peccata, aut indispositionem pœnitentis.

Tamb. contra *Suar.* Excipe, nisi sciretur : Confessionem esse generalem, vel longi temporis, ità, ut pœnitens non ægrè ferret. Si autem pœnitens coram Confessario, & aliis dicat, se abeo non esse absolutum, hoc ipso dat Confessario licentiam hoc ipsum fatendi, attamen non potest ideo dicere causam, cur negata sit absolutio, saltem quæ ullo modo sit odiosa pœnitenti. Si Confessarius diceret. non absolvi defectu materiæ, non frangeret sigillum.

9. Qui dicit : primus, quem audivi, fuit adulter, exponit se periculo frangendi sigillum, quia fieri potest, ut alibi dicat, quæ persona fuerit prima. Idem esse potest, si nude dicat : audivi adulterium ; quia fortè innotescit aliunde adulterium illi, cui hoc dicitur : unde possunt esse circumstantiæ, ut indirectè reveletur.

10. Qui pluribus præsentibus cum pœnitente dicit indeterminatè : unus vestrûm commisit tale peccatum.

11. Parochus intendens pueros absolvere, si publicè convocatos interroget, quid fecerint.

12. Qui dicit, Petrum sibi confessum plura venialia, præsertim in Confessione non generali. plus enim dicere non licet, quàm in genere, quod sufficit ad Confessionem. Si diceret : in genere confessus est veniale, secundùm multos non frangitur sigillum ; quia confitens hoc saltem dicit omnibus, dum confitetur publicè. *La Croix. N.* 1972.

13. Si Cajus verbo, vel facto significâsset, nolle se sciri, quòd sit confessus tibi, v. g. Si accederet noctu, vel clam, ne ab aliis videretur

retur revelando esse confessum, illo modo frangeres sigillum: quia pareres suspicionem gravioris delicti, quod Ordinario suo noluisset confiteri. Idem dicunt quidam de eo, qui videt Confessario extraordinario occultè confitentem, si hoc aliis revelet. Aliud esset, si confessus sit in loco publico; quia hoc ipso licentiam dat Confessario, & aliis videntibus de ejus Confessione, & diuturnitate loquendi.

14. Qui pœnitentem de notis ex Confessione complicis interrogat in iis circumstantiis, in quibus prudens suspicio moveri possit, de ejus Confessione. Secùs, si ità interroget, ut prudentem suspicionem non moveat. *Suar. La Croix.*

15. Si quis peccatorem occultum, priùs confessum, & non absolutum torvo vultu deterreret à Communione; quia exprobraret illi peccatum. Vide tamen *Illsung.* 254. Secùs, si foret peccator publicus: tunc enim, etsi illum non posset arguere falsitatis, si diceret, se absolutum: posset tamen, & deberet publicè petenti negare Eucharistiam, dicendo v. g. Tu quidem confessus es, & ego functus sum meo officio, tamen peccator publicus ad Communionem non admittitur, nisi publicè priùs ostenderit, vitam mutâsse in melius. *Lugo*, *La Croix n.* 1974.

16. Si quis de fure notorio diceret: Confessus est mihi sua furta, frangeret Sigillum. Si autem diceret: Confessus est omnia sua peccata, vult *Diana*, adhuc frangi Sigillum: eò quòd æquivalenter sit dicere in illis circumstantiis, quòd etiam furta sit confessus. Negat tamen *Lugo* & *alii*: nam dici potest à Confessario, quòd sit confessus. Hoc autem est

æquivalenter dicere, quòd sit confessus sua peccata, etiam omnia, quæ judicavit esse confitenda. *La Croix* putat, sine scrupulo dici posse, quòd ritè sit sua peccata confessus; quia communiter non constat, an non aliàs sit confessus Sed hoc non tenet, si in furto deprehensus adduceretur ad carcerem. Potest tamen dici, quòd sit confessus; quia pœnitens petendo, vel admittendo publicè Confessarium, publicè dicit, se confiteri velle.

QUÆSTIO IV.

Quinam præter Confessarium teneantur ad Sigillum?

379. *Omnes, qui habent ex confessione sacramentali, quòd hanc possit reddere odiosã, si reveletur.*

Resp. Ad Sigillum Sacramentale non tantùm obligatur Confessarius; sed etiam omnes illi, ad quos cum vel sine licentia pœnitentis quomodocunque seu mediatè, seu immediatè pervenit notitia alicujus, quod pœnitens in ordine ad absolutionem manifestat, & cujus revelatio reddit Sacramentum odiosum: non tamen ipse pœnitens. Est communis.

Ratio 1ma partis à priori est Voluntas Christi, qui, cùm Sacramentum Pœnitentiæ unum sit ex difficillimis in lege nova, meritò voluit celari omnia, quæ illud difficilius redderent; fieret autem difficilius, si qui præter Confessarium notitiam talis cujusdam vi manifestationis, à pœnitente ad absolutionem factæ, possent revelare. Unde obligatione Sigilli ligatur 1mò interpres, per quem aliquis confitetur; item, per quem voluit confiteri, etsi postea non confiteatur. 2. Laicus fingens se Confessarium, & pœnitentem audiens 3. Superior,

perior, ad quem defertur casus reservatus 4. Vir doctus, qui ex licentia pœnitentis consulitur à Confessario in rebus ad Confessionem pertinentibus. 5. Is, qui vel casu aliquid audit ex Confessione, vel nequiter attendit ad illam: imò & omnes illi, ad quos ex hujus revelatione pervenit immediata notitia talis peccati &c.

Dubitatur hìc, an, qui legit schedam, cui aliquis peccata sua in ordine ad Confessionem inscripserat, teneatur Sigillo? Negat *Castrop. Aversa*, aliique multi; quia obligatio Sigilli nascitur ex actuali Confessione, qualis non est scriptio illa, utpote tantùm facta, ut pœnitens ea sibi manifestet, & memoriâ teneat. Affirmant alii non pauci cum *Navarr.* quia talis scriptio fit propter Confessionem, & reipsa videtur esse inchoata Confessio. Si mutus per talem schedulam esset confessus peccata illi inscripta, juxta omnes forent materia Sigilli, eam legens teneretur Sigillo, uti &, si alius schedam tradidisset Confessario, & hic eam perdidisset, & repertam legeres, *La Croix hic n.* 1953.

Ratio 2dæ partis est; quia, cùm Sigillum sit in favorem pœnitentis, potest is tollere ejus obligationem, sicut, licèt sigillum Epistolarum sit in bonum commune, ejusque obligatio sit de jure gentium, tamen, quia principaliter est in favorem scribentis, hic potest tollere illud, & facere potestatem aperiendi suas litteras, etiam ad tertium scriptas, modò fiat sine injusto hujus incommodo. *Nec obest*, quòd Clericus non possit facere alteri potestatem se percutiendi; quia præceptum, vetans percussionem Clerici, latum est principaliter in favorem

Quid, si pœnitēs det licentiam?

 vorem

vorem Statûs Clericalis; ficut ergo non poteſt Clericus facere, ut non ſit ipſe Clericus, ſic nec facere poteſt, ut Status Clericalis iſtâ percuſſione non violetur. Unde poteſt pœnitens Confeſſario dare veniam loquendi, etiam extra Confeſſionem ſecum, vel cum altero de dictis in Confeſſione, quâ datâ licitè loquitur Confeſſarius ſecundùm datam licentiam: debet autem licentia illa eſſe formalis & expreſſa, nec ſufficit tacita, aut præſumpta. Item debet eſſe libera, & ſpontanea, nec vi, precibus importunis, aut metu reverentiali extorta, qualis communiter cenſeri debet, ſi eam non ultro det, ſed tantùm ad petitionem Confeſſarii, adeoque erit data invalidè, vel ſaltem cum periculo invaliditatis, imò, etſi pœnitens dicat, ſe libenter eam dare, tamen animo refugit, & Sacramentum adhuc fit odioſum per uſum hujus licentiæ. Unde monent AA. non eſſe facilè petendam illam licentiam. Perinde tamen habet, ſive detur verbis, ſive factó tali, quod expreſſæ conceſſioni æquivaleat: unde, ſi pœnitens extra Confeſſionem ultro incipiat loqui cum Confeſſario de dictis in Confeſſione, poteſt Confeſſarius proſequi, quòd expedierit circa materiam ſubjectam à pœnitente. Quodſi Confeſſarius cum licentia pœnitentis dixerit Titio peccatum ejùs, ſitne apud Titium ſub Sigillo, nec ne, pendet à voluntate pœnitentis: ſi enim velit eam notitiam communicari, utì eam habet ex Confeſſione Confeſſarius, erit ſub Sigillo; ſi autem permittat ea uti, ac ſi independenter à Confeſſione eſſet acquiſita, non manet ſub Sigillo, præſumi autem debet, quòd detur primo modo, niſi oppoſitum conſtet. Si pœni-

tens

tens veniat ad Confessarium, loquens de actis in Confessione sine ordine ad Confessionem novam, putat *Gabat*, tolli Sigillum, sed probabilius est oppositum: nam pœnitens potest loqui ità, ut maneat Sigillum: cur enim tractare non possit extra Confessionem quæ non ità in Confessione potuit; quin tollatur Sigillum? *La Croix n.* 1961. Si dederit pœnitens veniam monendi, vel revelandi complicem, probabiliùs sufficit venia data à pœnitente; ùt docet *S Thom. Suar. & Lugo* ut certum; quia hic habet potestatem tollendi Sigillùm, à quo, & propter quem solùm inducta est obligatio Sigilli. *Vasq. Bann. & alii* requirunt etiam veniam à complice. In praxi expedit, ut pœnitens extra Confessionem, id est, post absolutionem, vel in Confessionali ante eam, sed non sub Sigillo, manifestet complicem, si hic sit corrigendus, aut aliud malum impediendùm; tenetur autem quandoque pœnitens complicem manifestare Confessario, ùt, si gravia damna timeantur à complice, & pœnitens non possit ea impedire, sed solus Confessarius, cùm enim teneatur pœnitens ea impedire, ùt suppono, nec sit aliud medium, tenetur ad id, Quod si bonum commune, vel charitas non postulet specialiter, & necessariò operam Confessarii, v. g. ut suppleat pro pœnitente, in denuntiando sollicitatore; illud onus non facilè in se suscipiat: præceptum enim denuntiandi obligat ipsum pœnitentem, & non Confessarium.



QUÆS-

QUÆSTIO V.

An, & quomodo Confessarius aliquando possit uti scientiâ ex Confessione ad avertenda mala propria, vel aliena?

380. *Extra confessionem non licet cum gravamine pœnitentis.*

Resp. Non licet, sine expressa licentia pœnitentis, uti scientia ex Confessione haustâ, ubi peccata, vel res aliæ clausæ Sigillo etiam indirectè revelantur, aut revelandi periculum est. Imo, etsi absit omne periculum revelationis, si fiat cum aliquo pœnitentis gravamine, etiamsi nec pœnitens advertat, frangitur sigillum. Videtur nunc conclusio certa ex Decreto in generali Congregatione universalis Inquisitionis dato Ann. 1682 apud *La Croix n.* 1977. ubi sententia opposita plurium AA. imposterum doceri est prohibita. *Ratio autem est*; quia, quidquid tale gravamen afferre potest, meritò redderet Confessionem odiosam, si pœnitentes scirent, talia sibi incommoda oriri posse propter notitiam, datam in Confessione. Unde non possunt Superiores Ordinum tali notitiâ uti ad exteriorem suorum gubernationem, aut ratione illius novas leges condere, inquisitionem in illos instituere, visitare eos crebriùs, vel magìs attendere, ùt constat ex *Decreto Clementis VIII. edito Ann.* 1594. Similiter non potest quis ex sola notitia ex Confessione negare alicui etiam secretò suffragium suum in electione, vel aliquem amovere ab officio, etiam ad nutum auferibili, aut ostendere se asperiorem verbo, vel facto, vel ostium claudere, per quod no-

ctu

ctu ingreditur ad peccandum; aut famulum dimittere, quem scit ex Confessione esse furacem, aut negare alicui arma, quem scit habere aliquid contra se, aut impedire Matrimonium, cujus impedimentum ex sola Confessione notum tibi est, & similia plura; quia, cùm talia in magnum pœnitentis gravamen cedant, possent reddere Confessionem odiosam, etsi abesset omne periculum revelationis. Si Confessarius ex Confessione suum famulum esse furacem sciret, juberetque in Confessione reddere clavem, aut sponte discedere, juxta *La Croix* frangeret Sigillum; quia hæc jussio est actus non spectans ad Confessionem, sicque censeretur eam abrumpere, & extra illam loqui. At, si retentio clavis esset illi occasio proxima relabendi, cur non posset dicere: non absolvam te, nisi antè tollas occasionem proximam, & mihi clavem restituas; sicut, si prævideret, eum non restiturum ablata, posset dicere: non te priùs absolvam, quàm ablata restitueris.

Dices. Eligere indignum ad Beneficium v. g. Parochiale, est intrinsecè malum; ergo tenetur negare illi suum suffragium in electione, etsi ejus indignitatem ex Confessione sciat. Antec. patet. Conseq. probatur. Qui sciret ex Confessione Sacramentali suæ uxoris, suum Matrimonium esse invalidum, uti, si assedisset eâ confitente, & audivisset, eam peccâsse ante Matrimonium carnaliter cum mariti sui fratre, non posset uti Matrimonio, ùt habet *La Croix L. 6. P. 2. 1978.* R. Est intrinsece malum absolutè. N. A. Est intrinsece malum, si dignus haberi, & eligi possit C. Si aut haberi, aut eligi non possit. N. A. & C. Aliqua secundùm dicta P. 1. N. 32. sunt absolutè, & ratione sui in-

intrinsece mala, & semper illicita, ut blasphemia, perjurium &c. alia sunt talia non ratione, sui sed ratione circumstantiæ, conditionis, vel periculi, & hæc, variatis circumstantiis &c. de putantur sæpe à malitia. V g. intrinsece malum est indigno ministrare Sacramentum Eucharistiæ, non est intrinsece malum id ministrare occulte indigno, publice petenti, sed ei est ministrandum, censeturque ministrans tantùm permittere illius, peccatum. Idem est in præsenti casu, & eligens indignum solùm mala, ex electione oritura, permittit in reverentiam Sacramenti pœnitentiæ. Ratio est; quia si indigno occultè Sacramentum publice petenti negaretur, fideles ex timore confessionis ab eo abhorrerent: Si cum gravamine pœnitentis liceret uti scientia ex confessione, fideles averterentur ab ea: quæ forent gravissima mala, in Ecclesiæ universalis eversionem redundantia: dictat autem recta ratio, præ illis permittenda esse aliena peccata. In probatione equidem non est paritas, quia vir ille non solum permitteret peccatum, sed coiret cum muliere, sciens matrimonium suum esse nullum; an autem licite negaret debitum, non ita liquet. Putant duo recentiores, posse reddere petenti debitum, eò quòd Deus præsumatur, ut salva stet reverentia, & usus Sacramenti pœnitentiæ, viro tunc conferre jus in corpus putatitiæ uxoris, sicque cesset fornicatio, verùm etsi hoc fortè dici posset, si uxori petenti debitum sine gravamine negari non posset, extra tamen hunc casum quamprimum petenda esset dispensatio sine gravamine mulieris & Matrimonium revalidandum secundum dicta N. 610. Sed hic casus vix eveniet.

Dixi: *Ubi revelandi periculum est*, aut *fit cum*

cum gravamine pœnitentis ; quia, ubi nullum est periculum, etiam indirectæ revelationis ; neque ullum sequitur incommodum, vel gravamen pœnitentis, non frangitur Sigillum utendo tali notitiâ, etsi pœnitens advertat, Confessarium eâ uti, & ex ea aliquid facere : hinc, si Confessarius ex Confessione advertat, aliquid in se esse, quod displiceat, aut offensionem pariat pœnitenti, potest hoc emendare, & à tali facto, vel dicto abstinere. Item potest pœnitentem in confitendis peccatis singulari confidentiâ erga se usum singulari affectu prosequi, & signis exterioribus id manifestare, etsi intelligat pœnitens, hoc fieri ex notitia Confessionis ; quia ipse hoc ægrè non fert, nec Confessio fit difficilior. *Gormaz n.* 410. Imò juxta *Con. Lay. Malderum*, *Henno Disp.* 10. *q.* 6. & *alios*, potest abstinere à Sacrificio, quando ex Confessione unius complicis scit esse vinum veneno infectum, vel declinare à sylva, ubi scit ex unius complicis Confessione, sibi insidias esse paratas, dum abest periculum revelationis. Consentit *Sanch.* quamvis pœnitens recogitet, id fieri ex scientia Confessionis. Pro hac sententia *Illsung. n.* 244. refert *Henriq. Castrop. Tamb, Sporer, & alios. Henno* etiam refert *Scotum*, quia talis usus illius notitiæ, si absit periculum revelationis, neque videtur redundare in gravamen pœnitentis, nec illi posse Confessionem odiosam facere. Imò videtur pœnitens manifestare talia, ut Confessarius mortem vitare possit, potestque omissio talis, aut actio fundari in cognitione independente à Confessione, & sub alio prætextu, & ex alio fieri simul motivo. Tenetque Scotus, actionem, vel

301. *Secùs, si nullum sit revelationis periculum, nec gravamen pœnitentis.*

vel omiſſionem non eſſe revelativam ſecreti, quando circumſtantes vident, poſſe Confeſſarium ex alio motivo ità ſe gerere : actiones enim illæ de ſe ſunt indifferentes, ut hoc vel alio motivo fiant, etiam in circumſtantiis præſentibus. Unde non debent circumſtantes credere fieri potiùs ad revelationem ſecreti, quàm alium finem. Deinde, ſi non liceret tunc abſtinere à Sacrificio, deberet Confeſſarius adhuc celebrare, etſi moribundus eſſet negligendus, aut ipſe exiſteret in mortali. *Nec obſtat* juxta hos AA, quòd fortè complices advertant, Confeſſarium uti ſcientiâ ex Confeſſione ; quia, licèt revelatio peccati confeſſi nunquam liceat, licet tamen uſus ſcientiæ ex Confeſſione, quando nec revelatio fit, nec gravamen pœnitenti evenit ; pœnitenti autem nihil ſimile evenit. Quòd enim fortè alii complices ſuſpicentur, ſocium ſuum eſſe confeſſum, hoc ſocio potiùs glorioſum eſt, & ſuſpicio non oritur ex actione, vel omiſſione Confeſſarii, ſed ex notitia criminis antecedente. Cùm alii adſtantes nihil ſimile poſſint colligere, ùt ſuppono ; quia, ſi id poſſent, non poſſet Confeſſarius retrocedere, niſi res ſibi innoteſcat extra Confeſſionem ; ita citati AA. Quibus *Suar. Vaſq.* & *alii*; plures apud *La Croix hic n.* 1976. contradicunt, volentes, Confeſſarium circa ſimilia ſe gerere debere, ac ſi nihil ſciat ; quia, *quæ ſcit ex Confeſſione, minus ſcit, quàm quæ neſcit*, inquit Aug. Et *ex Confeſſione ſcitum eſt quaſi neſcitum*, inquit S. Th. in Supplem. Quæſt. 11. A. 1. ad 1. Sed D. Th. pro iis non eſt, qui apud La Croix N. 1976. docet, Confeſſarium, ſi unius ex Communitate nove-

verit ex Confessione peccatum, à quo sit periculum seductionis aliorum, posse, & ex charitate teneri dicere ei, qui illi præest, ut diligenter habeat curam super gregem suum.

QUÆSTIO VI.

Quomodo se geret Confessarius, si interrogetur de materia Sigilli?

381. Resp. Debet ità se gerere, ut nec loquendo, nec tacendo revelet etiam indirectè peccatum Pœnitentis: hinc, si interrogetur de peccato, quod notorium est, caveat, ne dicat, quòd pœnitens sit illud confessus, nec, quòd non sit confessus, aliàs frangit Sigillum; sed dicat: Pœnitens fecit, quod judicaverit esse faciendum, & ego munere sum meo functus. Quodsi hoc loquendi modo caussaretur suspicio de peccato, aut indispositione pœnitentis, ùt, si Episcopus interrogaret, quo jure absolverit usurarium publicum, respondeat: De dictis, actis, vel non actis in Confessione nihil scio, vel loqui mihi non licet: si enim diceret: functus sum officio meo: in iis circumstantiis, idem esset, ac dicere: eum non absolvi. Si interrogetur simpliciter, an non sciat peccatum, etiam occultum pœnitentis? Respondeat: nescio, atque si necesse sit, respondeat sic, quascunque reflexiones faciat interrogans, v. g. an non sciat scientiâ incommunicabili? An non sciat loco Dei? Quia hìc simul loquuntur circumstantiæ, cum quibus verbum *Nescio* significet: non scio ità ut mihi liceat dicere, non scio, scientiâ communicabili. Quodsi sic Confessarius videatur si-

Nec tacendo, nec loquendo quidquã revelet.

bi, non posse evadere, uti poterit vocibus merè materialiter sine intentione significandi; quia homines non potuerunt eas instituere, ut in talibus circumstantiis significent, nec Deus acceptavit pro eo casu earum significationem. Advertat tamen Confessarius, ut sic utatur vocibus, ne arguant interrogantes, ipsi constare de peccato. Ex dictis patet, consultissimum esse, Confessarium de auditis in Confessione omnino silere: sic enim aberit à periculo violandi Sigillum, & dandi scandalum, quod facilè patientur audientes. Si casus aliquis in Confessione auditus sit consilii causâ proponendus aliis; proponatur non ùt factus, sed in generali, ùt possibilis, v. g. quid si contingeret casus &c.

QUÆSTIO VII.

Quæ sint aliæ obligationes Confessarii?

583. *Tenetur fungi officio Judicis, Medici, Doctoris.*

Resp. Cùm Confessarius vices agat Christi, sitque Judex, Doctor, & Medicus animarum, tenetur 1. Sollicitè, fideliter, dignè, & sincerè Sacramentum administrare. Unde debet non tantùm esse in statu gratiæ, & habere competentem scientiam, & intentionem secundùm dicta, sed etiam attendere ad peccata pœnitentis, ut discernat inter peccata, & peccata quoad speciem, & numerum, & gravitatem, saltem ex objecto. Dico: *Saltem ex objecto:* nam, uti dictum suprà, quæ hìc & nunc in individuo sint mortalia, quandoque scire non potest; quare, licèt advertere debeat, quoad fieri rationabiliter potest, quoad mortalia, dum à pœni-

pœnitente proferuntur, non tenetur tamen semper hìc & nunc judicium ferre, esse mortalia, vel venialia; quia hoc judicium sæpe doctissimis est impossibile, vel quia scire nequit, an adfuerit plena advertentia, vel quia pœnitens non potest se satis explicare. 3. Tenetur examinare pœnitentem, si prudenter judicet, illum aut id nescire, aut non præstitisse sufficienter: Debet enim, quod alioquin sæpe non potest, scire statum Rei, ut convenientem satisfactionem imponat, remedia contra relapsum præscribat, & doceat ignorantem; idque tenet, quisquis sit pœnitens; quia Deus vult, Principes, & Reges eàdem lege teneri, utpote æquè peccatores.

Dixi: *Si prudenter judicet*: quia, si nota sit pœnitentis sollicitudo, scientiaque sufficiens, per se loquendo, non tenetur examinare, nisi fortè aliud suadeant circumstantiæ. Unde regulariter non est necesse interrogare, an apprehenderit malitiam; quia præsumitur apprehendisse. Si tamen prudens dubium ingerat circumstantia, v.g. simplicitas, vel ruditas personæ, id interrogandum esset: neque enim sufficit, quòd Confessarius solis præsumptionibus nitatur, præsertim ex verbis, quando interrogando facilè haberi potest certitudo. Cæterùm, si Confessarius advertat, quòd pœnitens, sciens se examinare, moralem diligentiam adhibuerit, ordinariè non tenetur eum Confessarius examinare, hoc enim sufficit; nec tenetur Confessarius exactiùs examinare, quàm talis pœnitens, si sciret modum se examinandi; præceptum enim Confessionis materialiter integræ non obligat, ubi integritas sine gravi molestia haberi non potest, & in casu,

 quo

quo Sacramentum redderetur odiosum. Caveat tamen, ex una parte, ne respectus humanus ab officio avertat, ex altera verò, ne limites prudentiæ transiliat: examinandi enim sunt pœnitentes, prout conditio, & status secundùm prudentiam postulat, & patitur. In peccatis carnalibus cautè procedendum, ne pœnitens doceatur peccare, aut is, vel Confessarius scandalum patiatur.

3. Tenetur præscribere convenientem satisfactionem, & remedia contra relapsum; de quibus dictum in *Neo-Confess.* & dicetur infrà à N. 391.

4. Tenetur ignorantem docere secundùm dicta ibidem.

5. Sequi, ubi agitur de valore Sacramenti, tenetur tutiora conformiter dictis suprà n. 44. &c.

6. Corrigere errores fortè commissos circa hoc Sacramentum juxta dicta in *Neo-Conf.* n. 48. & suprà n. 59. & n. 333.

CAPUT IX.

De Satisfactione Sacramentali parte integrali Sacramenti Pœnitentiæ.

QUÆSTIO I.

An Confessarius teneatur satisfactionem pœnitenti injungere, & hic eam acceptare?

384. *Justus potest* NOta 1. Licèt pura creatura nequeat condignè satisfacere pro reatu culpæ mortalis;

satisfacere pro pœna temporali restante.

talis; certum tamen est, quòd possit satisfactionem, etiam condignam, præstare pro reatu pœnæ temporalis, post culpam remissam adhuc restante. Colligitur tum ex *Trid. Sess.* 14. *Can.* 14. tum ex Scriptura *Actorum* 13. *Danielis* 4. tum ex *damnatis* 59. & 77. Et *Ratio est*; quia filii adoptivi dignitas, & amicitia postulat, ut filius, & amicus Dei possit pro eo satisfacere, quod ab eo exigitur: præsertim, cùm possit per opera sua bona condignè mereri vitam æternam, quæ majus est bonum, quàm remissio pœnæ temporalis Purgatorii. Imò potest etiam unus viator justus condignè satisfacere pro alterius justi pœnæ temporalis debito, ùt constat ex communi sensu, & praxi Ecclesiæ, pertinetque hoc ad communionem Sanctorum, quæ satisfactio suffragium dicitur; etsi juxta multos non possit præcisè alteri impetrare remissionem pœnæ, sic exigente lege Justitiæ vindicativæ. Videatur *Suar.*

Satisfactio.

Nota 2. Satisfactio, ùt hìc accipitur, est 385.
voluntaria castigatio, quam Reus de se ipso sumit ad reparandum Dei honorem, per peccatum à se læsum, vel: voluntaria punitio suî ipsius ad compensandam injuriam, per peccatum Deo illatam. Dividitur imò in Sacramentalem, & non Sacramentalem. Sacramentalis est, quam imponit Confessarius pœnitenti ad reparandum Deì honorem, & præcavenda deinceps peccata. Non Sacramentalis est, quam eum in finem ipse pœnitens assumit, vel acceptat à Deo immissam. Utraque dividitur imò in condignam, & congruam. Condigna est, quæ in æstimatione morali est æqualis debito pœnæ, sicque proportionata,

& sufficiens ad extinguendum debitum Justitiæ vindicativæ. Congrua tantùm est, quæ per se debitum pœnæ non adæquat, sed eget gratuitâ simul condonatione, supplente defectum satisfactionis. Si per se, non spectatis circumstantiis tanta sit, quantum est debitum pœnæ, erit condigna, & proportionata proportione arithmeticâ; si verò in se sit impar, spectatis tamen circumstantiis v. g. conditione satisfacientis, modo satisfaciendi &c. tanta sit, ut acceptari meritò possit tanquam æqualis, erit condigna, & proportionata proportione quasi geometricâ. 2. Dividitur in vindicativam, & medicinalem. Vindicativa est, quæ tendit præcipuè ad punienda peccata; medicinalis est, quæ datur, vel assumitur præcipuè ad ea præcavenda deinceps. Tales sunt, quæ ex se ordinantur ad tollendas peccatorum radices, malos habitus, pravas cupiditates coërcendas &c. De quibus N. 393.

386. *Requisita ad actum satisfactorium*

Nota 3. Ut opus aliquod sit satisfactorium, requiritur 1mò ex parte operantis status viæ: extra hanc enim non est locus merito, nec satisfactioni, sed tantùm satispassioni, item status gratiæ; quia existens in statu mortalis peccati non est dignus, ut opera ejus acceptentur ad placandum Deum. 2. Ex parte Dei requiritur acceptatio: nam potest Deus aliis titulis opera nostra exigere: unde non sunt satisfactoria in actu secundo sine gratuita Dei acceptatione. 3. Ex parte operis requiritur, ut facienti sit liberum, moraliter bonum, aliquo modo supernaturale, & juxta communem contra *Scotum*, *Ledesma*, *Vasquez*, afflictivum, seu pœnale: est enim satisfactio propriè dicta,

dicta, voluntaria castigatio, quam reus de se ipso sumit ad movendum Deum, ut sit eâ punitione contentus: unde licèt possit quis per adversa à Deo immissa satis pati pro peccatis, & debitum pœnæ delere, non erit tamen satisfactio, nisi voluntariè & libere acceptentur, & in Christo tolerentur, consequenter nisi actus sit honestus, & supernaturalis, quæ omnia actui præcepto convenire possunt, & hinc satisfactorius esse potest, sicque duplici debito unâ solatione satisfieri.

Dices. Actus virtutum Theologicarum sunt 587.
satisfactorii, & tamen non sunt afflictivi, sed *Omnis*
viris, præsertim perfectis, faciles, & jucundi, *actus*
imò his molestum foret, illos diu omittere; *honestus*
ergo ad actum satisfactorium non requiritur, *hominis*
ut sit afflictivus. Resp. In hac mortalitate *lapsi*
omnes actus virtutum sunt difficiles; quia ab- *difficilis*
strahunt à sensibilibus, ad quæ naturaliter *ex se.*
propendemus, nec in perfectis desinunt ex natura sua esse tales, sed magnam, præsertim actus fidei & charitatis, continent naturalis in homine inclinationis abnegationem; jucunditas verò, quam experiuntur, provenit ex spiritu gratiæ, & fervore virtutis, quæ satisfactionem non minuit, sed quò actus ex natura sua est difficilior, eò est magis, cæteris paribus, satisfactorius: sicut enim vis meritoria præcipuè respondet libertati, dignitati personæ, honestati, & intensioni actûs, ità vis satisfactoria pœnositati; hinc secundùm dicta P. 1. actus externus auget vim satisfactoriam; quia auget pœnositatem. Non desumitur tamen vis satisfactoria à sola pœnositate, sed ab hac ùt laudabili; hinc quò actus est laudabilior, eò est magis satisfactorius: Deus enim

magìs placatur per actum honestiorem. Quæstio proposita procedit de satisfactione sacramentali, ad quam

388. *Obligatio imponendi, & acceptandi satisfactionem* Resp. Regulariter tenetur Confessarius sub peccato ex genere suo mortali injungere pœnitenti satisfactionem vindicativam, & medicinalem, non per modum consilii tantùm, sed præcepti, eamque, si rationabilis sit, tenetur, per se loquendo, pœnitens acceptare. Constat ex *Trid. Sess.* 14. *Cap.* 8. Et *Ratio est;* quia Confessarius, ùt Judex, tenetur uti potestate clavium, seu solvendi, seu ligandi, ùt Medicus tenetur convenientes medicinas præscribere, pœnitens autem se subjiciens ejus potestati præcipiendi, tenetur obedire, & pœnitentiam implere; & aliàs Sacramentum posset sine peccato relinqui absque integritate. Imò pœnitens nullam admittens pœnitentiam esset indispositus, adeòque peccaret mortaliter sic volens absolvi: pœnitentia enim in voto est de essentia Sacramenti.

Dixi 1. *Regulariter:* nam si pœnitens infirmus nullam implere possit, id per accidens est; si possit saltem parvam implere, v. g. corde, vel ore pronuntiare sacrum nomen, jubendus est id facere.

Dixi 2. *Sub peccato ex genere suo mortali:* nam sicut Judex humanus pro atrocibus delictis injungendo levem pœnam peccare potest mortaliter, ità & Confessarius, ùt patet ex *Trid. loc. cit.* Potest quoque peccare tantùm venialiter pro levibus peccatis citra contemptum nullam imponendo, ùt tenet Lugo, & alii contra Viva.

Dixi 3. *Si rationabilis sit:* nam irrationabilem implere saltem totam non tenetur, ùt nec,

nec, si foret impossibilis, si esset eam oblitus. Neque ideo tenetur eadem peccata bis confiteri. *Ex his deduco.*

1. Quando Confessio fuit invalida, non est obligatio ad injunctam pœnitentiam; quia sententia Judicis Sacramentalis fuit nulla, nec adest Sacramentum integrandum, & aliàs bis pro eisdem peccatis esset satisfaciendum. 389. *Corollaria.*

2. Si quis bis eâdem die eadem peccata confiteatur, iisque proportionata duplex respondeat satisfactio, probabiliter potest saltem sine mortali primam omittere; quia secunda complet utrumque Sacramentum; at consultiùs est saltem partem 1mæ etiam implere.

3. Qui omittit gravem materiam, pro mortali primâ vice confesso injunctam, peccat graviter: materia autem gravis est Confessio una, Communio una; quia sub mortali præcipiuntur ab Ecclesia; idem communiter dicitur de Rosario. Si ex 10 Communionibûs omitteretur una, probabiliter peccaretur tantùm venialiter; quia cùm per novem ferè idem finis obtineatur, per omissionem unius videtur parum subtrahi.

4. Qui materiam levem, injunctam pro mortalibus, omittit, peccat tantùm leviter; quia materia levis non est capax gravis obligationis, estque Sacramentum essentialiter completum, ad complementum integrale leve non est obligatio gravis, uti si quis materiam levem pro veniali injunctam omitteret.

5. Qui omittit materiam gravem, injunctam pro venialibus, vel mortalibus aliàs directè remissis, juxta aliquos peccat graviter; quia obligatio conformatur materiæ, sed oppositum tenent probabiliùs *Suar. Laym.* &

 alii;

alii; quia obligatio gravis est onus grave, quod imponi non debet pro venialibus, vel aliàs confessis, & directè per absolutionem remissis, quia liberum est ista confiteri: cùm enim Confessarius puniat ùt Judex, non debet pœnam delictis improportionatam imponere: unde non obstat, quòd quis vi voti, vel præcepti Superioris possit sub gravi obligari, ubi est materia gravis; nam nec vovens, nec Superior agit ùt Judex.

6. Si materia pœnitentiæ injuncta sit divisibilis, & pars major impleri non possit, est adhuc obligatio ad partem minorem possibilem; quia intentio Confessarii fertur divisibiliter, & singulæ partes conferunt ad finem intentum: hinc si cui injunctum sit jejunium in pane & aqua, probabiliùs tenetur ad jejunium more Ecclesiastico, si aliter non possit; quia manet substantia jejunii, quæ separari potest ab illa circumstantia. Cæterùm quandonam universim sit mortale omittere pœnitentiam, vel partem ejus, aut circumstantiam, attendendum est, an materia omissa, vel circumstantia multùm, vel parum conferat ad finem præcepti, an substantia præcepti impleatur: sic cui injunctum fuit rosarium flexis genibus recitandum, vel ánte Imaginem B V. si recitet stans, vel in cubiculo, implet substantiam præcepti, nec peccat nisi venialiter. Aliud foret, si expansis manibus jussus esset orare; hæc enim esset notabilis mortificatio, quam subtrahere leve non foret.

7. Si absolutus pœnitens adferat novum peccatum, à quo absolvatur, nova pœnitentia saltem

ſaltem levis eſt injungenda, ut integretur Sacramentum.

QUÆSTIO II.

Quæ ſatisfactio pœnitenti ſit injungenda?

Secundùm Canones Sacramentales, decreto Gratiani adjectos: olim regulariter pro quovis mortali publico injungebatur ſeptennis pœnitentia, nempe jejunium in pane & aqua ſingulis ſeptimanis Feriâ 2dâ, 4tâ, & ſextâ; ſimilem pœnitentiam ſtatuit pro peccatis etiam occultis S. Bonifacius Epiſcopus Moguntinus. Sed hic rigor jam remiſit; quia, ùt ait Leo Papa Epiſt. 90ma: *Multa ſunt, quæ neceſſitate temporum, aut pro conſideratione ætatum oportet temperare.* Quare Eccleſia velut prudens Medicus accommodavit ſe infirmorum viribus, utilitati, qualitati temporum, & ea media prò diverſis temporibus præſcribit, quæ judicavit utiliora. Cauſæ autem ità temperandi fuerunt 1mò; ne Confeſſio, quam Hæretici velut impoſſibilem calumniabantur, redderetur odioſa. 2. Quia ſucceſſu temporis facti ſunt plures Sacerdotes, apud quos frequentata Confeſſio medium eſt ſatisfaciendi utiliſſimum, utì & præſervandi à relapſu. 3. Quia experientia docuit, benignas pœnitentias eſſe utiliores, eò quòd ſic fideles ad frequentem uſum Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ allicerentur. 4. Quia occaſione belli ſacri introductus frequens Indulgentiarum uſus, per quas certiùs, & copioſius ſatisfit, quàm per obſervationem Canonum. 5. Quia ſucceſſu tem-

390. *Rigor antiquus mitigatus.*

temporis instituti sunt status religiosi, qui sunt status pœnitentium utilissimi, & ob diuturnitatem rigidissimi. Videri potest *Francolinus in Clerico Romano p. 2. Cap. 1. & Lib. 3. de disciplina Pœnit. Cap. 6. Item Lib. 3. Cap. 2. §. 2. La Croix N.* 1256. his præmissis.

391. *Proportionata peccatis, & pœnitentis attemperata.* Resp. Injungenda est, per se loquendo, satisfactio pro qualitate peccatorum, & pœnitentium facultate, & conditione. Constat ex Trid. suprà. Et ratio est; quia, cùm Confessarius à Christo constitutus sit Judex, & Medicus animarum; debet peccatis proportionatam dictare pœnam, ità tamen, ut non cedat Sacramentale judicium in animarum ruinam, & divinæ gloriæ detrimentum; sed in hujus augmentum, & illarum salutem: hinc Confessarius impositurus satisfactionem respicere debet ex una parte peccata, & pericula relapsûs, ut prò gravibus gravem, pro levibus levem pœnitentiam imponat, eamque simul medicinalem, ubi periculum est relapsûs; ex altera parte verò conditionem personæ, ne gravet eam supra vires, & in peccata nova præcipitem agat. Rectè monet S. *Thom. opusc.* 65. §. 4. *Sacerdos faciat temperamentum ex misericordia, & severitate, ut pœnitentia non sit nimis dissoluta, nec nimis rigida*, tutiùs tamen est imponere minorem debitò, quàm majorem; quia faciliùs excusamur apud Deum propter misericordiam, quàm propter nimiam severitatem: talis enim defectus in purgatorio supplebitur. *Summopere*, inquit Catechismus Rom. *timendum est, ne semel pœnitentes sine absolutione dimissi ampliùs non redeant.* Itaque spectanda spiritualis pœnitentium utilitas, cavendumque, ne laquei eis injiciantur, trahen-

trahentes in novam ruinam, perque pœnitentias nimis graves absterreantur à frequenti Confessione, vel adeant Confessarium languidè bonum, à quo, ùt par est, non dirigantur. Finis pœnitentiæ est non tantùm castigare culpas præteritas, sed vel maximè cavere futuras, adeoque id pœnitentiæ genus injungendum, quò magìs, creditur pœnitens præservandus à relapsu. Cavendum quoque tamen est & alterum extremum, scilicet ne pro gravibus peccatis nimis levis imponatur pœnitentia. Sic enim pœnitentes parvi pendent peccata, facilè ea repetent, & Confessarius se eorum reum faciet.

Causa minuendi satisfactionem.

Dixi : *Per se loquendo, peccatis proportionatam injungendam esse* : Nam per accidens potest minor injungi, ac 1mò quidem, si quis advertatur valdè contritus. 2. Si lucrandæ sint indulgentiæ, quo casu tamen minuenda non est pœnitentia medicinalis ; quia licèt indulgentiæ debitum pœnæ minuant, non tamen à relapsu præservant. 3. Si pœnitens sit valde debilis, vel infirmus. 4. Si pœnitens timeatur meritò majorem non acturus. 5. Si dubitetur, an hæc sit magìs obfutura, quàm profutura. 6. Si ità videatur alliciendus ad freqnentem Confessionem. 7. Si sciatur, pœnitentem multa opera satisfactoria solere peragere. 8. Si pœnitens meritò speretur, sæpiùs ad eundem Confessarium rediturus. *Sapientis Medici est*, inquit S. Thom. N. 4. Dist. 18. Q. 2. A. 1. Quæst. 3. *à levioribus medicinis incipere, & minùs periculosis.* Et Dist. 19. Q. 2. A. 3. Q. 2. *Paulatim procedendum est, ut quàm minùs fieri potest, gravetur ille, cui medicari volumus.*

QUÆS.

QUÆSTIO III.

Quæ opera pœnitentibus injungi possint, & utiliùs injungantur?

392. *Opera quæcunque bona.* Resp. 1. Possunt injungi imò quælibet opera pœnosa, quorum triplex est genus: nempe oratio, quæ importat quemcunque cultum Dei; Jejunium, quo nomine hîc venit omnis mortificatio; Eleëmosyna, quæ omnem actum virtutis proximo impensum complectitur: hæc enim omnia sunt satisfactoria. Hinc licèt plerumque soleant imponi opera externa, utpote magis pœnosa, possunt tamen etiam imponi actus interni Fidei, Spei, Charitatis, Adorationis, meditatio de extremis, beneficiis Dei, Passione Domini.

2. Potest injungi opus præceptum; quia & hoc satisfactorium est, & accipit vim satisfaciendi ex opere operato vi clavium; attamen suadet Sacramentalis Judicii vindicativi æquitas, ut simul aliud non præceptum imponatur, aut saltem, ut opus præceptum exactiùs, & devotiùs peragatur, utì, si quis se accuset de negligentia in audiendo Sacro, recitandis Horis, posset ei imponi, ut proximè audiat, recitet cum majore devotione. Cæterùm si opus v. g. Jejunium imponat Confessarius simpliciter, non censetur imponere aliunde præceptum, nisi id exprimat.

3. Injungi possunt orationes pro Defunctis; quia sic imponitur actus charitatis, & eleëmosyna spiritualis Deo acceptissima, nec sic privatur pœnitens omni vi satisfactoriâ; quia obe-

obedientiæ actus manet illi, & vis satisfactoria orationis ex opere operato.

Resp. 2. Illæ pœnitentiæ utiliores sunt, quæ sunt accommodæ ad talem pœnitentem discretè affligendum, & efficaciter emendandum; ac primò eleëmosyna divitibus avaris, & injustis efficacissimum satisfactionis genus est; quia pecunia est illis quasi anima inordinati affectûs; caveat tamen Confessarius, ne sibi, vel suis velit eleëmosynam applicari. 2. Contra peccata carnis, ebrietatis, gulæ valent macerationes corporis per jejunia, cilicia, castigationes, substractionem commoditatum: sic enim incentiva peccatis subtrahuntur. 3. Contra peccata odii, invidiæ, iracundiæ maximè valent opera humiliationis, aut charitatis erga proximum, à quo est quasi naturalis aversio: unde hujusmodi obnoxii jubeantur orare pro iis, quos ægrè ferunt, alloqui illos; à silentio enim fovetur sinister affectus, & honestâ conversatione mitescit. 4. Illis, qui vix tempus orandi habent, aut aliunde tenentur diu orare; & tamen multis gravantur mortalibus, non longæ orationes, sed potiùs pauca opera facienda exactè, & cum fervore injungenda sunt, v. g. ut festis certis confiteantur, singulis diebus, si capaces sint, pro suo modo meditentur per aliquod tempus de mysterio, quo maximè afficiuntur, aut de materia, quâ maximè terrentur; ut usque ad proximam Confessionem manè proponant hoc, vel illud peccatum cavere, petantque saltem uno suspirio ad id à Deo gratiam, vesperi examinent conscientiam; si lapsi fuerint, doleant, petant à Deo gratiam emendandi cum firmo proposito;

393. *Pœnitentiæ utiliores.*

si

si relapsi non sint, referant in acceptis Deo, vel si soleant vesperi examen instituere, ut decumbentes cogitent, se aliquando morituros, & è lecto non surrecturos, quæque in fine exspectet sententia illos, qui malè vixerunt, in quem locum mittendi, quid passuri &c. manè evigilantes cogitent, se brevi vocandos ad judicium, ut rationem reddant etiam de verbo otioso. Si quis soleat tentari ad certum vitium, ingruente tentatione cogitet: Deus videt, Judex, & Pater; ego in conspectu ejus peccem, Filium ejus denuò crucifigam, qui tanto pretio meam animam emit? ego eam Diabolo vili voluptate tradam, &c. si lapsus fuerit, statim aliquam pœnam subeat, aut intra diem à lapsu confiteatur: juverit etiam injungere, ut frequententur actus Fidei, Spei, & Charitatis per diem. Plura pro consuetudinariis vide in *Neo-Confessario N.* 118. & 16. 74. 188.

394. *Increpatio humiliter acceptata pars est pœnitentiæ.* Cæterùm magna pars efficacis pœnitentiæ est patienter tolerata increpatio post audita peccata à Confessario adhibita: proinde poterit Confessarius monere pœnitentem, ut bene accipiat, quæ dicenda à se sunt ex officio pro partiali pœnitentia, & tum gravibus verbis, sed sine conviciis proponat illi statum animæ suæ, pericula, ingratitudinem in Deum, & animet ad pugnandum strenuè contra hostem animæ suæ, quam habet unicam, quamque si perdiderit, perdita sunt omnia. Alia suggeret pro sua bonitate Spiritus sanctus.



QUÆS-

QUÆSTIO IV.

An aliquando imponi possit satisfactio, seu pœnitentia publica?

Resp. 1. Si necesse sit ad tollendum scandalum publicum pro peccatis publicis, non solùm posset, sed etiam deberet imponi juxta *Trid. Sess.* 14. *Cap.* 4. *de Reform.* Ratio est; quia pœnitens tenetur tollere scandalum; ergo etiam tenetur ad medium necessarium, atque ità Confessarius non manifestat peccatum aliunde notum, sed inducit tantùm ad implendam suam obligationem, & manifestandam resipiscentiam, neque revelat, Confessionem esse factam, sed ipse pœnitens, ut suæ obligationi satisfaciat, seipsum voluntariè prodit; sic Confessarius injungere potest, ut pœnitens retractet sermones contra fidem, bonos mores, religionem, calumnias coram iis, qui audierunt: nam scandalum tolli debet, & justitiæ satisfieri. Raro autem, & non nisi authoritate Episcopi injungendæ sunt pœnitentiæ publicæ cum solennitate peragendæ, v. g. stando ante fores Ecclesiæ cum cereo accenso &c. 395. *Potest pro peccatis publicis.*

Resp. 2. Pro peccatis occultis, quantumvis gravibus publica extraordinaria pœnitentia non est imponenda: nam esset improportionata, & contra usum modernum Ecclesiæ, & quodammodo infamativa pœnitentis. Imò juxta S. *Thom. Suar, Vasq. Chapeaville de casibus reservatis P.* 1. *Cap.* 12. *Q.* 4. *Aversa apud La Croix N.* 1265. contra sigillum, rectè tamen docet *Suar hìc Disp.* 33. *Sect.* 7. posse Confessarium imponere aliquid necessa- 396. *Non tamen pro occultis.*

rium ad vitandum relapsum, v. g. dimittat hoc officium, vitet hanc domum, dimittat illam personam, & pœnitentem teneri obedire, etsi oriatur suspicio, vel etiam notitia peccati pœnitentis. Neque hoc casu frangitur sigillum, aut à Confessario revelatur Confessio; quia adest consensus à pœnitente debitus, & præceptum illud non tam ponitur ab ipso Confessario, quàm declaratur obligatio, quam de se habet pœnitens, cui, si nolit satisfacere, negari potest absolutio: aliàs enim non posset Confessarius suo; ùt par est, officio fungi. Ob quam causam potest & imponere opera pietatis, v. g. Jejunia, frequentem Confessionem &c. ubi id conveniens est, etsi homines suspicarentur, aut judicarent hæc à Confessario injuncta esse: debet enim pœnitens id sibi imputare, & Confessario manere libertas ritè suo officio fungendi; præsertim cùm sint opera talia, quæ possunt, & à multis liberè ex pietate fiunt. Videatur *Diaast. D.* 14. *N.* 86.

QUÆSTIO V.

Quem effectum habeat satisfactio Sacramentalis ex opere operato?

397. *Remissionem pœnæ.* Resp. Delet debitum pœnæ, post culpam remissam adhuc restans, vel totum vel partem ejus, eòque majorem, quò ipsa major est, & majori cum devotione & dispositione impletur:, est enim pars Sacramenti eatenus, quatenus ex divina institutione cum contritione, & confessione ad integritatem ejus, & ad plenam perfectamque peccatorum remissionem requi-

requiritur, ùt docet *Trid. Sess.* 14. *Cap.* 3. Sacramenta autem plus conferunt meliùs disposito, ùt idem Concilium docet *Sess.* 6. *Cap.* 2. ut verò causet illum effectum, debet moraliter affici ab absolutione: quare si pars pœnitentiæ impleretur ante absolutionem, non causabit ex opere operato remissionem pœnæ, donec accedat absolutio: nihil enim ad Sacramentum pertinens causat ex opere operato effectum, nisi ubi Sacramentum completur; sed neque remittitur pœna ante remissionem culpæ. Si post absolutionem à relapso in mortali impleretur, effectum quidem suum non causaret statim ob indispositionem subjecti, ùt docet communior contra *Scotum, Vasq.* attamen reducto statu gratiæ reviviscerct juxta probabiliorem cum *Suar. Lugone*, & aliis; quia etsi fuerit opus mortuum, & non profit de condigno ex opere operantis, hoc tamen non obstat, quò minùs prosit ex opere operato ad eum modum, quo Missa ab impio Sacerdote celebrata habet effectum suum ex opere operato.

Dubium est, an satisfactio Sacramentalis ex opere operato causet quoque gratiam habitualem, & actualem. Affirmat *Suar. Cajet. & plures Thomistæ cum S. Thom.* 3. *P. Q.* 9. *V. Ar.* 2. *ad* 2. Ratio est; quia satisfactio est pars Sacramenti integralis, partes autem etiam integrales causare possunt ex opere operato gratiam saltem integralem, sicut partes essentiales primariam, & essentialem: nam cujuslibet peccati Confessio, & dolor causat gratiam, & tamen non omnis est pars essentialis Sacramenti. De in Sacramenta causant gratiam, quam significant; at satisfactio significat gra- 398. *An etiam gratiam?*

 tias

tias actuales, cùm significet medelam, seu evitationem peccatorum in futurum; gratiæ autem actuales, vi Sacramenti conferendæ, radicantur in habituali cum jure quodam ad illas. Proinde etiam significat satisfactio gratiam habitualem aliquam. Sed negat illum effectum satisfactioni communior; quia non est fundamentum sufficiens illam vim ipsi tribuendi, cum specialiter non significet gratiam, sed delectionem tantùm pœnæ temporalis. Nec PP. aliam illi vim tribuunt. Unde satisfactio est tantùm pars integralis Sacramenti, ùt remissivi pœnæ temporalis, non ùt collativi gratiæ. Dolor, & Confessio alicujus peccati venialis in habente mortale non est de essentia Sacramenti absolutè spectati, est tamen de essentia Sacramenti, ùt remissivi illius peccati venialis. Ità *Lugo*, *Gormaz* & alii plurimi. Verùm quidquid sit de hac controversia, certum est, quòd opus, injunctum à Confessario pro satisfactione, sit fructuosiùs illo, quòd pœnitens pro arbitrio suo suscipit; unde iis, qui quotidie Missam audiunt, vel dicunt Rosarium, utiliter imponi potest pro solis etiam venialibus Missæ auditio, vel recitatio Rosarii.

QUÆSTIO VI.

Quando præstanda sit satisfactio, seu injuncta à Confessario pœnitentia implenda?

399. *Dum commodè potest* Resp. Si Confessarius non determinârit tempus, est implenda, quamprimum commodè potest. Hæc enim est mens Confessarii, nec tamen idcirco statim erit mortale, si aliquantum

rum differatur, etiam sine causa, animo tamen retento eam implendi; sed tum demum erit mortale, quando est pœnitentia gravis, & valde diu differtur judicio prudentum, spectatis circumstantiis; quamdiu autem sine mortali differri possit, non potest unâ regulâ definiri. Ordinariè non videtur mortale differre ad octo dies; quia præceptum Confessarii præcipuè cadit in rem ipsam. Differre sine rationabili causa ad medium annum, communiter censetur mortale, maximè si pœnitentia fuit medicinalis; si fuit tantùm vindicativa, non videtur mortale differre ad mensem. *La Croix N.* 1288.

Resp. 2. Si Confessarius tempus determinavit, jam illo est implenda, nisi justa causa excuset; quia hæc ordinariè est mens Confessarii: nec tamen est mortalis quæcunque dilatio sine causa, v. g. qui jussus jejunare pro pœnitentia proximâ Feriâ sextâ, & jejunat priùs sequenti, vel communicare proximâ die Dominicâ, & differt ad octiduum, ordinariè non peccat graviter; quia præceptum Confessarii non tam in tempus, quàm in rem præceptam tendit: unde non cessat obligatio jejunandi, etsi dies determinata præterierit; quia dies determinata fuit, non ad terminandam, sed ad urgendam obligationem, idque verum est, etsi injunxisset jejunium die Veneris in honorem Passionis, Dominicæ, vel Sabbathi in honorem Beatissimæ Virginis; quia Confessarius non censetur ità alligâsse diei, ut voluerit Sacramentum relinqui incompletum, si die determinatâ opus præceptum non poneretur. Similiter si injunctum fuisset, ut pœnitens singulis mensibus confiteretur, non peccaret

400. *Vel die determinatâ.*

mortaliter, si differret uno die ultra mensem; quia præsumitur mens Confessarii, ut tunc altero mense bis confiteatur; si ob indulgentias ad octiduum differret in alterum mensem, non peccaturum docent *Castrop Diana*, & alii. Sed in his videndum, annon specialis pœnitentis necessitas judicio Confessarii aliud exigat, ùt, si foret consuetudinarius, qui pœnitentiis medicinalibus valde egeret.

QUÆSTIO VII.

Quâ intentione, & in quo statu impleri debeat satisfactio Sacramentalis, & quæ ab impletione excusent?

401. *Sufficit intentio virtualis.*

Resp. 1. Etsi conveniens, & utilissimum sit eam implere piâ, humili intentione explicitâ, ex honestate virtutis reparandi honorem Dei læsum, & injuriam Dei illatam compensandi; sufficit tamen virtualis implicita, & confusa. *Ratio 1mæ partis est;* quia quò majore devotione impletur, eò majorem fructum confert, majore autem devotione impletur, si fiat cum intentione explicita Dei honorem læsum reparandi, & injuriam compensandi. *Ratio 2dæ partis est;* quia ponitur adhuc opus præceptum. Habetur verò intentio virtualis implicita confusa hoc ipso, quòd pœnitens ita sit constitutus, ut velit ponendo opus suæ obligationi satisfacere. Quare non requiritur, ut fiat cum intentione reflectente ad Sacramentum, vel præceptum Confessarii: Pœnitens enim non agit ùt Christi Minister, quasi ipsius nomine complens Sacramentum, sed ex obligatione præcepti, ab alio impositi, ergo sicut

sicut ad satisfaciendum aliis præceptis non requiritur intentio ponendi rem præceptam; quia præcepta est, sed sufficit ponere opus præceptum, ità hìc sufficit acceptâsse, & deinde implere. Nec obstat, quòd debeat satisfactio esse Sacramentalis: nam fit talis, quòd positã injunctione illius, & acceptatione Christus eam acceptet, prævisâ, aut positâ absolutione. Si dicas; qui vovit, aut pro pœnitentia audire debet Sacrum, non satisfacit, si immemor voti, aut Pœnitentiæ die festo audiat unicum, ergo nec satisfacit, qui immemor Pœnitentiæ alio die id audit. R. C. ans. N. C. *Ratio est*; quia censetur vovens promisisse,& Confessarius injunxisse Sacrum aliunde non præceptum: unde talis non poneret opus præceptum, vel promissum. Cæterùm potest quis implere Pœnitentiam eo tempore, quo aliud opus præceptum ponendum est, si ambo se compatiantur, v.g. injunctum pro Pœnitentia Rosarium, potest die Dominico sub Sacro recitari. Vide *Dicta* 1. *P. N.* 185.

Resp. 2. Pœnitentia ex multorum sententia sub veniali impleri debet in statu gratiæ. Ratio datur; quia suscipit partem Sacramenti indignè, & ponit obicem effectui, nempe remissioni pœnæ temporalis, quæ est effectus secundarius, pendens à primario, nempe à gratia sanctificante. At id negat *Lugo*, *La Croix*, & alii; quia olim imponebatur; & adhuc hodiedum quandoque imponitur pars satisfactionis peragenda ante absolutionem, à mortalibus, non attento, quòd contritio perfecta in multis sit satis rara, estque communis persuasio fidelium, non esse peccatum explere pœnitentiam, vel ejus partem post relapsum 402. *Quid, si in statu peccati mortalis impleatur?*

 in

in mortale. Nec obſtat, quòd ſit pars Sacramenti: nam etiam dolor, & Confeſſio eſt ejus pars, & quidem eſſentialis, nec tamen peccat venialiter illa pœnitens in ſtatu peccati mortalis, uti non peccat in mortali ſe aſpergens aquâ benedictâ. Nec juvat, quòd effectum ſecundarium Sacramenti ad tempus impediat: nam in mortali aſſiſtens ſacrificio Miſſæ impedit effectum ejus ex opere operato; nec tamen peccat venialiter ideo. Aliud eſt de eo, qui impedit effectum actionis Sacramentalis, quæ ponitur in nomine Chriſti; quia is aſſumit perſonam Chriſti tanquam operantis effectum Sacramenti, ſicque ei quodammodo illudit, ſi effectus impediatur. Itaque pœnitens in mortali implens pœnitentiam, ſicut juxta omnes ſatisfacit, cùm ſe verè caſtiget, ponatque ſubſtantiam operis, ità nec videtur peccare, neque Pœnitentia eſt infructuoſa; quia poſtea, ſublato obice, cauſat remiſſionem pœnæ partialis.

403. *Cauſæ excuſantes.* Reſp. 3. Ab impletione Pœnitentiæ excuſatur Pœnitens. 1mò. Si conſtet Confeſſionem fuiſſe invalidam. 2. Si Pœnitentia integra, ſpectatis omnibus, fuit immoderata: tunc enim excuſatur, ſaltem à parte, uti ſi fuiſſet injuncta etiam levis ad dies vitæ, vel in ſe nimis gravis. 3. Si fiat moraliter impoſſibilis. 4. Si Superior Religioſo, vel vir uxori ex juſta cauſa prohibeat opus injunctum, v. g. peregrinationem. Hoc tamen caſu tantùm ſuſpenditur obligatio.



QUÆS-

QUÆSTIO VIII.

An Pœnitentia possit persolvi per alium ?

Resp. Ordinariè non potest ; quia intentio Confessarii, eam injungentis, ordinariè est, ut is, qui deliquit, se castiget pro reparando Dei honore læso, & avertatur efficacius à peccatis, adeoque est obligatio personalis. 404. *Ordinariè non potest.*

Dixi : *Ordinariè* ; nam Confessarius concedere potest, ut pœnitentia, saltem quoad partem, per alium impleatur, & ipse quoque partem implere, ùt docent S. *Th.* S. *Bonav.* *Suar.* *La Croix* n. 1284. unius enim satisfactio potest applicari alteri, eique prodesse ad relaxandam pœnam, & impetrare, ut præservetur à relapsu, dumque se innocentem punit pro alio, movere ad vitam meliorem. Sic S. Xaverius militi injunxit *Pater & Ave*, seque flagellavit pro eo, & ad vitam meliorem eum reduxit. Non debet tamen tota pœnitentia committi alteri: dubium enim est, an pœnitentia ab alio peragenda sit pars Sacramenti, & ex opere operato causet remissionem pœnæ. Affirmat quidem *Suar.* etsi implens id faceret in mortali, sicut Missa prodest ex opere operato curanti illam, etsi Sacerdos in mortali celebraret. Sed negat id *Lugo*, *Vasq.* & alii; quia ex *Trid.* actus pœnitentis, contritio, confessio, satisfactio sunt Sacramenti materia ; ergo sicut confessio ipsius pœnitentis, sic ejus satisfactio, & non alterius est pars Sacramenti. Spectandum tamen, quam actionem velit à pœnitente poni : nam si injungat

gat Eleëmosynam, hic satisfacit dando eam per famulum; quia injunctum illi tantùm fuit, ut daret ex suis seu per se, seu per alium, si injunctum fuit, ut curaret legi Sacrum, injuncta tantùm fuit illi procuratio &c. *Vide Analysin num.* 185.

QUÆSTIO IX.

An, & quis Pœnitentiam à Confessario injunctam mutare possit?

405. *Non potest ipse pœnitens.* Resp. 1. Pœnitens non potest propriâ authoritate eam mutare etiam in opus evidenter melius; tum quia satisfactio non potest esse Sacramentalis, nisi imponatur à Ministro Sacramenti virtute clavium, tum quia Reus non potest mutare sententiam Judicis, nec subditus opus præscriptum à Superiore: sequeretur enim perpetua mutatio legum, & abusus, magnaque difformitas. *Nec juvat*, quòd quis propriâ authoritate mutare possit votum in melius; quia hoc pendet à voluntate voventis, estque ejus obligatio implicitè conditionata: non enim censetur vovens se obligare, nisi cum retenta potestate mutandi in melius; præceptum autem Confessarii est absolutum.

406. *Potest tamen Confessarius, qui eam imposuit.* Resp. 2. Pœnitentiam ex justa causa imminuere, vel mutare potest Confessarius, qui eam imposuit, modò adhuc recordetur status pœnitentis, & peccatorum, saltem in confuso, ob quæ imposita fuit, & non sit tempus intermedium tam longum, ut non possit censeri moraliter unum judicium. *Ratio est;* quia hoc quandoque expedit ad bonum animarum, ad quod hoc judicium ordinatur, potestque Judex

Judex moderari, & cum consensu Rei mutare pœnam dictatam. Debet autem hoc fieri in confessione alia: nam impositio, mitigatio, mutatio pœnitentiæ est actus judicialis, qui non nisi cognitâ causâ exerceri potest à Judice sedente in suo tribunali. Si Confessarius non recordetur statûs pœnitentis, opus est novâ confessione explicitâ. An, si Confessarius sit memor statûs requiratur accusatio nova in confuso, dubium est, negat *Lugo*, *Hann. Arr. Vasq.* & alii; quia, quamdiu pœnitentia imposita non est impleta, Judex habet jus agendi de illius impletione, modo in hanc Reus consentiat fitque adhuc intra sacramentale judicium hoc ipso, quòd pœnitens à Confessario, adhuc memore ejus statûs, illam petat, referturque mutatio ad confessionem, & absolutionem priorem, ut componat cum illa integrum judicium, quod facere potest, quamdiu Confessarius recordatur statûs pœnitentis, sicut pœnitentiæ primæ executio, etsi seriò facta refertur, integratque Sacramentum, & constituit unum moraliter cum prioribus actibus. *Confirmatur.* Si Confessarius reservâsset sibi facultatem mutandi pœnitentiam, posset eam mutare, quamdiu recordetur statûs pœnitentis, censetur autem implicitè sibi reservare illam potestatem, cùm censeatur minimum, libertati suæ repugnans voluisse seligere; modò tamen pœnitens consentiat; quia sententia semel lata videtur transiisse in rem judicatam, quasi per modum contractûs. Oppositam sententiam tenent apud *Illsung*, *Suar. Con. Laym.* requirentes ad pœnitentiæ mutationem, ut peccata, saltem in confuso, pœnitens iterum confiteatur, nisi brevis tantùm

mora

mora intercesserit, eo quòd judicium exercere non possit circa causam, ubi non est accusatio. Verùm non apparet, cur id non possit vi prioris accusationis, si se pœnitens sistat, se confessum fateatur, mutationemque petat, & Confessarius ejus statûs recordetur, nec interposita sit mora nimis longa.

407. *Potest & alius, si iteretur confessio.* Resp. 3. Potest quoque alius Confessarius, habens jurisdictionem in illum pœnitentem, licèt cæteroquin inferior, mutare ex justa causa pœnitentiam, ab alio impositam pro peccatis, saltem non reservatis, debet tamen confessio fieri peccatorum, pro quibus imposita fuit. *Ratio 1mæ partis est*; quia alius talis Confessarius, licèt cæteroquin inferior, quoad forum pœnitentiæ, habet æqualem potestatem, nec se habet velut inferior, sed tanquam Judex succedens alteri in eodem tribunali, & munere; per eandem autem potestatem, qua obligatio inducitur, potest solvi, si id Reus petat, & adsit justa causa, qualis esset, si pœnitentia fuisset ab initio, aut mutatis circumstantiis evasisset nimis difficilis, si novam majore cum fervore, aut cum minore peccandi periculo esset executurus, si interim multa bona opera fecisset. Aliud foret, si nulla esset mutandi causa; quia sententia justè lata sine causa ab alio mutari non potest. *Ratio 2dæ partis est*; quia mutatio pœnitentiæ est impositio novæ loco prioris, adeoque actus judicii sacramentalis; hoc autem judicium exercere non potest, nisi cognoscat causam, & in sacro tribunali absolvat, totumque Sacramentum conficiat, aut antè confecerit, quod nunc compleat. Non requiritur tamen tum exacta peccatorum repe-

repetitio, sed sufficit repetere præcipua, ob quæ talis pœnitentia fuit imposita.

Dixi: *Potest mutare pœnitentiam impositam pro peccatis non reservatis*: nam *Suar. Lugo* & alii tenent, quòd secundus Confessarius, non habens potestatem in reservata, non possit mutare pœnitentiam pro iis impositam, eò quòd tunc non succedat in tribunal prioris, consequenter potestatem non habeat circa sententiam ab eo latam, neque mutatio pœnitentiæ respicit peccata, nisi ùt erant in priore confessione, & velut necdum confessa, & judicata: secundus enim Confessarius revocat priorem sententiam quoad satisfactionis impositionem. Alii tamen cum *Vasq. Castrop. Bonav.* oppositum tenent; quia reservatio jam est sublata, & peccata non fuerunt directè reservata in ordine ad impositionem pœnitentiæ, sed in ordine ad sententiam absolutionis, quæ quia ob recursum ad Superiorem difficilior est, manet utilitas reservationis.

Dices. Non apparet, quomodo stet salva integritas Sacramenti prioris, si alius Confessarius mutet satisfactionem, & novum Sacramentum conficiat. Resp. Imprimis relinqui potest pars prioris pœnitentiæ, & jam stabit integritas prioris Sacramenti. Si pars non relinquatur, dicit *La Croix*, quòd prior pœnitentia transeat in secundam, sicque per hanc utrumque Sacramentum compleatur. *Lugo* putat, non esse inconveniens, quòd Sacramentum maneat integraliter incompletum, si nihil desit ad integritatem judicii. Dici quoque potest, quòd prior Confessarius obligârit ad executionem satisfactionis, aut petitionem

408. *Objectio soluta.*

nem

nem mutationis, petitio autem hujus compleat primum Sacramentum.

CAPUT X.

De Indulgentiis.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit Indulgentia?

409. *Definitio.* RESp. Indulgentia est relaxatio pœnæ temporalis, Deo pro peccatis quoad culpam remissis adhuc debitæ, posito certo opere bono, vel oratione, facta extra Sacramentum ab habente potestatem per applicationem satisfactionum Christi, & Sanctorum: Christus enim Salvator noster Deo Patri pro plena peccatorum nostrorum remissione suas obtulit satisfactiones, quæ eum in finem manent in acceptatione Dei, & dicuntur thesaurus Ecclesiæ, ad quem Christus claves dedit suo in terris Vicario supremo, volens, ut eum dispensaret, solutumque esset in Cœlis, quidquid ipse solveret in terris.

410. *Divisio.* Resp. 2. Indulgentia variè dividitur: nam 1. Alia est totalis, seu plenaria; alia partialis, seu non plenaria. Plenaria est, quâ remittitur tota pœna, seu omnis tam in foro Pœnitentiæ, quàm in foro Dei debita, & in Purgatorio luenda; uti habet communis sententia cum *Suar.* Quando enim supremus Christi Vicarius, qui præstitis certis operibus ex justa causa potest omnem remittere, relaxationem non restringit, nec nos restringere debemus. Quare *Cajet.* & quidam alii, dicentes, remitti solùm pœnam, respondentem pœnitentiis pro talibus

pec-

peccatis per Canones olim injungi solitis, communiter non audiuntur, uti nec *Nav.* volens per plenariam Indulgentiam solùm remitti pœnam, mortalibus, quæ quis confitetur, debitam; per plenissimam verò remitti omnem, Indulgentia partialis est, quâ tantùm pars pœnæ relaxatur, eaque vel indeterminata v. g. pars tertia, vel determinata. Hæc quandoque est tantùm unius anni, estque tantæ pœnæ remissio, quanta olim remittebatur per pœnitentiam unius anni, secundùm Canones injungi solitam; quandoque est septem, centum, & plurium annorum, quâ remittitur pœna, tanta, quanta remittebatur per pœnitentiam, tot annorum, per Canones antiquos injungi solitam. Alia est quadraginta dierum, & dicitur Carena à carentia ciborum præter panem, & aquam, quæ injungebatur olim. Item alia Quadragena, quæ erat pœna, quæ per Quadragesimam subiri debebat. Unde, quando in Bullis Pontificum dicitur, quòd detur Indulgentia Carenæ, Quadragenæ &c. sensus est, quòd remittatur pœna tali pœnitentiæ respondens. Ex quo etiam intelligitur, quo sensu dentur quandoque mille, & amplius annorum Indulgentiæ.

2. Indulgentia alia est pro vivis, alia pro defunctis: illa conceditur per modum solutionis, & absolutionis, hæc per modum solutionis tantùm; quia Papa in animas defunctorum jurisdictionem non habet; hinc eas absolvere à pœnis velut per sententiam non potest; sed per modum suffragii, præstitis per vivos operibus requisitis, offert Deo satisfactiones Christi in solutionem pro debito pœnæ, à defunctis adhuc luendæ. An infallibiliter prosit animabus in Purgatorio, quibus applicatur, dubium est. Negant ali-

aliqui. Affirmat S. *Th. Nav. Suar.* & alii, quorum sententiam probabiliorem dicit *Palao.* Ludovicus Pius Rex Franciæ, Caroli Magni Filius, quia non satis strenue se opposuit vagæ subditorum suorum libidini luit in Purgatório 30. annis, ut refert Baronius in Annalibus Francorum anno 874. inchoante & tamen quis dubitet millena illi Sacra fuisse applicata?

3. Indulgentia alia est personalis, quæ per se directè personis sine determinatione loci, vel rei materialis conceditur; alia realis, quæ rei certæ, v. g. Rosario, Cruci, Numismati; alia localis, quæ certo loco v. g. Ecclesiæ, Altari affixa est.

4. Alia temporalis, quæ datur ad certum tempus v. g. septennium, eoque exacto finitur; alia est perpetua, quæ durat, donec revocetur, vel res intereat, vel sine spe reædificationis destruatur locus, cui affixa est.

5. Alia est per modum Jubilæi, quæ est Indulgentia, qualis in anno sancto concedi solet. An alia insuper potestas specialis concedatur cum illa, inspicienda est Bulla concessionis.

Indulgentiæ stationum.

Aliæ sunt Indulgentiæ Stationum, quæ conceduntur visitantibus certas Romæ Stationes, quarum origo hæc est: Tempore persecutionum conveniebant Christiani in Basilicas Martyrum, tum ad cultum Dei, tum ad alia boni communis tractanda; cessante autem persecutione cæperunt negligi conventiones illæ: hinc, ut earum usus maneret, *Greg. Magnus* concessit maximas Indulgentias Stationibus. Has diebus determinatis possunt etiam extra Romam per orbem lucrari omnes Religiosi in suis Ecclesiis orantes, Sodales Annuntiatæ Virginis, & studiosi in templis Societatis JEsu. Item Sodales Rosarii. Ad alios Fideles non reperitur extensio;

quia

quia autem in urbibus plerique sunt in aliqua Sodalitate, hinc rectè monentur, ut templa visitent pro Indulgentiis.

QUÆSTIO II.

Quis possit concedere Indulgentias?

Resp. 1. Potestate ordinariâ omnis generis concedere Fidelibus ex causa justa & proportionata potest Papa: hic enim, utpote supremus Ecclesiæ Princeps, à Christo generalem accepit potestatem dispensandi thesaurum Ecclesiæ, Fideles solvendi, & ligandi. 411 *Papa.*

Dixi: *Ex causa justa & proportionata*: nam Papa est tantùm dispensator, non verò Dominus sacri thesauri. Unde, si sine causa dispensaret, esset dissipator, & Indulgentiæ concessio esset invalida; si adesset causa, sed non proportionata, non valeret concessio quoad excessum; quia eatenus foret irrationabilis.


Causæ autem sunt: Exaltatio Ecclesiæ, extirpatio hæresis, concordia Principum Christianorum, augmentum devotionis, cultus Beatissimæ Virginis, alicujus Sancti, promotio instructionis in doctrina Christiana, remuneratio obsequii spiritualis &c. *Causa.*

2. Episcopus dare potest Indulgentias pro sua tantùm Diœcesi, easque limitatas, nam in Dedicatione Ecclesiæ dare potest Indulgentiam unius anni, & in ejus anniversario die 40. dierum perpetuò recurrentem: talem & dare potest aliis diebus ex justa causa. Major non legitur quoad hoc concessa Episcopis potestas, quæ ordinaria dicitur; quia annexa officio. Idem potest Archi-Episcopus non tan- *Episcopus.*

tùm pro sua Diœcesi; sed etiam pro tota Provincia sua, etsi actu non visitet, aut sit absens, imò nec consecratus, modò tamen sit confirmatus; quia concessio Indulgentiæ non est actus ordinis, sed jurisdictionis voluntariæ, quæ potest exerceri ab existente extra Diœcesin, & in subditos Suffraganeorum ab Archi-Episcopo, etsi actu non visitet.

Generales, & Provinciales Regulares. 3. Potestate delegatâ Indulgentias in certis casibus concedere possunt Generales, & Provinciales suis subditis Religiosis. Cæterùm concessio Indulgentiarum reservatur dignitati Episcopali. Unde nullas, secluso speciali privilegio, concedere possunt Abbates, Vicarii, Episcopi, Capitulum, Sede vacante, cæterique non Episcopi.

412. *Quid sit communio meritorum Ordinis Religiosi.* *Petes.* Quid largiantur Prælati Regulares, quando admittunt Sæcularem ad communionem specialem meritorum sui Ordinis? Resp. Recipiunt eum in fratrem sui Ordinis spiritualem, atque is fit particeps bonorum operum, quæ in Ordine fiunt, moveturque Deus ad majorem illi gratiam conferendam ob conjunctionem arctiorem cum Religiosis. Putat tamen *Lugo*, quòd sic assumptus non participet satisfactiones Religiosorum præcisè vi assumptionis; quia satisfactio communicari non potest, nisi ab ipso operante, sicut subditi Missa non potest validè applicari à Prælato sine intentione subditi offerentis. Vide *Suar.* D. 55.



QUÆS-

QUÆSTIO III.

Quænam requirantur ex parte operantis ad lucrandas Indulgentias?

Resp. Ut quis lucretur Indulgentias, debet esse baptizatus; quia dispensatio thesauri Ecclesiæ à dispensatore fieri potest tantùm in membra Ecclesiæ; his enim tantùm est præpositus. 413.

Ut baptizatus, & in statu gratiæ sit, nec excommunicatus.

2. Debet esse liber ab excommunicatione majore, saltem affectu, & quantùm est de se; quia aliàs Ecclesia non vult, eum esse participem communionis bonorum spiritualium suorum; suspensus tamen, interdictus, irregularis est capax Indulgentiæ.

3. Debet esse in statu gratiæ, quando effectus Indulgentiæ conferendus, seu pœna relaxanda est; quia Indulgentia tantùm aufert reatum pœnæ: hic autem non aufertur, nisi auferatur & culpa.

4. Ut obtineatur plenaria omnium peccatorum Indulgentia, debent omnia, etiam venialia, ità retractari, ut quoad culpam remittantur; quia reatus pœnæ non remittitur sine reatu culpæ: cùm autem pauci plebeji eò assurgant, ut efficaciter detestentur omnia venialia, pauci etiam plenam in sensu absoluto Indulgentiam lucrantur. Nihilominus consequi possunt plenam in sensu accommodo, nempe remissionem omnis pœnæ restantis ex peccatis, quoad culpam dimissis: si enim ad hoc sint dispositi - non est mens Pontificis, ut omni fructu priventur; cùm Indulgentia sit gratia Principis, nulli præjudicans; & aliàs

Pontifex meliùs consuleret Fidelibus, si daret Indulgentias non plenarias: has enim faciliùs, & certiùs lucrarentur plerique omnes in gratia constituti.

QUÆSTIO IV.

Quænam requirantur ex parte operum, quæ præscribuntur?

414. *Ut fiat integrum.* Resp. Omnia opera injuncta debent impleri integrè in loco, tempore, ordine determinato, & ad finem præscriptum; quia Indulgentia non conceditur, nisi sub conditione. Proinde hâc omissâ non obtinetur: concessio enim non extendit se ultra intentionem concedentis.

Hinc 1. Qui opus injunctum, vel notabilem ejus partem omittit, quamvis ex ignorantia, vel oblivione inculpabili, vel ex impotentia, nihil consequitur; quia simpliciter non implet conditionem, seu formam præscriptam, cui alligata est Indulgentia: concessio enim sub certa conditione, vel forma corruit, si conditio, vel forma deficiat. *Excipe*, nisi Pontifex contrarium exprimat, sitque conatu contentus, si poni totum non possit, uti fit in itinere Romam.

2. Si præscribatur, ut opera fiant à verè pœnitentibus, vel ad placandum Deum, etsi necesse non sit, ut omnia fiant in statu gratiæ; cùm id Pontifex non requirat, & opera absque eo possint esse utilia ad finem concessionis Indulgentiæ, utpote de congruo impetratoria; nullum tamen ex præscriptis debet esse de se peccaminosum, quale foret sacri-lega

lega Confessio, vel Communio; secùs eleëmosyna data simul ex vana gloria.

3. Si injungatur actio personalis, v. g. oratio, jejunium, debet fieri ab ipso, qui lucrari vult Indulgentiam: secùs, si exigatur actio respiciens tantùm bona ejus extrinseca, uti, si præscribatur eleëmosyna: hanc enim ex suis dare per alium potest. *Quid, si actio personalis?*

4. Si in Bulla concedatur Indulgentia contritis, vel confessis, secundùm multos confessio non est necessaria habenti sola venialia: eò quòd confessio exigatur ad statum gratiæ, si desit, recuperandum; proin si adsit, cessat finis. Alii tamen tenent, requiri confessionem per modum conditionis, & tanquam opus præscriptum; quod saltem verum est, si dicatur: qui præmiserit confessionem, qui præmissâ confessione communicaverit, vel: quoties confessus communicabit. Cæterùm in dubio hìc tutius eligendum est: non enim probabilitas, sed veritas effectum conferet. Unde, si præscribatur oratio, fiat simul vocaliter: etsi enim *Viva* putet, sufficere mentalem, cùm verè sit oratio; alii tamen probabiliter contradicunt. Expedit etiam fieri cùm cognitione, & intentione finis explicitâ, ob quem conceditur Indulgentia: nam quando præscribitur forma ad aliquid, debet servari sub sua ratione specifica; communis tamen persuasio habet, satis esse, quòd fiant ad intentionem & finem Ecclesiæ, etsi non habeat explicitam cognitionem finis. *La Croix* N. 1324. Si dicatur in Bulla: *Qui ad tempus oraverit,* sufficit medius quadrans. *Quid, si confessio?*

5. Si præscribatur visitatio templorum, poterit id fieri vel comitando Processionem, vel *Visitatio templi.*

privatim adeundo : poterit etiam fieri curru vel equo ; uti & ab eo , qui in templo habitat , vel audit Missam. Quodsi illud ingredi non posset, satisfacit orando ad ostium etiam clausum ; nisi præscripta esset visitatio certi Altaris in templo : quanquam & tunc videatur sufficere, se ad illud vertere , etiam extra templum ad ostium. Sicut , si præscripta sit visitatio plurium Altarium , satis est , ex loco eodem se convertere ad singula. Porrò visitatio debet esse devota, ut nempe ingressus sit modestus, & oratio, etsi in via fabulæ præcessissent.

Jejunium. 6. Si, ùt fieri solet in Jubilæo, præscribatur Jejunium feriâ 4tâ, 6tâ, & Sabbato; servari diebus præscriptis debet in una hebdomade etiam ab iis, qui cæteroquin ad Jejunium non tenentur ; satisfit tamen , etsi aliunde sit debitum v. g. ex voto : non enim desinit esse Jejunium. *La Croix* contra *Viva*.

Eleemosyna. 7. Si præscribatur eleëmosyna , uti & fit in Jubilæo , nomine ejus venit quodcunque opus misericordiæ corporalis : debet autem esse proportionata facultatibus , si ità præscribatur ; secùs satis est , si verè reputari possit eleëmosyna. Non debet esse quid ex Justitia etiam legali debitum ; uti debetur sustentatio parentibus, avis, fratribus ; quia tunc est solutio, & desinit esse eleëmosyna : habentes enim tale jus non sunt pauperes : esset tamen eleëmosyna relatè ad alios consanguineos pauperes, quales censentur omnes , qui juxta conditionem , & qualitatem suam non habent necessaria. Si quîs eleëmosynam committeret famulo , ut daret pauperibus, aut, uti fieri potest, Ecclesiæ, Hospitali, Monasterio &c. & is

non

non exsequeretur, probabiliter obtineretur Indulgentia, uti &, si daret pauperi ficto, quem bonâ fide putaret verè pauperem: quia sua dedisset ad sublevandam miseriam hominis suâ opinione pauperis.

8. Si præscribatur Confessio, ea debet esse valida: potest tempore Jubilæi fieri unâ & alrâ die ante primam Dominicam, & etiam ultimâ die Communionis, uti declaravit *Gregor. XIII.* idque, etsi dicatur: *Ante omnia confiteatur*: quia τὸ *ante* significat ibi, præcipuè præscribi Confessionem.

QUÆSTIO V.

Quænam requirantur, ut Indulgentia prosit Fidelibus defunctis?

Resp. Requiritur 1. Ut velut illis applicabilis in Bulla specialiter concedatur, aut Pontifex specialem det facultatem eam ipsis applicandi, prout dedit Societati JESU *Benedictus XIII.* Etsi enim *Gobat* putet, quemvis posse universim Indulgentiam sibi concessam applicare defuncto, sicut potest satisfactionem operum suorum transferre in alterum; communior tamen id negat: cùm enim Indulgentiæ pendeant à voluntate Pontificis, non possunt pluribus, aut aliis prodesse, quàm quibus prodesse ipse velit, vel permittat; censetur autem velle, ut non sint applicabiles vivis concessæ, nisi is id exprimat, cùm aliquando exprimat, aliquando non. Quare si dicatur: *Pro vivis, & defunctis*, his applicari poterunt; si autem simpliciter dicatur, concedi Fidelibus, applicari defunctis non poterunt; quia per Fideles simpliciter veniunt soli viventes. 415. *Concessio Papæ.*

Intentio

2. Requiritur, ut adsit intentio lucrandi Indulgentiam pro Defuncto, & ut omnia opera rectè peragantur.

An statu gratiæ.

3. Requirunt aliqui, ut saltem ultimum opus fiat in statu gratiæ; sed negant id alii: eò quòd opera illa habent se, ùt conditio, illque positis animæ in purgatorio applicentur satisfactiones Christi, & prosint illi, sicut Domino prodest eleëmosyna, quam dat per impium famulum. At cùm hoc incertum sit, curandum, ut fiant aliqua saltem in statu gratiæ.

QUÆSTIO VI.

Quandonam cessent Indulgentiæ concessæ?

416. *Secundum voluntatē concedentis.*

Resp. Sicut concessio, ità & duratio earum pendet à voluntate concedentis. Hinc 1mò. Concessæ ad certum tempus, vel sub conditione, cessant tempore finito, vel conditione deficiente. 2. Concessæ ad beneplacitum concedentis cessant per ejus mortem; quia beneplacitum per mortem exspirat. 3. Annexæ certæ rei, vel loco cessant interitu rei, cui annexæ, vel deficiente loco, cui concessæ erant, si destructio talis fiat sine spe reædificationis, si autem sit spes reædificationis: hæcque post non longum tempus fiat, redit Indulgentia, quæ tempore destructionis suspensa erat; quia Ecclesia, ubi per consecrationem, vel benedictionem redit ad sacras functiones, est moraliter eadem. Ità *Laym. Suar.* de Indulgentiis, & alii. 4. Per revocationem concedentis, vel hujus Successoris, vel utriusque superioris intimatam. 5. Concessæ ad certum tem-

tempus, v. g. ad ſeptennium ceſſant, redeunte die dati Brevis. Non enim incipit ſeptennium currere, ùt ante hac erat communis opinio, à die ſubſcriptionis Epiſcopi, & publicationis; ſed à die dati Brevis, ût declaravit S. Congr. approbante Pontifice Anno 1711. die 18. Maji apud *La Croix L. 6. P. 2. N.* 525. Econtra non ceſſat Indulgentia abſolutè conceſſa 1mò morte concedentis; quia eſt beneficium Principis, quod decet eſſe manſurum. Nec 2dò. ceſſante causâ, ob quam data eſt: poteſt enim dari Indulgentia perpetua ob cauſam temporalem. Sic unius anni Indulgentia conceditur ob dedicationem Eccleſiæ, quæ uno die finitur. Nec 3. ex eo; quod eidem loco ſimilis conceſſa fuerit nullâ mentione prioris factâ in impetratione: nam ob hunc defectum ſecunda conformiter dicendis nullius eſt valoris; prior verò manet in ſuo vigore.

QUÆSTIO VII.

Quæ vis, & ſenſus ſit clauſulæ, volumus autem; ùt præſentes literæ ſint nullæ, ſi alia Indulgentia conceſſa ſit eandem Eccleſiam viſitantibus?

An hanc quæſtionem reſpondit S. Congr. 1676. 23. Junii approbante Pontifice, eâ clauſulâ minimè contineri Altaria privilegiata pro Defunctis, neque Indulgentias certo perſonarum generi conceſſas, ùt Confraternitati Regularibus, & Capitulo, aut certum opus pium in Eccleſia peragentibus, ùt Litanias, aliaſve hujuſmodi preces recitantibus, ac iis, 417. *Reſponſum S. Congregationis*

qui Christianâ doctrinâ erudiuntur, aut alios erudiunt, & qui sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti expositioni cum oratione quadraginta horarum intersunt, neque stationum urbis, & septem Altarium, instar septem Altarium Basilicæ vaticanæ concessas: neque demum, quæ pro unica vice conceduntur. Cæterùm si alia Indulgentia sive plenaria, sive non plenaria in perpetuum, vel ad tempus tum ab eodem, tum ab alio Romano Pontifice generatim Christi Fidelibus Ecclesiam, vel aliquod ejus Altare, seu Capellam visitantibus eodem anni die vel diverso concessa fuerit, de quo non fiat in literis Apostolicis mentio, has literas ob adjectam clausulam esse prorsus irritas, ac nullas. Hoc Decretum extat apud *La Croix L. 6. P. 2. sub N.* 1379. Si tamen Indulgentiæ concessæ sint ad annos 7. non debet numerari annus Jubilæi, nisi esset additum ad 7. annos proximos; censentur enim concessæ ad 7. annos utiles, nisi aliter declaretur *Gobat, Viva apud La Croix N.* 1378.

QUÆSTIO VIII.

An quis possit eodem die diversas, aut bis easdem Indulgentias lucrari?

418. *Spectanda mens concedentis.* Resp. Pendet id à mente Pontificis, Indulgentias elargientis. Is, si facultatem sic lucrandi Indulgentias in literis concessionis neget, patet, fieri ista non posse. Sic bis eodem die lucrifieri non possunt Indulgentiæ stationum, ùt declaravit Pontifex apud *La Croix L. 6. P. 2. N.* 1370. Nec tribus diebus anteci-

tecineralibus apud nos, ùt habet N. 1374. si autem nihil exprimatur à Pontifice, DD. in diversas abeúnt sententias. Ac primò quidem; si Indulgentia sit concessa diversis Ecclesiis, & diversis titulis, v. g. titulo Festi, & titulo Confraternitatis, posse utrasque obtineri per eandem Confessionem, & Communionem, modò in utraque Ecclesia fiant preces ad fines præscriptos, tenet *Bonacina Escobar*, & alii, quibus consentit *Viva*, si opera eodem die omnia non possint repeti. At negant id *Suar. Gran. Con.* eò quòd ex mente Ecclesiæ, & praxi Fidelium singula opera pro singulis Indulgentiis requiruntur. 2. Si Indulgentia sit pro certo tempore concessa, posse intra illud tempus sæpiùs obtineri, si repetantur opera injuncta; quia favores sunt ampliandi, tenet *Henriquez*, & *Roderiquez*, negat *Lugo*, eò quòd mens concedentis videatur contraria. 3. Si Indulgentia sit concessa nùllo determinato tempore, v. g. visitantibus certam Ecclesiam, posse obtineri toties, quoties quis vult, putat *Layman*, sed spectanda mens rationabilis Pontificis: est enim tantùm dispensator thesauri Christi, nec potest eum dispensare sine legitima causa. In his dubiis tentare licet: Pietas enim ad omnia utilis est. Putatque *Viva*, & alii, quòd procedens juxta probabilem lucretur Indulgentias. 4. Quamvis Indulgentiæ tam agoniæ, quàm Communionis generalis possint applicari animabus purgatorii, non tamen quis eodem die bis orando septies *Pater*, & *Ave*, easdem semel sibi, & semel animæ potest applicare; quia sunt concessæ sub disjunctione, ut quis sibi, vel animæ eas possit applicare.

QUÆS-

QUÆSTIO IX.

Quæ præterea ſint obſervanda de Indulgentiis tempore Jubilæi?

419. *Origo Jubilæi, & favores.* Reſp. Sequentia: 1. Annus quiſque quinquageſimus in lege veteri Judæis erat Jubilæus, ſeu remiſſionis, in quo jubebantur vacare ab agricultura, remittere debita, poſſeſſiones acquiſitas Dominis prioribus abſque pretio reſtituere, ſervos libertate donare, ùt conſtat ex *Cap.* 25. & 27. *Levitici.* Hinc vocabulum Jubilæus, vel Jubilæum Bellarminus de Indulgentiis *L.* 1. *Cap.* 1. deducit ab hebræo Jubal, vel Jabal, quod ſignificat germinare; quia nempe Anno quinquageſimo non colebatur terra, ſed ſpontè germinantibus Judæi veſcebantur, alii tamen derivant à voce hebræa Jobel, quæ ſecundùm aliquos ſignificat Quinquageſimum, ſecundùm aliquos ſonitum buccinæ, quo indicebatur annus quinquageſimus. Erat autem annus ille figura remiſſionis peccatorum futuræ in lege gratiæ per Chriſtum ad ingreſſum regni cœleſtis; ùt conſtat ex *Cap.* 61. *Iſaiæ*, juncto *Cap.* 4. *Lucæ.*

2. Ad imitationem teſtamenti veteris nunc annus Jubilæus dicitur, qui Romæ cum pleniſſima peccatorum Indulgentia magno gaudio, & ſolemnitate celebratur, diciturque annus ſanctus. Hic primis ſæculis celebrabatur tantùm anno quoque centeſimo, poſtmodum per *Clementem VI.* omni anno quinquageſimo, per *Urbanum VI.* omni trigeſimo anno, per *Paulum II.* omni anno vigeſimo quinto celebrari cœpit. Hoc Jubilæum promulgatur

gatur Romæ futurum die Ascensionis Domini, & incipit à primis Vesperis Vigiliæ Nativitatis Christi, duratque usque ad sequentes vesperas Vigiliæ ejusdem Festi, quibus finitur.

3. Hoc anno durante suspenduntur omnes Indulgentiæ pro vivis concessæ, nisi Pontifex pro tempore existens aliquas excipiat, non tamen concessæ immediatè pro Defunctis, v. g. in Altari privilegiato; sic enim declaravit *Clemens X.* Secùs est per ejusdem declarationem de concessis pro Vivis, quæ Defunctis sunt applicabiles, saltem per se loquendo, quod addo: nam *Benedictus XIII.* Anno 1725. indulsit, ut Defunctis applicabiles illo anno manerent, & applicari iis possent. *Benedictus* verò *XIV.* concessit hoc anno 1750. ut omnes, etiam alioquin Defunctis non applicabiles, iis valeant applicari. Deinde non suspenduntur Indulgentiæ Laureti, nec Portiunculæ Assisii, licèt suspendantur in aliis locis, ad quæ sunt extensæ. Neè suspenduntur concessæ pro moribundis, ùt declaravit *Clemens X.* apud *Viva.* Denique non suspenduntur facultates, concessæ Episcopis, & Confessariis in alium finem, quàm ad lucrandas Indulgentias. *Indulgentiæ suspensæ in anno sancto.*

4. Anno sancto Romæ finito, solet Pontifex, si Episcopi, aut Nuntii petant universale Jubilæum, seu Indulgentias concedere toti Ecclesiæ, & pro iis lucrandis præscribere orationem, visitationem templorum, jejunium in septimanæ ejusdem Feria quarta, sexta, & Sabbato. Dein solet concedere speciales facultates, & favores, ùt eligendi Confessarium approbatum, absolvendi à reservatis, commutandi vota &c. Quæ facultates, cùm sint *Facultates speciales in Jubilæo universali.*

favo-

favores, latissimam admittunt interpretationem, salvâ tamen proprietate verborum, & stylo Curiæ. Quia autem non semper conceduntur eædem, expendenda sunt Bullæ verba, de quo vide *suprà N 366.* Jubilæum durat in loco quoque diebus 15. nempe tribus diebus Dominicis, & 12. aliis. Quanquam Episcopus posset & alium diem, quàm Dominicum, pro initio determinare.

Absolutio à reservatis 5. Cùm dictæ facultates concessæ sint in favorem eorum, qui intendunt lucrari Jubilæum.

Hinc 1mò intendens illud lucrari potest absolvi à reservatis etiam primâ incipientis die, antequam ullum de præscriptis operibus peregerit. Si autem postea negligeret Indulgentias Jubilæi lucrari, quanquam maneret absolutus, peccaret tamen, & quidem juxta *Suar. Vasq.* & alios graviter, eò quòd non respondeat tacitæ promissioni in re gravi; juxta *Sanch.* tamen *Lug. Castrop.* non nisi venialiter.

2. Si conatus lucrari opera peregisset, & in Confessione reservatum esset inculpabiliter oblitus, vel ex justa causa omisisset; posset postea à non habente facultatem in reservata ab eo absolvi; quia prior Confessarius voluit facere, quod potuit, & reservationem sustulit. Secùs foret, si Confessio fuisset sacrilega; quia cùm hæc non sufficiat ad lucrandum Jubilæum, non tribuit jus ad favores Jubilæi.

3. Si lucratus primâ septimanâ Jubilæum in sequenti laberetur in reservatum, ab eo posset adhuc absolvi, saltem si opera repetat præscripta. Porro in Jubilæo reservatio tolli debet in Confessione: quanquam enim habens po-

potestatem ordinariam absolvendi à reservatis, possit reservationem tollere extra Confessionem, hìc tamen facultas est delegata eâ lege, ùt auditâ Confessione absolvatur Pœnitens.

4. In Jubilæo pro foro interno absolvi possunt excommunicati etiam vitandi, & publici percussores Clerici, etsi res deducta esset ad forum contentiosum, & necdum finita; quia verba absoluta Bullæ eos comprehendunt. Absolutio tamen talis non impediret, quò minùs Judex posset cognoscere causam, & pœnam injungere. Si autem excommunicatio esset occulta, posset absolutus pro foro interno se gerere instar non excommunicati, & Beneficium etiam Ecclesiasticum admittere: hoc enim nulli præjudicat, nec parit scandalum. Si denique fieret dein publica, ad absolutionem probandam sufficeret Confessarii attestatio; quia in iis, quæ nemini nocent, & alteri prosunt, sufficit unus testis *ex Cap. Parvulis de Consecratione Dist.* 4.

5. Facultas concessa ad absolvendum à reservatis, extendit se ad reservata ab Episcopo; etsi id in Bulla non exprimeretur, ùt habet communissima. Idque verum est etiam de hæresi, quam sibi fortè Episcopus reservâsset; dum concessa est facultas absolvendi ab hæresi Pontifici reservata; quia universalis gratia Principis non debet impediri per dispositionem inferioris, nisi aliunde constet oppositum. Videri potest *La Croix à N.* 1447. *ad N.* 1459.

6. Vi facultatis commutandi vota in Jubilæo 1mò commutari possunt omnia vota etiam jurata, & votum non vovendi, votum *Commutatio votorum.*
non

non petendi commutationem, modò non sit in præjudicium tertii, nec sit votum castitatis perpetuæ, aut Religionis reservatum. Votum tamen castitatis, & religionis, ab impubere emissum, commutari potest; quia ex plerumque contingentibus præsumitur non fuisse plenè deliberata promissio. 2. Commutatio fieri potest extra Confessionem etiam ab eo, cui non cogitas confiteri, idque ante opus ex præscriptis peractum, modò adsit animus lucrandi Jubilæum, & sæpiùs etiam, ut si novum interim emisisses. Debet autem commutatio fieri non sub conditione, sed absolutè: quia Papa non restringit; proinde dat jus commutationis absolutæ. 3. Si vota aliqua reservata excipiantur, & petatur commutatio voti conditionati, expendenda est conditio: nam quamvis vota conditionata non sint reservata, si ad ea potiùs moverit necessitas, vel indigentia, quàm bonitas materiæ, quæ vovetur, si tamen hæc principaliter moverit, sunt vota reservata: ut, si voveris religionem, si compleveris annum 20mum, si ubi Pater consenserit: hoc enim votum est absolutum reipsâ sub tali modo: hocque tenet communiter, dum particula *si* idem significat quod particula *quando*. 4. Qui tempore Jubilæi opera præscripta omisit, non gaudet commutandi facultate post Jubilæum, secùs si impleverit: per hæc enim acquiritur jus ad favores, & non aliter. Quare qui ea implevit, post Jubilæum gaudet omnibus favoribus, quibus gaudere poterat tempore Jubilæi, & gavisus non est, ut, si tempore Jubilæi oblitus est voti, vel noluit petere ejus commutationem, commutari adhuc poterit elapso tempore Jubilæi. Si

Con-

Confessarius ex justa causa distulit absolutionem, v. g. constituto in occasione proxima peccandi usque post Jubilæum, poterit absolvi post Jubilæum à reservatis ante elapsum Jubilæum commissis. An etiam à commissis post Jubilæum controvertitur; negat *Lugo*, & alii, eò quòd jurisdictio tantùm prorogetur relatè ad peccata tempore Jubilæi existentia. Affirmat *Viva q.* 11. *a. ult.* cum aliis; quia Papa censetur permittere differri ex justa causa absolutionem, & relinquere facultatem lucrandi Jubilæum; hoc autem non poterit, nisi absolvatur à reservatis. Vide *La Croix N.* 1459. & 1473.

7. Tempore Jubilæi potest quilibet non tantùm sæcularis, sed etiam Regularis utriusque sexûs sine licentia, per se loquendo, sui Superioris eligere sibi Confessarium respectu sui approbatum ab ordinario loci, in quo audiendæ sunt Confessiones. Est communis, & certa ex responsis Romanis, teste *Suar.* &c. *Electio Confessarii.*

Dixi: *Per se loquendo*: nam Religiosus Societatis JESU sine licentia sui Superioris non potest confiteri extraneo, ut habet novum compendium privilegiorum ejus verbo *Absolutio* §. 15. Excipe, nisi aliquis Pontifex, non obstante hoc privilegio, id in Bulla concessionis indulgeat, cujus verba proin spectanda sunt.

Dixi 2. *Approbatum respectu sui*: neque enim approbatus pro aliquibus, est hoc ipso approbatus pro omnibus. Hinc imò non potest à Moniali eligi non approbatus specialiter pro Monialibus, nec approbatus tantùm pro uno

Monasterio à Moniali alterius Monasterii. 2. Nec approbatus pro viris tantùm, aut pro rusticis, eligi potest à fœmina, aut civè. 3. Nec excommunicatus, suspensus, irregularis, depositus, degradatus extra casum necessitatis; quia approbatio censetur, aut revocata, aut suspensa. 4. Nec complex à complice; quia deest approbatio. 5. Nec, per se loquendo, Regularis ab Episcopo approbatus invito Superiore; tum quia contra voluntatem sui Superioris excipere non potest licitè Confessiones; tum quia talis approbatio suspecta est, & communiter subreptitia: non enim censetur Episcopus velle regularem approbare sine consensu sui Superioris. *La Croix N.* 1469.

Satisfactio parti præstanda. 8. Si præstanda sit satisfactio parti, seu læso in honore, vel fama, aut bonis fortunæ; hæc præstanda est ante absolutionem à censura. Si non possit præstari modo, debet dari cautio pro exigentia rei, vel pignoratoria, aut fidejussoria, aut juratoria, nisi impotentia foret perpetua. *La Croix N.* 1453.

Quas speciales Indulgentias habeant Regulares, dixi *P.* 1. *in Anal. N.* 186. Quas perpetuas habeat Societas JESU refert *La Croix N.* 1357. De Indulgentiis Agoniæ, & Communionis generalis habet N. 1361.



CAPUT

CAPUT XI.

De necessitate, & effectibus Pœnitentiæ.

QUÆSTIO I.

An, & quomodo Pœnitentia sit necessaria ad salutem?

Resp. Homini adulto, constituto in peccato mortali personali, de facto est Pœnitentia necessaria necessitate tum medii, tum præcepti specialis, naturalis, & divini positivi. 420. *Est necessaria necessitate medii, & præcepti.*

Ratio 1mæ partis est; quia de facto noluit Deus ulli constituto in peccato mortali personali conferri gratiam sanctificantem; nisi aliqua Pœnitentia, puta contritio perfecta formalis, vel virtualis, aut attritio cum Sacramento Pœnitentiæ præcederet velut dispositio ad eam, uti constat ex S. *Scriptura Luc.* 13. dicente: *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* Et Eccles. 2. v. 22. *Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini.* Idem habetur in *Trid. Sess.* 14. *de Pœnitent. Cap.* 1. *&* 4. Ratio autem cur Deus sic voluerit, congrua hæc est; quia, quando homo, utpote agens liberum, per peccatum à Deo se avertit, æquum est, ut, si recipi in gratiam velit, iterum se per motum liberum ad Deum convertat: nec conveniens erat, ut Deus quasi nolenti peccatum dimitteret: aptissimus autem motus se ad Deum convertendi erat actus Pœnitentiæ.

Ratio 2da partis est ; quia suppositâ hâc Dei ordinatione Pœnitentia est medium necessarium necessitate medii ad salutem ; cùm ergo homo teneatur lege naturali ad suum finem tendere, & avertere malum animæ, præsertim æternum ; etiam tenetur lege naturali ad Pœnitentiam, velut medium necessarium ad finem consequendum. Et quia idem Scriptura sæpè inculcat ; accedit & lex Dei positiva. Oritur autem obligatio ex charitate erga Deum, & se ipsum, ex justitia, religione &c. & Pœnitentiæ virtute.

QUÆSTIO II.

Quo tempore pœnitendi præceptum per se obliget?

421. *Ut non differatur tempore valde notabili.* Resp. Per se non obligat quidem statim post admissum mortale ; obligat tamen, tum in articulo, & periculo probabili mortis cognito, tum ante in vita, ità, ut qui lapsus in mortale tempore valde notabili Pœnitentiam differt, peccet mortaliter peccato speciali impœnitentiæ. *1ma Pars est communior* Theologorum contra *Cajet. Petrum Soto, Palud. S. Anton. Cardenam.* Et ratio est ; tum quia lex illa induceret generi humano gravius periculum multiplicandi peccata, quàm ejus negatio, cùm statim post peccatum efficaciter pœnitere sit peccatori admodum difficile : ergo lex illa lata non est à Deo, qui nihil injungit imprudenter ; tum quia lex illa est saltem dubia, nec satis intimata ; cùm plurimi viri timorati eam negent ; sitque praxis contraria Confessariorum, qui non jubent se accusa-

cusare pœnitentes, quòd non statim egerint Pœnitentiam; ergo non obligat lex illa prætensa; tum denique, quia Adversarii non satis explicant illud *statim*; Alii enim volunt intelligi tempus, quo homo deliberatè cogitat de peccato admisso cum remorsu conscientiæ; alii, quo post peccatum fervor passionis remisit, & rationis lumen serenitati restituitur; alii, quo peccator primum opus bonum faciet, aut facere conabitur, quæ discrepantia legem incertam reddit, & periculis, millenisque anxietatibus committit animas Fidelium.

Ratio *2dæ partis est*; quia, cùm post mortem observari nequeat, homo committeret se periculo illud non observandi, & æternum pereundi. Hinc tenetur per se ad Pœnitentiam periculosè ægrotus, miles ante conflictum, prægnans ante partum difficilem, viator ante periculosum iter, seu terrâ, seu mari; & quidem si Sacramentum Pœnitentiæ suscipi non possit, ad perfectam contritionem: aliàs non erit extra periculum æternæ damnationis. An autem tum satisfaciat præcepto pœnitendi suscipiendo Sacramentum Pœnitentiæ cum attritione, controvertitur. Affirmant *Amicus*, *Laym. Lug. Vasq. Sporer*, & alii. Negant *Suar. Genet* & alii requirentes contritionem perfectam in mortis articulo ex præcepto naturali; quia recta ratio dictat, in negotio salutis æternæ, eo tempore, quo præterito, ejus jactura est irreparabilis, adhibendam esse viam tutiorem, & omnem securitatem moraliter possibilem; qualis est in adulto contritio perfecta: nemo enim scit, se ab omni mortali esse immunem per Sacramentum cum attritione; cùm possit deesse Baptismus validus, sine quo nemo est capax

alterius Sacramenti; posset Confessarius esse, non rectè ordinatus, caruisse intentione absolvendi necessariâ.

Ratio 3tia partis est 1mò. Scriptura monet *Eccli.* 5. *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Et Christus Dominus *Matth.* 24. *v.* 5. *Marci* 18. *Luc.* 12. jubet nos semper vigilare, & paratos esse ad mortem, quibus saltem hoc videtur dandum, ut dicatur esse præceptum non differendi valde longo tempore Pœnitentiam. 2. Valde notabilis dilatio Pœnitentiæ est graviter injuriosa Deo, contemptusque amicitiæ ejus, & gravis inordinatio hominis tamdiu à fine suo. 3. Per talem dilationem exponit se homo periculo labendi in nova peccata: nam ex communi doctrina homo non potest diu in statu mortalis esse, quin, nisi adsit specialis Dei protectio, iterum in nova labatur: hæc enim est voluntatis natura, ut quisque operetur juxta id, quod amat, & intendit, nec diu eligere possit media difficilia ad finem, quem minùs amat. Unde dixit S. Greg. *Peccatum, quòd pœnitentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahit.* Et *Ezechielis* 3. *Peccator adjiciet ad peccatum.* Denique 4. lege naturæ tenetur se homo non exponere periculo certo æternæ salutis: hoc autem faceret, qui differret Pœnitentiam valde longo tempore, præsertim usque ad articulum mortis: nam tum Pœnitentia rarò seria est ob perturbationem animi, & indispositionem ad Pœnitentiam ex angore conscientiæ, infestatione Dæmonis, substractione specialis gratiæ propter illam dilationem, & neglectum Dei toties invitantis.

tantis. Nec dici potest illa obligatio esse per accidens : nam oritur ex periculo omnibus communi, & tali quidem, quod amovere directè pertineat ad Pœnitentiam, ùt ad ipsam pertinet amovere periculum postea non pœnitendi seriò.

Dixi 1. *Per se* : nam per accidens obligat, quando Pœnitentia est necessaria ratione alterius, v. g. Sacramenti suscipiendi, vel administrandi, gravis tentationis superandæ, communis necessitatis avertendæ &c.

Dixi 2. *Ità, ut qui valde notabili tempore differt &c.* Quæ autem notabilis sit dilatio ad mortale sufficiens, morali judicio æstimandum est, spectatâ opportunitate, periculo, tentationibus, & aliis circumstantiis.

Dices. Etiam obligationi non valde diu differendi Pœnitentiam contrarius est sensus Fidelium : nam de illa dilatione se non accusant, nec Confessarii interrogant : ergo si non est obligatio statim post lapsum pœnitendi, nec erit intra longum tempus. R. N. C. nam Fideles de ea dilatione se non accusant, nec Confessarii interrogant ; quia vel præcepto communiter satisfaciunt per annum, aut Confessione saltem Paschali annuâ, & supponuntur ignorare obligationem aliam, vel ei satisfecisse: quòd quia ob maximam difficultatem statim post lapsum pœnitendi præsumi non potest ; hinc interrogandi essent pœnitentes, an, si daretur illa obligatio, ei satisfecerint. Videri potest *La Croix.* 422. *Objectio solata.*



QUÆSTIO III.

An, quomodo, & quibus Sacramentum Pœnitentiæ sit necessarium ad salutem?

423. *Baptizatis relapsis in mortale necessarium est necessitate medii in re, vel voto.* Resp. Adultis baptizatis omnibus etiam hæreticis in mortale post baptismum lapsis necessarium est Sacramentum Pœnitentiæ necessitate tum medii in re, vel in voto, tum præcepti divini, & Ecclesiastici.

Ratio 1ma partis est, quia, ut habemus ex perpetua traditione, & praxi Ecclesiæ, medium post Baptismum lapsis in mortale ad justificationem, consequenter ad salutem necessarium est vel Sacramentum Pœnitentiæ, reipsà susceptum, vel perfecta contritio, in qua votum Sacramenti continetur tanquam supplens ejus vices in causanda 1ma gratia: cùm enim contritio perfecta voluntatem servandi omnia mandata contineat; continet etiam voluntatem suscipiendi Sacramentum, ubi suscipi poterit, præceptum: uti enim docet *Trid. Sess.* 14. *Cap.* 5. Christus Sacerdotes statuit Judices, ad quos voluit omnia mortalia deferri, in quæ fideles post Baptismum sunt lapsi juxta illud Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt &c.* Unde Christus Apostolis, & eorum Successoribus dedit potestatem aperiendi, & claudendi cœlum; quæ potestas frustranea esset, si relapsis in mortale non esset necessarium in re, vel in voto Sacramentum Pœnitentiæ: quomodo enim peccata retinendo clauderent, quomodo remittendo aperirent cœlum

si

si necesse non esset illa confiteri ? Atque ex hoc etiam patet *Pars 2da.* *Pars 3tia* constat ex Concilio Lateranensi sub *Innoc. III* Cap. *Omnis utriusque sexûs* , cujus verba mox referam.

Dixi : *Relapsis in mortale :* quia venialia confitendi non est obligatio.

QUÆSTIO IV.

Quandonam præceptum divinum obliget ad suscipiendum Sacramentum Pœnitentiæ?

Resp Obligat obnoxios mortali post Baptismum commisso , per se loquendo 1. In articulo & periculo mortis , aut alterius incapacitatis perpetuæ. *Ratio est ;* quia , cùm sit obligatio confitendi omnia mortalia , talis exponeret se periculo non implendi illud præceptum : parum autem refert , unde periculum proveniat. Quodsi quis post Confessionem laberetur in mortale , teneretur ob rationem datam illud confiteri durante illo periculo : si autem in tali periculo confessus non esset , non ideo statim eo cessante teneretur ; quia cessaret ratio urgentis præcepti 424. *In periculo mortis.*

2. Obligat per se relapsos in mortale aliquoties in vita , uti tenet *Rhodes* , *Plat. Gormaz* , & alii contra *Palao* , *Dicast. Gonet* , & alios ; tum quia Christus Dominus instituit hoc Sacramentum per modum judicii , & medicinæ ; hic autem finis non obtineretur , nisi ex exigua parte , si homines lapsi non tenerentur aliquoties in vita confiteri : nam nec remedia præscribi , nec à peccatis deter- *Et aliquoties in vita.*

 reri

reti possent à Confessario : tum quia, qui præcipit aliquid, & non determinat tempus, vult illud non differri ad longum tempus, & usque ad imminentem mortem : tum quia Ecclesia determinavit tempus anni, ultra quod noluit differri impletionem præcepti divini : ergo ex sensu Ecclesiæ obligat in vita extra articulum, & periculum mortis.

3. Per accidens obligat, si suscepturus, vel administraturus Sacramentum non possit fidere suæ contritioni existimatæ, vel confessio prærequiratur, vel periculum esset relabendi, nisi repetatur confessio; aut hæc aliunde requireretur ad aliquem effectum v. g. ad dispensationem in voto castitatis &c.

QUÆSTIO V.

Quando, & quos præceptum Ecclesiæ obliget ad suscipiendum Sacramentum Pœnitentiæ?

425. *Relapsos in mortale post Baptismum obligat semel in anno.* Resp. Per se obliget omnes baptizatos ratione utentes peccati mortalis reos ad semel in anno suscipiendum Sacramentum Pœnitentiæ, idque à Sacerdote proprio, aut alio cum ejus licentia; illo tamen præcepto non præcipitur confessio quoad substantiam, sed tempus determinatur, quo implendum est præceptum divinum. Est communis. 1ma pars habetur in Conc. Lateran. sub *Inn. III.* his verbis: *Omnis utriusque sexûs Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata solus, saltem semel in anno, confiteatur proprio Sacerdoti: si quis autem alieno Sacerdoti voluerit justâ de causa peccata sua con-*

confiteri, licentiam priùs postulet, & obtineat à proprio Sacerdote; cùm aliter ipse non possit ipsum absolvere, aut ligare. 2da pars habetur in Trident. Sess. 14. Cap. 5. de Pœnitentia, ubi ait: *Neque per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi Fideles confiterentur, quod jure divino necessarium, & institutum intellexerat; sed ut præceptum Confessionis, saltem semel in anno, ab omnibus, & singulis, cùm ad annos discretionis pervenissent, impleretur.* Itaque Christus Fideles in mortale relapsos, obligavit quidem ad confessionem sacramentalem; tempus autem determinandum reliquit Ecclesiæ; quæ, postquam determinavit, ut saltem singulis annis semel facerent, jam præceptum divinum certò intra tempus anni obligat: quanquam simul obliget præceptum Ecclesiæ. An autem, si quis intra annum non haberet copiam Confessarii vi illius præcepti teneretur ad contritionem perfectam, ubi relapsus fuerit in mortale, dubium est. Affirmat *Henno*, eò quòd videatur præcepti reconciliatio cum Deo; quæ, cùm in casu nequeat fieri per Confessionem, procuranda sit per contritionem perfectam. Negat cum communiore *La Croix* hìc N. 1052. quia ostendi non potest lex, quæ omni anno præcipiat contritionem ideo, quòd quis lapsus sit in mortale: neque, qui tenetur ad totum, semper tenetur ad partem, quando totum nequit ponere, sed tunc, cùm in parte obtinetur substantia præcepti. Accedit, quòd perfecta contritiò non sit pars necessaria Sacramenti Pœnitentiæ, cùm sufficiat attritio.

Porrò proprius Sacerdos est Papa, Episcopus, & Parochus. Unde habentibus faculta-

tem,

tem à Pontifice, uti habent Religiosi privilegiati, possunt confitendo Fideles satisfacere præcepto confessionis annuæ. *Ex his deduco.*

426. *Corollaria.* 1. Qui per annum non peccavit graviter, non tenetur eo anno præcepto confessionis, nisi per accidens v. g. ratione vitandi scandali, aut alterius circumstantiæ.

3. Si per annum confessus venialia, vel mortalia jam antè vi clavium directè remissa, labatur dein in mortale, tenetur præcepto annuæ confessionis; quia id non ante, sed post lapsum urget; idque verum est, si mortale inculpabiliter fuisset oblitus, aut peccaret ultimo die anni. Si tamen hoc anno esset confessus mortale etiam anni prioris, & in aliud relaberetur, non teneretur id eo anno confiteri; nisi fortè per accidens ratione Communionis, Missæ celebrandæ &c. quia semel in anno erat confessus materiam necessariam; cujus recordabatur; nec plus exigit præceptum: aliàs, qui decies eodem anno confessus esset mortale novum, non satisfecisset præcepto, si iterum laberetur in aliud.

3. Qui neglexit, aut non potuit hoc anno implere præceptum, tenetur anno sequenti, quamprimum potest; quia annus est determinatus non ad finiendam, sed ad urgendam obligationem, finisque ejus est, ne nimis diu differatur reconciliatio cum Deo; quæ cùm obtineatur per confessionem omnium mortalium: hinc qui pluribus annis omisit confessionem, semel postea confitendo satisfacit pro omnibus annis præteritis; secùs esset, si quis obligatus pluribus diebus jejunare ex præcepto Confessarii: is enim non satisfaceret semel

mel postea jejunando; quia non obtinetur finis præcepti.

4. Qui prævidet impedimentum, quò minùs satisfaciat deinceps præcepto confessionis annuæ, si lapsus sit in mortale, tenetur prævenire intra annum; quia is obligatur intra annum confiteri; cùm ergo postea non possit, tunc tenetur. *Sicut*, qui prævidet, die festo post Octavam impediendum se, quò minùs possit audire Sacrum, tenetur audire, quod antè celebratur. *Nec obstat*, quòd prævidens, se impediendum die sequenti à dicendo Officio Canonico, non teneatur pridie vespere dicere Matutinum, & Laudes; quia nemo tenetur uti privilegio; nisi fortè sit potestativum, seu habilitans ad præceptum, quod tunc urget, implendum: jam verò ex privilegio possent quidem pridie dici Matutinum & Laudes. At præceptum tunc non urget, uti & dixi 1. P. sub N. 208.

5. Qui intra annum confessus mortalia absolutus est, sed non ab aliquo reservato, vi præcepti præcisè non tenetur adhuc semel in anno confiteri; quia confessus est Sacerdoti proprio omnia, quæ hìc & nunc tenebatur confiteri; quod nisi verum sit, sequitur, quòd, si non potuisset habere intra annum, qui à reservato absolveret, non fuisset obligatus intra annum confiteri; quia nemo tenetur ad confessionem, quâ præcepto non satisfaciat.

6. Ut satisfiat præcepto, debet Sacramentum Pœnitentiæ suscipi validè; quia Ecclesia vult impleri præceptum divinum, quod requirit Sacramentum validum, & reconciliativum.

7. Hoc præcepto tenentur etiam Hæretici excommunicati, incarcerati, pueri, si ad an-

nos discretionis pervenerint; & graviter peccârint.

Notandum, quòd pueri quandoque sint satis capaces peccati gravis, nec tamen instructi, nec intra breve tempus à Confessario instrui possunt ad veram sinceramque pœnitentiam; in quo casu oratio aliqua pro pœnitentia injungenda erit, & differenda absolutio: curanda interim melior instructio, monendus quoque puer desuper, ut sciat, se non esse absolutum, & præparatus redeat ad absolutionem proximè accipiendam.

QUÆSTIO VI.

Qui sint effectus Sacramenti Pœnitentiæ?

427. *Tres speciales, unus communis.* Resp. Effectus speciales sunt hi: 1mus. Remissio omnium mortalium quoad culpam, & pœnam æternam. 2dus. Remissio venialium quoad culpam, & pœnam, vel ex parte, vel totam pro dispositione pœnitentis. 3tius est Reviviscentia meritorum, & reductio gratiæ præhabitæ, & per peccatum mortiferum amissæ. Effectus verò ejus, qui & cæteris Sacramentis communis est, est gratia tum habitualis, tum actualis secundùm dicta.

428. *Remissio venialium.* Præterea notandum 1. Nullum mortale in hac Dei providentia sine altero remittitur; quia remissio fit per infusionem gratiæ sanctificantis, quæ non stat cum peccato mortali.

2. Nullum veniale remittitur sine retractatione & aliqua pœnitentia. Constat ex Scriptura, & PP. *Ratio* data est suprà; quia decet, ut, qui propriâ voluntate peccavit, non libe-

liberetur, nisi propriâ voluntate ab eo recedat.

3. Veniale non remittitur sine mortali in eodem subjecto; quia inimicus Dei, in inimicitia perseverans, non meretur veniam; & remissio venialis tendit ad familiaritatem cum Deo, quæ præsupponit amicitiam.

4. Veniale tamen unum sæpe remittitur sine altero; quia veniale stat cum gratia, & unum sæpe sine altero efficaciter retractatur.

5. Venialia remitti possunt non tantùm per Sacramentum Pœnitentiæ, sed & tum per alia Sacramenta, tum per actum charitatis, & contritionis perfectæ, se ad illa extendentem, tum per attritionem, saltem eam, quæ concipitur ex aliquo perfectiore motivo v. g. honestate reverentiæ, gratitudinis, obedientiæ. Dixi: *Saltem*: nam *Viva* cum aliis existimat, venialia extra Sacramentum non remitti per attritionem conceptam ex metu pœnæ. *Ratio* illorum *est*; quia Sacramentum Pœnitentiæ est saltem secundariò institutum ad remissionem venialium: si autem per omnem attritionem remitterentur, nunquam remitterentur per Sacramentum; quia jam antè remissa essent. Verùm, cùm venialia conjuncta cum mortali non remittantur per attritionem extra Sacramentum, hoc suo effectu saltem tunc non privatur. Et quotus-quisque est, qui ex solo pœnarum metu doleat de peccatis venialibus.



TRAC-



TRACTATUS VI.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

QUÆSTIO I.

Quid sit Extrema Unctio, quæ ejus materia, & forma?

429. *Definitio.* RESP. Extrema Unctio est Sacramentum novæ Legis, consistens in sacra per oleum olivarum benedictum unctione, à Sacerdote factâ, & ex certa deprecatoria verborum forma, à Christo Domino institutum ad salutem animæ, & corporis hominis baptizati, ex morbo in periculo mortis constituti.

Dixi 1. *Sacramentum*: Est enim signum sensibile practicum gratiæ, & symbolum: sicut enim oleum lucet, lenit dolorem, fovet, confortat, sic Extrema Unctio confert illustrationes sanctas, confortat ad luctam cum Dæmone &c.

Materia proxima. Dixi 2. *Constans ex sacra Unctione*, quæ est materia proxima hujus Sacramenti, deberque fieri per modum Crucis in quinque sensuum organis, videlicet in oculis, seu palpebris, auribus, naribus, ore, seu labiis, & manibus. Ut fiat per modum Crucis, de præcepto est, non de valore Sacramenti; quia Flo-

Florent. & Trident. referendo accuratè materias, & formas Sacramentorum, Crucis in hoc Sacramento non meminerunt, ùt fecerunt in Sacramento Confirmationis: præcipitur tamen Cap. *Nunquid. de Consecratione. Dist.* 1.

Dixi 3. *Per oleum olivarum*, quod propriè nomine olei venit, estque materia remota hujus Sacramenti, & nunc aliud à Chrismate, quod miscetur balsamo, per quod conferre Sacramentum hoc illicitum est; quia contra praxin Ecclesiæ. Valeret tamen probabiliùs per chrisma collatum; quia in Sæculis antiquioribus, ùt probat *Suar.* idem serviebat ad infirmos inungendos, & baptizandos Catechumenos; nec chrisma definit simpliciter esse oleum per paucas balsami guttas, illi oleo affusas. Unde, si oleum non haberetur, in necessitate Sacerdos sub conditione posset infirmo hoc Sacramentum in chrismate conferre; imò teneretur, si infirmus alio Sacramento muniri non posset. Putat *La Croix*, in hoc casu, si postea haberetur oleum infirmorum, inunctionem sub conditione: *Si non sis valide inunctus*, repetendam esse; uti & in casu, quo Sacerdos loco olei per incuriam usus esset chrismate, modò sine perturbatione fieri possit; eò quòd Sacramentum non sit certò validum. Sed *Rhodes* dicit, certò valere. **Remota.**

Dixi 4. *Benedictum*, puta, ab Episcopo: hoc enim per traditionem acceptum, semper tenuit Ecclesia. An benedictum à simplici Sacerdote ex commissione Episcopi, vel Papæ sufficiat ad valorem, controvertitur: probabilis est sententia affirmativa; quia id in usu fuit in Ecclesia Græca, etiam ante schisma. Et *Clemens VIII.* in sua Constitutione ad Episco-

pos Latinos dicit, Græcos Presbyteros non esse ideo cogendos, ut accipiant olea sancta præter chrisma ab Episcopis Latinis Diœcesanis. Si huic oleo successivè ex justa causa affundantur guttæ olei non benedicti, in minore tamen semper quantitate, quàm sit benedictum, etsi primò benedictum guttæ affusæ tandem superarent simul sumptæ, adhuc licitè & validè in eo conferretur Sacramentum. Sic respondit S. *Congreg.* 23. *Sept.* 1682. habetque usus variarum Ecclesiarum, & Rituale Rom. Est tamen oleum quotannis novum adhibendum; nec vetere uti licet, nisi in necessitate.

Dixi 5. *A Sacerdote facta*, qui solus est Minister hujus Sacramenti; quod de Fide est ex *Florent.* & *Trid. Seff.* 14. colligiturque ex verbis Jacobi *Cap.* 5. Non potest tamen hoc Sacramentum licitè ministrare, nisi Parochus, & qui ab eo licentiam habet; quia Parochi est suas oves pascere. Quanquam quivis Sacerdos id validè possit ministrare.

Forma. Dixi 6. *Et ex certa deprecatoria verborum forma*, quæ de præcepto saltem adhibenda hæc est: *Per istam sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum &c.* De essentia formæ sunt tantùm hæc: *Per istam Unctionem indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum &c.* Idem est de aliis sensibus; qui an omnes in particulari necessariò pro valore Sacramenti sint exprimendi, dubium est; quia nec in forma Græca, nec in Ambrosiana, nec in Veneta à *Leone X.* approbata fit mentio ullius sensûs. Quòd verò forma debeat esse deprecatoria, constat ex per-

perpetua, traditione, & praxi Ecclesiæ, & ex *Epist.* S. *Jacobi Cap.* 5. ubi ait: *Infirmatur quis ex vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, unguentes eum oleo in nomine Domini, & oratio Fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus.* Dicitur: *Inducat Presbyteros*; ubi ponitur numerus pluralis pro singulari, uti declarat praxis Ecclesiæ. Pluralitas olim erat solennitatis, non necessitatis: unus enim tantùm inungebat. R*atio*, cur forma sit deprecatoria, est ex S. Th. hìc q. 29. a. 4. quia hoc Sacramentum datur de Ecclesia jam exeuntibus, & viribus destitutis, qui orationibus adjuvari debent.

Dixi 7. *A Christo Domino institutum*: hic enim & hujus Sacramenti immediatus est Author, uti docet *Trid. Sess.* 14. *Can.* 1. ubi ait: Hoc Sacramentum à Christo Domino institutum, & à S. Jacobo promulgatum. Est autem probabiliùs, institutum post Christi resurrectionem, velut complementum Sacramenti Pœnitentiæ. *Institutio.*

Dixi 8. *Ad salutem animæ & corporis &c.* quibus indicatur effectus, & subjectum hujus Sacramenti capax.

QUÆSTIO II.

An de essentia hujus Sacramenti sint inunctiones omnium quinque sensuum?

Resp. Affirmat S. *Thom. Suar.* aliique, eò quòd hoc Sacramentum significet perfectam animæ sanitatem, eamque causet; perfectæ autem sanitatis signum & causa non habeatur, 430. *An singulæ unctiones.*

 nisi

nisi ubi positæ sunt omnes quinque sensuum inunctiones: adeoque nec prius conferatur gratia sacramentalis. Alii cum *Scoto in 4. Dist. 22. q. unica, n. 7.* negant, docentque, quòd quælibet unctio cum partiali forma sibi respondente, sit Sacramentum partiale, statimque, si absit obex, conferat effectum gratiæ, sibi respondentis. *Ratio hujus sententiæ est* 1. quia, licèt *Florent.* dicat, septem unctiones esse materiam hujus Sacramenti; tamen unctio renum, & pedum de ejus essentia non est. Cur ergo dicemus, reliquas esse determinatè de essentia, ità, ut, si una omittatur, non sit partiale Sacramentum. 2. Unctio quælibet cum forma sibi respondente significat gratiam; ergo & statim confert; quia Sacramenta id, quod perfectè significant, statim operantur. 3. Nemo negat, ordinationem Sacerdotis esse duplex partiale Sacramentum, nempe unum, quo confertur potestas in verum Christi corpus; alterum, quo in mysticum. 4. Si unus Sacerdos inter inungendum deficeret, alter deberet reliquas inunctiones perficere: si autem singulæ essent determinatè partes essentiales, omnes deberent poni ab uno, ùt in reliquis Sacramentis.

Sunt Sacramentum partiale

Hæc sententia probabilis est. Unde, quamvis extra casum necessitatis adhibenda sit inunctio quinque sensuum; tum, ne violetur præceptum Ecclesiæ; tum; ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis: in necessitate tamen, quando infirmus judicatur moriturus, antequam omnia more ordinario perficiantur, inungantur, si fieri possit, quinque sensus, sub una formà exprimendo quinque sensus v. g. Per istas sanctas unctiones, & suam piissimam mise-

misericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid per visum, auditum, gustum, odoratum, & tactum deliquisti. Nec necesse est, inungi utrumque oculum: sed sufficit, inungi oculum unum, aurem unam &c. quia utriusque organi inunctio non est de necessitate Sacramenti: uti nec, ut servetur ordo, quò 1mò inunguntur oculi; quia adhuc verè inunguntur sensus. Quodsi mora non pateretur, ità fieri; inungi potest frons, sedes sensuum, per formam prædictam; aut per hanc: Per istam &c. indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per omnes sensus. Omnia hæc sub conditione fiant. Quodsi infirmus ad se redeat, Sacramentum sub conditione iterandum est. Extra talem casum servanda est praxis Ecclesiæ in loco usitata: in quibusdam enim locis inunguntur pedes; in aliis eorum unctio, utpote non de essentia Sacramenti, omittitur, & in mulieribus inunctio renum; in viris quoque in quibusdam locis, nec alia pars corporis pro renibus inungi debet. *Rituale Rom.*

Porrò, si quis careat parte aliquâ corporali, 451. *Quid, si quis careat parte corporis, aliàs inungendâ?* aliàs inungendâ, v. g. manibus, inungenda est pars proxima v. g. brachii. Si careat visu, debent nihilominus inungi palpebræ cum forma, visui respondente; quia potest appetere actus malos per sensum illum perficiendos. Caveat autem Sacerdos, ne inungendo v. g. utrumque oculum formam absolvat, priusquam utrumque inungat. Si infirmus decedat, antequam absolverit, cesset. Si dubitet, pergat sub conditione: *Si vivis.*

* *
*

QUÆSTIO III.

A quo, & quibus possit, ac debeat conferri Extrema Unctio?

432. *A quo possit, & debeat conferri?* Resp. 1. Parochus, & Superior Regularium tenetur sub mortali eam ministrare suis subditis, ejus capacibus per se, vel per alium secundùm consuetudinem Ecclesiæ; quia tenetur ex officio Fidelibus, sibi commissis, ordinaria media salutis, à Christo instituta, & ab Ecclesia conferri solita, administrare, etiam cum vitæ periculo; si subditus Sacramento Pœnitentiæ non sit expiatus; quia fieri potest, ut Extrema Unctio sit tunc ad salutem necessaria tantùm attrito. Tempore tamen pestis potest ministrari virgâ longâ, oleo tinctâ, quæ dein comburatur, aut servanda purgetur; quo tempore, cùm faciliùs infectos possit absolvere, quàm inungere, non tenetur se periculo exponere inungendo absolutos; quia se sic aliis subtraheret subditis in necessitate.

433. *Quibus?* Resp. 2. Extrema Unctio conferri potest solis baptizatis viatoribus, aliquándo ratione usis, & jam ex infirmitate corporis in probabili periculo mortis constitutis, seu periculosè ægrotantibus. *Ratio 1mæ partis est*; quia non baptizatus non est alterius Sacramenti capax, uti nec ullius non viator. *Ratio 2dæ partis est*; quia susceptio hujus Sacramenti debet esse voluntaria, saltem habitualiter implicitè, seu interpretativè: talis autem esse non potest respectu ejus, qui nunquam usus est ratione. *Ratio 3tiæ partis est*; qúia hoc Sacramentum esse pro solis infirmis in periculo probabili

babili mortis institutum, colligitur ex verbis Jacobi citatis, declaratque *Florent.* in decreto unionis, & perpetua Ecclesiæ praxis.

Dixi: *In probabili periculo:* nam non est exspectandum, donec infirmus jam incipiat mori; sed dandum, si possit, quando adhuc est sibi præsens & integer sensibus: id enim exigit reverentia Sacramenti; & major fructus tum animæ, tum corporis tunc confertur. Cur, quærit Card. Bellarminus, hodiedum ex hoc Sacramento tam pauci beneficium sanitatis recipiunt; quia differunt, inquit, id suscipere, donec de vita desperatum sit, & sine miraculo non possint restitui.

In eodem tamen morbo, & statu sæpius, per se loquendo, suscipere non licet; secùs in diversis. 434. *Quando repeti possit?*

Dixi: *Per se loquendo:* nam, si status morbi ità fuerit mutatus, ut prius periculum cessaverit; nunc verò in id relabatur, idque, etsi sæpius fieret, & mutationes non distarent longissimè, id licebit.

Hinc 1. Extremo supplicio afficiendi, aut prælium licèt periculosissimum inituri non sunt ungendi sacrâ unctione.

2. Contrà, inungendi sunt veneno infecti, lethaliter vulnerati, morsu rabido læsi &c. & ideo periculosè decumbentes; quia verè sunt in periculo probabili mortis ex infirmitate.

3. Inungendi etiam sunt pueri graviter infirmi, si peccati sint capaces, idque etsi antè necdum communicaverint. In dubio, an puer, vel alius sit usus ratione, sub conditione est inungendus; quia hoc Sacramentum etiam est institutum, ne homo succumbat tentationibus in fine vitæ. Hinc & inungendus, qui in

 arti-

articulo mortis est baptizatus, & capax est hujus Sacramenti, qui nunquam peccavit, aut cui omnia sunt remissa quoad culpam, & omnem pœnam.

QUÆSTIO IV.

Quis sit effectus Extremæ Unctionis?

Resp. Effectus ejus triplex est. 1mus est
435. *Effectus* collatio gratiæ sanctificantis cum jure ad gratiæ actualis auxilia, tum pro tentationibus Dæmonis faciliùs superandis, tum pro fiducia in Deum concipienda, ferendisque leviùs morbi molestiis. 2dus est remissio peccatorum, & liberatio ab eorum reliquiis. 3tius est sanitas corporis, si ità expediat ad animæ salutem. Ità docet *Trid. Seß.* 14. *Can.* 2. Et colligitur ex verbis Jacobi dicentis: *Oratio fidei salvabit eum.* Ecce collatio gratiæ, & sanitatis: *&, si in peccatis sit, remittuntur ei.* Ecce remissio peccatorum, & abstersio reliquiarum, *& alleviabit eum Dominus.* Ecce collatio gratiæ actualis.

An peccata remittat etiam quoad culpam, dubitatur ab aliquibus; sed affirmat communissima de peccatis etiam mortalibus per Pœnitentiam non remissis; modò de iis adsit attritio vera universalis, & supernaturalis cum debito proposito; & inculpabiliter ignoretur, quòd remissa non sint. Quòd addo; quia aliàs essent, si possint, confitenda. *Ratio est;* quia Trid. docet, quòd delicta remittat, quæ propriè sunt mortalia. Per reliquias peccatorum *Rhodes* intelligit peccata necdum remissa: alii autem reatum pœnæ temporalis, pravas dispositio-

ſitiones ex peccatis adhuc remanentes, torporem animi, triſtitiam, & ſimilia ex peccatis præteritis oriri ſolita.

Porrò remiſſio peccatorum, & gratia habitualis confertur eo inſtante, quo Sacramentum eſſentialiter completur; alleviatio quoque radicalis, in gratia ſanctificante cum jure ad gratias actuales ſita, confertur eodem inſtante; alleviatio verò actualis confertur ſucceſſivè pro indigentia infirmi, & opportunitate occaſionum; quia hæc fit per gratias actuales, quibus infirmus erigitur contra adverſa, & moleſta. Sanitas autem corporis non confertur ſemper; ſed, ùt ait *Trid. Cap.* 2. quando ad ſalutem animæ expedierit. Unde hic effectus non confertur, niſi conditionatè; quia non ſemper utilis. Reliqui conferuntur abſolutè; quia ſemper utiles. Atque ex his patet, quanto ſe beneficio privent, qui vel timent, ne citiùs moriantur, ſuſceptâ extremâ Unctione, vel ex timore humano eam differunt, donec dari amplius non poſſit. De diſpoſitione ad hos effectus percipiendos requiſita conſtat ſatis ex dictis N. 62.

436. *Quando conferatur?*

QUÆSTIO V.

An, & qualis ſit obligatio ſuſcipiendi Extremam Unctionem?

Reſp. Putant aliqui, eſſe obligationem gravem; eò quòd aliqua C.C. videantur innuere, & conſuetudo ſaltem obliget graviter ad non negligendum tam ſalubre remedium in lucta extrema. Communior tamen ſententia negat, per ſe loquendo, eſſe obligatio- 437. *Non eſt per ſe gravis.*

 nem

nem gravem, eò quòd de lege graviter obligante non satis constet: & licèt materia sit gravis, non tamen sit necessaria; & cùm sit utilis, sine gravamine facilè fideles id suscipiant: asserit tamen, esse obligationem sub veniali; eò quòd sit deordinatio, in extrema lucta se auxilio illo divino ex negligentia privare. Dixi: *Per se loquendo:* quia mortale esse potest ratione contemptûs, vel scandali.

438. *Collatum extra periculum mortis invalidum est.* *Petes*, an Sacramentum Extremæ Unctionis, collatum infirmo, qui putabatur esse in periculo mortis, & re ipsâ non fuit, sit validum. R. cum communi contra Palao, & Amicum apud Viva de *Conf. q.* 7. *a.* 1. negativè; quia, sicut Sacramentum est nullum, si materia, probabiliter valida, sit invalida; vel subjectum, quod putabatur capax, sit incapax: uti, si fœmina, putata mas, ordinaretur; vel infirmus putaretur adhuc vivere, & reipsâ esset mortuus; sic invalidum hoc erit, si reipsâ non adfuerit periculum mortis.



TRAC-



TRACTATUS VII.

De Sacramento Ordinis.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit Ordo?

Nota. ORdo accipitur 1mò pro recta rerum, vel personarum in suo gradu, vel loco collocatione. 2. Pro ipso gradu, seu potestate in illa ordinis dispositione. Et sic etiam in civilibus diversi sunt hominum gradus, & ordines, ùt Equestris, Senatorius, Plebejus: In prima acceptione illa subordinatio, quæ datur in Ecclesia Dei, dicitur Ordo, estque unicus: in 2da verò acceptione Ordo dicitur quilibet gradus, quem quis in Ecclesia obtinet. Quia verò gradus ministerii Ecclesiastici aliqui sunt à Christo instituti, aliqui jure humano; hinc Authores in numerandis Ordinibus non conveniunt: quique strictiùs nomen Ordinis accipiunt solùm pro institutis à Christo, septem tantùm Ordines numerant: qui verò latiùs pro institutis etiam jure humano nomen illud usurpant; illis septem primam tonsuram annumerant, sicque octo recipiunt Ordines; imò & novem, qui Episcopatum volunt esse Ordinem à Presbyteratu distinctum. Nos verò hic

439. *Ordinis diversa acceptio.*

hic Ordinem in speciali, & stricta significatione sumimus. In qua

440. *Ordo quid, & quotuplex?* Resp. Ordo, seu ordinatio est signum stabile collativum potestatis ad aliquod officium Altaris ritè peragendum. Vel: ritus sacer, quo confertur potestas officium aliquod, ad Missæ Sacrificium pertinens, ritè peragendi. Hujusmodi Ordines ex *Trid. Sess.* 23. *Cap.* 2. Communiter septem enumerantur: nimirum tres majores sic dicti; quia proximè ad Altaris officium concurrendi potestatem conferunt; dicunturque etiam sacri; quia votum castitatis perpetuæ, quo persona Deo consecratur, annexum habent: Et quatuor minores sic dicti; quia potestatem tantùm remotiùs concurrendi ad Missæ Sacrificium tribuunt, nec dicuntur sacri; quia votum castitatis annexum non habent; utì nec primis temporibus Subdiaconatus habuit.

Ordines majores Inter Ordines majores collatione *primus* est Subdiaconatus, quo confertur potestas ex officio Diacono necessaria ad Sacrificium Missæ ministrandi; nempe porrigendi calicem, & patenam, aquam vino miscendam affundendi, cantandi Epistolam. 2*dus* est Diaconatus, quo confertur potestas immediatè ministrandi Sacerdoti in Sacrificio Altaris, cantandi Evangelium, ex commissione Sacerdotis baptizandi, prædicandi verbum Dei. 3*tiùs* est Ordo Presbyteratus, quo confertur potestas in Corpus Christi verum, & mysticum, id est, offerendi Sacrificium Corporis, & Sanguinis Christi, & dimittendi peccata. Hi Ordines quandoque sumuntur pro ipsa potestate, & sic sunt permanentes; transeuntes verò physicè, si pro ipsa collatione potestatis

accipiantur. Ex his patet, quid sit officium Subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri.

Ordines minores hi sunt: *1mus* Ordo ostiarii, cujus est aditum ad Sacrificium aperire dignis, claudere indignis & pulsare cymbalum tempore Sacrificii. *Minores.*

2dus Ordo Lectoris, cujus est legere ea, quæ à Sacerdote, vel Diacono populo annuntiantur, ac prædicantur, ut sic præsentium animi ad Sacrificium præparentur.

3tius est Ordo Exorcistæ, cui incumbit, dæmones ex obsessis ejicere, ut dignè & cum debita reverentia Sacrificio intersint; aquam ad Baptismum præparare.

4tus est Ordo Acolyti, cujus munus est, luminaria accendere, vinum & aquam pro Eucharistia ministrare.

Tria hìc controvertuntur, *1mum.* An singuli tres Ordines majores sint Sacramentum. De Presbyteratu dubium non est; cùm de Fide sit, aliquem Ordinem esse Sacramentum. De Diaconatu plerique omnes affirmant quoque contra *Caj. & Durandum:* expresšè enim ejus fit mentio *Act. 6. & ad Philipp. cap. 1. In 1ma ad Timoth. cap. 3.* De Subdiaconatu pauci aliqui præter citatos negant. Verùm alii passim, non obstante authoritate *D. Thomæ in 4. dist. 24. q. 3. a. 2. quæstiunculâ 2.* Et *ad 2.* idem negantis, affirmant; quia *Florent in Decreto Eugenii IV. §. Sextum Sacrament.* enumerans materiam Presbyterii, Diaconatûs, & Subdiaconatûs agit de Ordinis Sacramento; sicque dicit implicitè, Subdiaconatum esse Sacramentum. 441. *An singuli majores sint Sacramentum?*

2dum, quod controvertitur, est, an Ordines minores sint Sacramentum. Negant *Navar.* 442. *An & minores*

var. *Sotus*, *Vasq.* Affirmat tamen communior, omnes septem Ordines esse Sacramentum, non physicè, sed moraliter unum propter relationem ad eundem finem, nempe Eucharistiam; quia *Florent.* suprà cùm statuisset, Ordinem esse Sacramentum; & materias majorum Ordinum retulisset, addit, similiter alios Ordines per rerum ad ministeria sua pertinentium, assignationem conferri: ergo censuit, etiam alios Ordines esse Sacramentum; quia tantùm agebat de Ordine Sacramentali. Deinde tota Hierarchia Ecclesiastica est divinitùs instituta; & habetur ab initio Ecclesiæ, ùt expresse definit *Trid.* *Sess.* 23. *Cap.* 2. & *Can.* 6. Proinde Ordines etiam minores non debent esse inanes Ceremoniæ; sed conferre gratiam cuique ad munus suum sacrum ritè obeundum; cùm specialis sanctitas in Ministro sacro requiratur. *Nec obstat*, quòd in Sacra Scriptura non fiat explicita mentio de septem Ordinibus: nam sufficit traditio à *Trid.* confirmata; & omnium officia, & nomina ab initio Ecclesiæ fuerunt agnita.

443. *An Episcopatus sit Ordo distinctus?*

3tium est, an Episcopatus sit Ordo distinctus ab Ordine Presbyterii. Negant *Vasq.* *Bellarm.* *Layman*, & alii; quia, inquiunt, sicut Ordo Sacerdotalis principaliter consistit in collatione potestatis offerendi Sacrificium, & collatio potestatis absolvendi à peccatis est tantùm perfectiva Sacerdotii; ut nempè per absolutionem à peccatis homines aptiores fiant ad offerendum Sacrificium, & participandum ejus fructum: ità potestas confirmandi, ordinandi, quæ confertur Episcopo, est tantùm perfectiva Sacerdotis simplicis. Affirmant *Nav.* *Tannerus*, & plures Canonistæ; eò quòd conce-

datur

datur poteſtas diſtincta ab omni Sacerdotis ſimplicis poteſtate, idque per novam materiam, & formam. Alii hoc admittentes dicunt, Epiſcopum collocari in altiore gradu; & hoc ſenſu Epiſcopatum eſſe alium Ordinem; non verò Sacramentum adæquatè diſtinctum præſupponens Sacerdotium: ſed hoc tantùm perfici per Epiſcopatum. Sicut collatio poteſtatis abſolvendi à peccatis, etſi fiat per aliam materiam & formam, non facit Sacramentum à Sacerdotio diſtinctum; novus tamen character imprimitur ſignificans iſtam poteſtatem: uti &, dum Epiſcopus conſecratur, ùt probabiliùs contra *Vaſq.* docet *Bellarm.* & alii.

QUÆSTIO II.

Quæ ſit materia, & forma prædictorum Ordinum?

Reſp. 1. Materia remota Presbyterii in 444.
Latina Eccleſia eſt calix, qui probabiliter de- *Materia*
bet eſſe conſecratus, cum vino, & patenâ cum *Presbyteratûs.*
hoſtia: proxima eſt eorum traditio. Non tamen, ſaltem probabiliùs, impoſitio manuum, ante traditionem calicis fieri ſolita: hujus enim non meminit *Florent.* aſſignans materiam Presbyterii; nec reſpondet aliqua illi forma, fitque etiam à Presbyteris aſſiſtentibus, quibus nulla eſt ordinandi poteſtas. Itaque eſt tantùm Ceremonia accidentalis, quâ ſignificatur, & petitur plenitudo gratiæ. Hæc ſententia, licèt reputetur certa, tamen poſſet talis licitè reordinari, juxta *La Croix hic n.* 2145. ſi ei manus non fuiſſent impoſitæ. Impoſi-

positio tamen manuum, cùm confertur potestas absolvendi à peccatis, est essentialis materia. Denique forma Presbyterii (idem est de aliis Ordinibus) sunt verba, quibus traditur, vel applicatur materia. De materia Episcopatûs & forma vide Scholasticos.

445. *Materia Diaconatûs.* 2. Diaconatûs materia remota est liber Evangeliorum; proxima ejus traditio; & juxta aliquos etiam impositio manuum Episcopi: quod tamen alii cum S. *Th. in* 4. *dist.* 24. *q.* 2. *a.* 3. *ad* 5. probabiliùs negant; quia *Florent.* in decreto supra pro materia hujus Ordinis tantùm assignat traditionem libri Evangeliorum. Proinde etiam non agnovit: aliàs manca esset ejus doctrina; soletque affirmatio unius tantùm in talibus esse negatio alterius. Olim quidem conferebatur Diaconatus, antequam Evangelium conscriberetur, & cantaretur, per manûs impositionem: postea verò, sicut in aliis Ordinibus officium, ad quod ordinandus deputatur, per instrumenti traditionem indicatur; sic Ecclesia ex potestate, à Christo sibi concessâ, determinandi signum externum deputationis ad quodcunque ministerium Ordinis, elegit pro ordinatione Diaconi jam deputandi ad cantandum solenniter Evangelium, librum Evangeliorum in Ecclesia Latina: in Græca enim adhuc confertur Diaconatus per manuum impositionem. Officium primarium Diaconi quidem non est cantare Evangelium, sed Sacerdoti ad oblationem Sacrificii proximè servire; Ecclesia tamen voluit, instrumentum eligere muneris secundarii; quia, inquit S. *Thom. loc. cit.* Potestas actûs principalis non poterat exprimi; cùm potestas Diaconi sit media inter potestatem

Sub-

Subdiaconi, & Sacerdotis; Sacerdos enim directè habet potestatem super Corpus Christi; Subdiaconus super vasa tantùm ; Diaconus super Corpus in vase contentum. Hæc autem potestas non potest exprimi , nec per traditionem vasis tantùm, nec per traditionem materiæ; sed exprimitur ejus potestas ad actum secundarium per traditionem libri Evangeliorum. Et in hac potestate intelligitur alia ; & ideo in ipsa libri datione imprimitur character. Opposita sententia in praxi tenenda est , ut nempè fiat etiam impositio manuum.

3. Subdiaconatûs materia remota est calix 446.
vacuus cum patena vacua : proxima horum traditio, ùt habet communis sententia ex *Florent.* quod non assignavit pro materia traditionem libri Epistolarum : ante tamen ordinatio non est completa quoad solennitatem. Hæc sententia etiam non est omnino certa , adeoque nec practicè licita.

Materia Subdiaconatûs.

4. In Collatione minorum Ordinum ab E- 447.
piscopo traduntur ostiario claves Ecclesiæ , lectori liber lectionum , Exorcistæ liber Exorcismorum ; in cujus locum etiam Pontificale, vel Missale tradi posset , in quo continentur Exorcismi. Acolyto candelabrum cum cereo seu candela extincta , & unus vel ambo urceoli vacui sub duplicis formæ prolatione. Itaque horum traditio, & acceptatio est materia proxima istorum Ordinum , quorum formas ex Pontificali describere non est operæ pretium.

Materia minorum Ordinum.

Prima Tonsura Ordo Sacramentalis non est. 448.
Appellatur quidem Ordo *Cap. Contingit de Prima qualitate ordinandorum.* Sed Ordo ibi accipitur latiùs pro gradu quodam , quo tonsuratus distinguitur à Laico : non verò quo ad aliquod

Tonsura non est Ordo.

speciale ministerium Altaris peragendum deputatur; sed solùm disponitur, ut ad tale aliquod deputari possit.

QUÆSTIO III.

Quis sit Minister Ordinis?

449. *Ordinarius est Episcopus.* Resp. Ordinarius Minister omnium Ordinum est solus Episcopus ex *Florent* & *Trid. Seß.* 23. *Cap.* 4. & *Can.* 7. Potest tamen simplex Sacerdos ex commissione Papæ tanquam Minister extraordinarius conferre primam tonsuram, & Ordines minores: id enim *Trid. Cap.* 10. apertè supponit; habetque praxis recepta: nam Cardinales, etsi non sint Episcopi, in propriis Ecclesiis, & Abbates de facto eos conferunt; non possunt tamen validè conferre, nisi suis subditis; quia privilegium ad alios se non extendit. Aliud est de Episcopo, qui validè, etsi illicitè, ordinare potest alienos sine licentia proprii Episcopi; quia hic vi Ordinis sui habet facultatem universalem, & ordinariam, quæ stat sine jurisdictione. Abbas autem caret potestate ordinariâ, & aliunde concessam non habet, quæ se eò extendat: putant tamen *Laym.* & alii, posse validè ordinare alium ad se dimissum; eò quòd *Trid.* tantùm dicat: *Non liceat.* Imò possunt etiam conferre Subdiaconatum ex Papæ privilegio, quod de facto multi Abbates habent. De Diaconatu dubium est. De Presbyteratu negant omnes. Vide *Illsung hic N.* 35.

450. *An ad consecrationem* Quæri hìc potest, an ad ordinationem Episcopi necessariò requirantur tres Episcopi; quia Papa S. Anacletus decrevit, ut Episcopus non

non à paucioribus ordinetur, quàm à tribus Episcopis. Idem præscribit Rituale Romanum; sed hæc præcepti, non necessitatis pro valore sunt: si enim ordinatio fiat ab uno Episcopo, assistentibus duobus Sacerdotibus, ex dispensatione Apostolica, est certo valida. Ita La Croix hic N. 2147. & alii communissime. Constat ex praxi Ecclesiæ: nam S. Gregorius Magnus cum Anglis, Gregorius III. cum Patriarcha Æthiopiæ, Pius IV. cum Indis, aliique Pontifices cum aliis dispensarunt in assistentia duorum insuper Episcoporum: Quod non fecissent cum tanto salutis animarum periculo, si dubium cæteroquin fuisset de valore: nam à tali Episcopo ordinati invalide, nec Eucharistiæ Sacramentum conficere, nec absolvere à peccatis potuissent. Certè Apostoli à Christo teste S. Augustino, Paulo ante ascensum, Episcopi Ordinati, per orbem dein dispersi ordinarunt Episcopos, nec tamen ubique habuerunt duos, sibi assistentes Episcopos; qui si modò assistunt, nec inunctionem faciunt, nec formam aliquam proferunt, quod tamen ordinans & conferens Sacramentum, ut faciat, oportet. In his etsi plerique omnes conveniant, sunt tamen nonnulli, qui existimant non omnino certò valere talem ordinationem, si fiat absque dispensatione Sedis Apostolicæ, adeoque illam esse iterandam. Verùm non apparet, ex quo fundamento. Nam Pius IV. audiens in Indiis Episcopos aliquos consecratos esse ab uno tantum Episcopo sine dispensatione Apostolica respondit; se eos absolvere à suspensione & posse pergere in suo munere. Sacra Congre-

Episcopi requirantur tres Episcopi?

gatio super hac quæstione interrogata 1657. 15. Decembris respondit : *Quantum spectat ad Sacramentum, & impressionem characteris ordinationem fuisse validam, quantum verò spectat ad licitam executionem Ordinis fuisse irritam, & inanem Episcopumque ita consecratum indigere absolutione* : Id est non posse officium Ordinis licite exercere sine dispensatione à suspensione : sæpe enim in jure actus dicitur irritus, quando collatæ per illum potestatis exercitium suspenditur : Credibile autem non est S. Congregationem in tanti momenti materia, ex qua pendet tot Sacramentorum valor, salusque animarum, sic fuisse absolute responsuram, nisi, erudito Pontifice, certa fuisset, non esse periculum invalidæ consecrationis Episcoporum, etsi consecrando duo præter consecrantem Episcopi non assisterent : proinde tenendum est eam respondisse ex mente Pontificis & mandato. Quare Pignatelli, qui Tomo 1. consultatione 182. Optimè hanc quæstionem tractat, certum esse dicit, quod assistentia duorum insuper Episcoporum nec sit de forma ordinationis Episcopi, nec ritus essentialiter requisitus.



QUÆS-

QUÆSTIO IV.

Quæ requirantur ex parte ſuſcipientis ad ordinationem validam?

Reſp. Requiritur 1*mò* ſexus maſculinus, ſal- 451.
tem prævalens fœminino. Ità ordinavit Chri- *1. Sexus*
ſtus, ut ex perpetuo uſu Eccleſiæ colligitur. *maſcu-*
Et ratio eſt, quia mulier ſacro ordine initiata *linus.*
eum debuiſſet poſſe exercere: hoc autem inconveniens eſſet: nam teſte Apoſtolo 1. ad Cor. 14. *Turpe eſt mulierem in Eccleſia loqui, ſed decet eam eſſe ſubditam.* Quædam olim Presbyteræ vocabantur non propter ſacrum ordinem, ſed ob ſenium: Presbyter enim ſignificat quoque ſenem, prudentem. Quædam etiam dicebantur Diaconiſſæ non propter Ordinem; ſed vel propter officium inſtruendi Catechumenas; vel hoc nomen à maritis ſuis participabant. Cæterùm & tonſuræ Clericalis, utpote quæ diſpoſitio eſt ad Ordines, ſunt incapaces.

2*dò.* Requiritur in rationis capace intentio *2. Inten-*
ſuſcipiendi Ordinem ſecundùm dicta; quæ ta- *tio.*
men in puero rationis incapace ad validam ordinationem non requiritur: quanquam hic ad ſervandam caſtitatem niſi ordinationem ratam habeat, & ad Horas poſtea non tenetur. Si quis dicat, ſe dubitare de intentione: præſumitur adfuiſſe; quia cenſetur non voluiſſe peccare, & ſtandum eſt pro valore actûs, dum conſtet contrarium. Si dicat, ſe noluiſſe; eò quòd putaret, ſe eſſe in mortali: adhuc ſtandum pro valore; quia noluit peccare: gra-

viùs autem peccâsset simulando Ordinis susceptionem.

3. Attactus instrumentorum. 3*tiò*. Requiritur, ut instrumenta, quibus cum forma potestas conferenda significatur, ab Episcopo acceptet, & tangat. Sacerdos autem ordinandus pro quiete conscientiæ curet, ut non tantùm tangat calicem, & patenam, ut præscribit Pontificale Romanum; sed etiam hostiam: si tamen hanc physicè non tangeret, communissima habet, sufficere; quia tactâ patenâ censetur acceptari, & tangi hostia. Sicut tacto calice censetur tangi, & acceptari vinum: nec Pont. Rom. ait, tangi debere hostiam. Opposita sententia Bernal à multis censetur improbabilis. Idem dicunt, si tangeret cuppam calicis, & hostiam super patenam non tangendo immediatè physicè patenam, estque ratio eadem. Putat tamen *La Croix* consultùm esse, ut Ordo repetatur. Idem tanquam certum tenent multi, si tangeretur solus calix, cui superposita esset patena cum hostia: sed *Castrop. Dicast. & Diana.* dicunt, non esse certum, & Ordinem repetendum esse. Sufficeret tamen, si materia unâ manu, aut etiam digito tangeretur; quia verè diceretur tangere. Nec obest valori, si Episcopus in collatione potestatis absolvendi à peccatis imponat manus Chirothecis indutas; quia adhuc dicitur verè manibus caput tangere; & Episcopus post primam manuum impositionem, quando jam manus presbyterandorum inungendæ sunt, tum prius in Pontificiali jubetur Chirothecas deponere. Hæc sententia certa est, & sic habet praxis in Germania. Quòd, si vinum non esset in calice, ordinatio Presbyteri probabiliùs foret invalida.

QUÆS-

QUÆSTIO V.

Quæ requirantur in ordinando, ut licitè Ordines suscipiat?

Resp. Requiruntur sequentia : 1mò. Status gratiæ, qui tamen ad primam tonsuram non requiritur ; quia Sacramentum non est. 452. *Requisita status gratiæ, certa ætas.*

2. Certa ætas, & quidem pro Clericali tonsura, & tribus primis minoribus saltem septennium completum, pro acolytatu annus 12mus completus ; pro Subdiaconatu 21mus, pro Diaconatu 22dus, pro Presbyteratu 24tus, pro Episcopatu 33tius, omnes completi. Potest tamen Episcopus habens privilegium dispensare infra annum.

3. Ut non sit Neophytus, infamis, quales non sunt in Germania nati ex parentibus hæreticis. *Immunitas ab irregularitate.*

4. Ut non sit hermaphroditus, vel illegitimus, aut ex alio capite irregularis, suspensus, vel excommunicatus. Putat quidem *Gobat* cum aliis multis, quos refert *Tr.* 8. *N.* 429. probabiliter, quòd Episcopus possit dispensare cum illegitimo occulto, sed alii cum *Suar.* id communiùs negant. Potest tamen Episcopus cum illegitimo etiam notorio dispensare pro Ordinibus minoribus, & Beneficio simplici, pro majoribus autem, & Beneficio duplici probabiliùs solus Papa. Cæterùm in petitione dispensationis exprimendum, an natus sit illegitimus ex utroque parente soluto, vel uno conjugato, aut in Sacris constituto, aliàs dispensatio erit invalida.

Animus clericandi. 5. Requiritur animus clericandi, etiam in suscipiente primam tonsuram, aliàs peccat saltem venialiter; quia fraus est, etsi levis.

Confirmatio. 6. Confirmatio etiam ante primam tonsuram ex *Trid. Sess.* 23. *de Reform. Cap.* 4. probabiliùs tamen tantùm sub veniali; quia gravis obligatio non est imponenda, ubi de ea non satis constar, & ordinandum satis movebit ad suscipiendam priùs confirmationem notitia obligationis sub veniali.

Scientia. 7. Scientia necessaria ad usum cujusque Ordinis. Pro prima tonsura ex *Trid. loco citato* requiritur, ut sciat rudimenta fidei, & insuper scribere, & legere, pro minoribus notitia linguæ latinæ; pro Subdiaconatu, & Diaconatu scientia eorum, quæ spectant ad dictos Ordines; pro Presbyteratu scientia necessaria ad docendum populum necessaria ad salutem, & ad administrandum Sacramenta. De quibus etiam ante examen subeundum est.

8. Si suscipiatur Ordo major, requiritur animus recitandi Horas Canonicas, & servandi sub obligatione perpetuò castitatem. Quæ obligatio an sit ex voto, vel præcepto Ecclesiæ, dubium est. Sunt, qui tenent, esse ex tacito voto, alii ex præcepto Ecclesiæ, alii ex utroque simul esse existimant. Quidquid, sit talis peccans contra castitatem ejusdem speciei malitiam contrahit contra religionem simul; quia tam lex Ecclesiæ, quàm votum ex religione procedit.

Titulus. 9. Ut habeat titulum convenientis sustentationis.

10. Ut suscipiat Ordines ab Episcopo proprio, nisi ab hoc literas habeat dimissorias, quibus detur facultas alteri Episcopo eum ordinandi.

11. Ut

11. Ut suscipiat Ordines sine saltu, ùt vocant, id est non inverso Ordine, v. g. Diaconatum ante Subdiaconatum. Hoc enim foret mortale, & Episcopatus ante Sacerdotium susceptum esset invalidus.

12. Ut serventur interstitia temporum, sic ut Ordo major non nisi post annum à susceptione alterius majoris suscipiatur. In quo tamen Episcopus ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ dispensare potest, utì &, ut minores omnes eodem die suscipi possint, imò & eodem die cum Subdiaconatu. *Tempora ordinationis*

13. Ut suscipiantur temporibus, & diebus ab Ecclesia statutis; nisi ex justa causa dispensetur. Tempora statuta pro majoribus sunt dies Sabbati in septimana prima post festum Exaltationis sanctæ Crucis, post diem Cinerum, post Pentecosten, post festum sanctæ Luciæ, ùt habet antiquus versus:

Post Crux, post Cineres, post Spiritûs, atque Lucia.

Item dies Sabbati ante Dominicam Passionis, & Paschæ. Prima tonsura conferri potest quovis die, & horâ; minores diebus Dominicis, & festis duplicibus, etiam extra Missarum solennia; sed manè tantùm. Consuetudo etiam in Germania habet, ut conferantur Feriâ quartâ, & sextâ quatuor temporum. Practicè probabile est, inquit *La Croix*, quòd Ordines conferri possint in duplici, etsi tantùm in Choro celebretur. Denique requisita ad validam etiam requiruntur ad licitam Ordinum susceptionem.

* * *

QUÆSTIO VI.

Qualis titulus ad licitam Ordinis Majoris susceptionem requiratur, & quæ de illo observanda?

453. *Pro sustentatione conveniente.* Resp. 1. Pro Ecclesiastico Sæculari requiritur titulus, seu jus ad proventum, ex quo convenientem statui Clericali sustentationem habeat, talis esse potest beneficium Ecclesiasticum, vel patrimonium. Dixi *pro Sæculari Ecclesiastico:* nam Religiosi ordinari possunt titulo paupertatis.

454. *Titulus Beneficii.* Resp. 2. Ut quis titulo beneficii licitè ordinetur, debet illud actu pacificè possidere, & esse sufficiens convenienti sustentationi, cui non obest fructuum primo anno carentia. Quodsi beneficium sustentationi convenienti non sufficiat; potest Episcopus cum suo subdito, non autem cum alieno titulum erigere ex beneficio, & patrimonio, uti habet praxis communis. Unde si origine Trevirensis haberet in Coloniensi Beneficium tenue, & pro titulo complendo adjiceret patrimonium, in Moguntina situm, regulariter approbari posset ab Episcopo Trevirensi, vel Coloniensi; quia his subditus esset, non verò à Moguntino; quia patrimonium non facit subditum, ordinari tamen à Coloniensi non posset; quia *Innoc. XII.* in sua *Const.* apud *La Croix* L. 6. P. 2. N. 2168. requirit, ut quis, ratione Beneficii subditus Episcopo, ad hoc possit promoveri ad Ordines, Beneficium sit se solo sufficiens sustentationi; unde nec à Coloniensi ad alium dimitti posset. Instrumentum tamen

men judiciale confici de patrimonio deberet in Moguntina.

Resp. 3. Titulus patrimonii debet habere has conditiones : 1. Debet esse bonum immobile, quale etiam censentur census redimibiles, cum cautione tamen, ut, si redimantur, pecunia reapplicetur censui. 455. *Vel titulus patrimonii.*

2. Debet esse irrevocabilis, & distinctus à luctis quotidianis : unde peccat graviter, qui titulum patrimonii sibi curat erigi sub pacto, ut illo non utatur, aut eum post Ordines susceptos reddat, vel ad certos tantùm annos habeat, aut ejus fructus cedant alteri. Putant multi, sic ordinatum esse ab Ordine suspensum, alii id probabiliùs negant ; quia non est ordinatus sine titulo : tali enim pacto probabiliter stare non tenetur, utpote turpi, quod pro non adjecto habetur, in quo contradicunt alii. Econtra erigi potest cum pacto, illum post mortem vel acceptum Beneficium Ecclesiasticum, sustentationi sufficiens, aut post habitam aliunde sustentationem cum licentia Episcopi reddendi. Bona enim, assignata in titulum ordinationis, non fiunt Ecclesiastica, etsi debeant secundùm Canones gaudere privilegio fori Ecclesiastici, quamdiu sunt bona tituli personæ Ecclesiasticæ. Hinc si pater (ad quod cogi potest) pro titulo ordinationis certa bona assignet filio, hoc mortuo, redeunt ad priorem statum : neque enim alienantur. Quodsi mortuo patre superesset filius in vivis, teneretur juxta *Molinam, Castrop. La Croix* hic N.2277. ea computare in legitimam, quibus tamen contradicunt quidam alii, opinantes, esse donationem à patre factam filio in quotidianam sustentationem.]

3. Ti-

3. Titulus ordinariè debet erigi cum obligatione reali, & hypotheca, nec priùs esse ære alieno gravatus; bonaque assignata non possunt alienari, hypothecari aliis, vel permutari, licitè saltem, imò juxta *Gobat*, *Castrop.* contra *Suar.* nec validè. Non requiritur tamen institutio, vel investitura, sed sufficit instrumentum, à judicio publico confectum cùm approbatione Episcopi, nisi alicubi aliud ordinata habeant, ùt in Trevirensi, ubi investitura requiritur. An ordinatus scienter titulo ficto, aut non habente prædictas conditiones, sit suspensus, dubium est. Negat *Toletus*, *Gobat*, & alii. Affirmat *Suar. Vasq. Sanch.* & alii; quia pœna illa statuta est per antiquos Canones. *Trid.* autem antiquas pœnas super hoc renovat. V. P. 1. N. 292. Quòd talis peccet graviter, certum est. Et idem est de eo, qui bonâ fide ordinatus Subdiaconus, deprehenso tituli vitio altiorem ordinem susciperet. Similiter dubium est, an titulus patrimonii, ubi super eo ordinatus competentem sustentationem aliunde habet, possit sine licentia Episcopi resignari. Sunt, qui affirmant, sunt &, qui negant. Verùm spectanda consuetudo Diœcesion. In aliquibus exigitur juramentum de non resignando sine Episcopi licentia. *Trident.* autem tantûm dicit: Non posse resignari, extingui, permutari, nisi aliunde habeatur conveniens sustentatio.



QUÆS-

QUÆSTIO VII.

A quo Episcopo ordinandi, tum Sæculares, tum Regulares, Ordines suscipere debeant?

Resp. Regulariter loquendo, Sæculares ordinandi Ordines debent suscipere ab Episcopo, cui subsunt ratione vel originis, vel domicilii, vel Beneficii; Regulares verò ab Episcopo, in cujus Diœcesi habitant. *Ratio 1ma partis est*; quia quilibet ex iis est proprius eorum Episcopus, hinc ab eorum quolibet ordinari licitè possunt. *Pars 2da* constat ex *Constitutione Benedicti Papæ XIV.* editâ Anno 1746. incipiente: *Accepimus*, in qua declarat, si quæ privilegia specialia alicui Ordini Religioso sint concessa in hac materia, iis non gaudere alios per privilegiorum communicationem; sed debere expressè, & directè esse concessa. 456. *Sæculares ab Episcopo suo, Regulares ab Episcopo loci, in quo habitat.*

Dixi 1. *Regulariter:* quia possunt Clerici Sæculares à suo Episcopo dimitti ad alium; Regulares verò à suo Superiore, quando loci Episcopus aut non adest, aut Ordines non est collaturus, de quo tamen testimoniales ab Episcopi Vicario, & Cancellario, aut Secretario, Episcopo, ad quem ordinandi mittuntur, afferendæ sunt. Præterea debent dimissoriæ ex Constitutione *Clementis VIII.* non esse ex industria dilatæ in tempus, quo Episcopus loci vel abfuturus, vel non ordinaturus prævidetur: fraus enim nulli patrocinari debet.

Dixi 2. *Cui ratione originis subsunt*, id est, loci nativitatis, in quo pater domicilium habet,

bet, neque enim origo desumenda est à loco, in quo quis ex accidenti v.g. in itinere matris natus est, nisi pater jam, priore deserto, ibi domicilium haberet. Si pater id nullibi haberet, filius censeretur ejusdem originis, cujus est pater. *La Croix* N. 2169.

Domicilium quomodo acquiratur?

Dixi 3. *Vel ratione domicilii:* fit autem ratione domicilii in hac materia subditus Episcopi, qui ad ejus Diœcesin venit cum animo in ea perpetuò habitandi, huncque animum probavit vel per decennium in ea habitando, vel ad instructas in ea ædes majorem rerum suarum partem deferendo, ac insuper per notabile tempus in ea commorando, jurandoque se habere animum perpetuò in ea permanendi, quem animum non excludit intentio aliò migrandi, si promotio, casus improvisus, vel familiæ necessitas aliò vocaret, modò non prævideatur prudenter ex tali causa aliò migrandum fore: tunc enim animus in loco non quiesceret. Quodsi in ea ætate ex loco originis discessisset, ut contrahere impedimentum Canonicum potuisset, ab Episcopo originis habere deberet testimoniales libertatis ab illo.

Dixi 4. *Vel ratione Beneficii:* quo nomine venit Beneficium propriè dictum, idque pacificè possessum, se solo sufficiens sustentationi, & subjectum Episcopo, non quidem necessariò quoad præsentationem, aut institutionem, sed saltem quoad Episcopalia, super quo ut ordinetur, non indiget dimissoriis Episcopi originis, vel domicilii, cùm nemo dimittatur ad suum Episcopum, debet tamen ab illis habere testimoniales de natalibus, ætate, vitâ, & moribus, nisi dimissorias haberet ab iis, ut à quocunque Episcopo ordinari possit.

QUÆS-

QUÆSTIO VIII.

Quid de Literis dimissoriis sit notandum?

Resp. Sequentia. 1. Literæ dimissoriæ sunt, quibus conceditur Episcopo facultas alterius Episcopi subditum ordinandi. 2. Illas dare potest Episcopus tum originis, tum domicilii, tum Beneficii, idque licèt necdum sit consecratus. Item Capitulum, Sede vacante, non tamen Vicarius Episcopi, nisi ex speciali hujus commissione. 3. Dimissus ad primam Tonsuram censetur dimissus ad Confirmationem, dimissus ad 4. Minores, dimissus est ad primam Tonsuram; dimissus ad omnes Ordines, est dimissus quoque ad Presbyteratum, quanquam melius est singulatim hunc exprimi. Si quis cupiat sine interstitiis ordinari, curare debet, ut Episcopus dimittens hoc exprimat. An, dum conceditur alieno Episcopo facultas non subditum ordinandi, concedatur tacitè facultas dispensandi in impedimento Canonico, si quo laboraret, dubium est Affirmat cum aliis *Gobat*: Regula enim Juris habet: *Uno concesso videtur concedi id, sine quo illud concessum non potest consistere;* sed negat *Sanch. Castrop.* & alii; quia privilegium non debet extendi ad disparata; & regula illa juris locum duntaxat habet, quando concessum habet alterum sibi connexum necessariò, quod hic non est: potestas enim ordinandi potest stare sine potestate dispensandi; potestas autem ordinandi non stat sine potestate conferendi primam Tonsuram. 4. Dimissus 457. *Literæ dimissoriæ.*

missus à Trevirensi, ut possit à Coloniensi ordinari, non potest adire Moguntinum, si Episcopo Trevirensi fuerit ex parte sua specialis causa dimittendi ad Coloniensem; secùs, si in gratiam dimissi fuit designatus Coloniensis, v. g. quia huic erat vicinior, aut, quia id petivit: *Quod enim in gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium detorquendum*, ùt habet regula sexta Juris in 6. & statuens aliquid censetur tacitè statuere, quod statuisset, si rogatus fuisset. *La Croix* N. 2257.


QUÆSTIO IX.

Quæ sit obligatio ad preces, quas in ordinatione solet ordinatis injungere Episcopus?

458. *Probabiliter gravis.* Resp. Gravem esse negant *Valent. Castrop. Gobat*, & alii; quia non censentur Episcopi obligare graviter aliis satis occupatos, gravem esse affirmant *Suar. Less. Laym.* & alii: nam in materia gravi censetur præceptum obligare graviter, nisi aliunde constet, aut præsumatur aliud de mente Superioris. Est autem materia hìc gravis: promotis enim ad primam Tonsuram, vel 4. Minores injungitur, ut semel dicant Psalmos Pœnitentiales cum Litaniis, Versiculis, & Orationibus; promotis ad Sub- vel Diaconatum Nocturnus certi diei; promotis ad Presbyteratum injungitur, ut post primam suam Missam dicant tres, unam de Spiritu sancto, alteram de Beatissima Virgine, tertiam pro Fidelibus defunctis, quæ legenda sunt,

sunt diebus, quibus licet legere Votivas, & de Defunctis.

Porrò. Nec Presbyter cum Episcopo consecrans conari debet, ut verba Consecrationis simul cum Episcopo absolvat: si autem absolvat ante, Episcopus non consecrat, quod est inconveniens: si post, ipse non consecrabit. Quia autem difficile est, ut omnes cum eo absolvant ultimam syllabam; faciant hanc intentionem: *Si verba absolvero cum Episcopo, volo consecrare, aliàs non.*



TRACTATUS VIII.

De Sacramento Matrimonii.

Quia Matrimonio plerumque præmitti solet ejusdem promissio, quæ Contractus Sponsalitius, & Sponsalia dicitur, de ea priùs, quàm de Matrimonio tractetur, agendum est.

CAPUT I.

De Sponsalibus, seu Matrimonii promissione.

QUÆSTIO I.

Quid sint Sponsalia, & quæ ad eorum valorem requirantur?

459. *Requisita ad Sponsalia.*

Resp. Sponsalia propriè dicta, & ùt communiter accipiuntur, sunt mutua promissio

sio futuri Matrimonii inter personas determinatas jure habiles : unde, ut valeant, requiritur 1mò. Ut promissio, sicut alii contractus, sit voluntaria, id est, procedat ex cognitione ejus, quod promittitur sine errore tum circa personam, quâcum contrahitur, tum circa conditiones substantiales, aliàs promissio irrita est secundùm dicta de Contractibus. P. 3. N. 112.

2. Ut promissio sit plenè deliberata : inducit enim obligationem gravem Justitiæ, utpote contractus onerosus ; ad contrahendam autem per contractum obligationem gravem requiritur plena deliberatio.

3. Ut sit mutua, id est, reciproca ; quia Sponsalia sunt contractus onerosus, vi cujus contrahentes reciprocè ad certa, eaque gravia onera obligantur, ùt in aliis contractibus onerosis.

4. Ut sit signo externo sensibili expressa, nempe verbis, nutu, vel scripturâ &c. quia sine signo externo sensum internum exprimente, inter homines contractus celebrari non potest.

5. Ut sit acceptata ; quia sine acceptatione firma non est.

6. Ut sit futuri Matrimonii ; quia habet pro objecto immediato & essentiali Matrimonium contrahendum, per quod Sponsalia distinguuntur à quovis alio contractu & promissione.

7. Ut futurum Matrimonium sit licitum : ad illicitum enim non potest esse obligatio.

8. Ut sit inter personas determinatas ; quia, ùt Matrimonium debet esse inter personas determinatas, ità & Sponsalia, quæ sunt præambula Matrimonii.

9. Ut

9. Ut sit inter personas jure habiles, id est, inter marem & fœminam, qui suo tempore Matrimonium licitè & validè contrahere possint, adeoque nullo impedimento dirimente affecti.

10. Denique, ut promissio sit vera & sincera; quia ficta, sine animo se obligandi, obligationem non inducit se solâ ad ineundum Matrimonium.

Dixi: *Sponsalia propriè dicta:* nam per Sponsalia quandoque intelligitur Matrimonium necdum consummatum, & hinc conjuges, qui contractum Matrimonium necdum consummârunt, dicuntur Sponsi à verbo *Spondeo*, quod est, sponte promittere. Post conceptam prolem dicuntur maritus & uxor. Et hoc sensu dicit S. Hieronymus de S. Josepho: *Qui futuræ uxoris omnia noverat.* Ex his deduco

1. Ad Sponsalia non sufficit propositum, aut desiderium cum certa persona contrahendi Matrimonium, etsi huic esset manifestatum, v. g. his verbis: Volo te ducere uxorem, cupio te habere uxorem. Item, si quis voluit contrahere Sponsalia cum filia natu minore, si ei substituatur natu major, non tenent Sponsalia; quia est error circa substantiam, & promissio respectu illius personæ involuntaria. 460. *Corollaria.*

2. Non valent Sponsalia, facta in ebrietate auferente plenum rationis usum; valent tamen, per se loquendo, ex æstu amoris, libidinis, vel aliâ passione; quia cum iis stat libertas sufficiens ad peccatum mortale: ergo etiam ad contractum: neque ex eo, quòd sponsi non satis prudenter deliberaverint, sequitur, esse invalida; quia nihilominus possunt fuisse facta 461. *Inita ex vehementi passione an valeat?*

 cum

cum plena libertate; imò impuberes statim post septennium ea validè contrahunt, modò adsit usus rationis, ùt constat ex Cap.4. & 5. *De Desponsatione Impuberum*.

462. *Promissio simplex matrimonii an sufficiat ad ea?*

3. Si Cajus merè liberaliter Titiæ promitteret Matrimonium, & hæc non repromitteret, obligaretur quidem in conscientia Cajus, nisi eâ lege promisisset, ut & ea se obligaret, non tamen essent Sponsalia propriè dicta, nec inducerent impedimentum publicæ honestatis, nec parerent actionem in foro externo.

Dixi: *Nisi eâ lege:* nam ordinariè nemo censetur, sic se velle obligare, nisi & fiat repromissio; unde regulariter talis promissio nulla est. An autem hoc ipso, quòd quis promissionem Matrimonii acceptet, censeatur repromittere, dubium est. Affirmat *Vasq.* & alii. Negat *Sanch.* & alii; quia potest quis puellæ promittere Matrimonium liberaliter, vel ex gratitudine ob v. g. præstita in morbo obsequia, & ipsa acceptare promissionem, nec tamen statim repromittere, sed velle rem meliùs expendere: liberali enim promissioni non necessariò respondet repromissio; ordinariè tamen non promittitur Matrimonium, nisi sub ea conditione, si pars altera acceptet, & repromittat; & sicut, si sponsus contrahens Matrimonium cum sponsa dicat: Accipio te uxorem, & ipsa respondeat: Placet, contrahitur Matrimonium, ità hìc. Et sicut Matrimonium claudicare non potest, sic nec Sponsalia.

463. *Sponsalia cum secunda an valent?*

4. Si Titius contraxit valida Sponsalia cum Caja, & deinde promittat alteri, invalida sunt Sponsalia secunda; quia de objecto illicito, nempe traditione juris in corpus, ad quod jus habet Caja. Idem est, si quis voto perpetuæ

petuæ castitatis, vel non nubendi, aut ingrediendi Religionem, vel impedimento dirimente, vel impediente perpetuò Matrimonium, ligatus attentet Sponsalia absolutè contrahere.

Dixi: *Voto perpetuæ castitatis:* nam, qui ligaretur tali voto tantùm ad tempus v. g. ad triennium, posset validè Sponsalia inire, exequenda tempore cessantis voti; sicut impuberes validè ea ineunt, exequenda tempore pubertatis.

Dixi item: *Si absolutè attentaret*: nam essent Sponsalia conditionata, si utraque pars conscia impedimenti promitteret Matrimonium ineundum, si obtineatur dispensatio.

5. Si Cajus pluribus v. g. sororibus præsentibus dicat: Promitto, me unam ex vobis ductturum uxorem, & omnes repromittant, non contrahuntur Sponsalia propriè dicta ob rationem datam, nec oritur impedimentum dirimens, ùt habetur *Cap. unico de Sponsalibus in 6.* Teneretur tamen Cajus unam ex illis ducere; quia verba illa indicant veram promissionem acceptatam, si autem unam eligat, & illa renuat, non tenetur aliam ducere; quia per illum non stetit, quò minùs impleret suam promissionem; sed per eam, quæ recusavit ipsum; similiter, si parens Titio promittat unam indeterminatè de suis filiabus etiam consentientibus, non sunt Sponsalia, tenetur tamen parens unam dare, quam si recuset Titius, pater erit liber.

464. *An promissio simul facta pluribus*



QUÆSTIO II.

An persona Catholica licitè, & validè contrahere possit Sponsalia cum persona Hæretica?

465. *Regulariter illicitè, & invalidè.* Resp. Regulariter non tantùm illicitè, sed etiam invalidè contrahit, ità *Sanch.* L. 7. D. 72. N. 3. *Gobat* Tract. 9. N 216. & alii. *Ratio est*; quia Matrimonium inter tales ordinariè est graviter illicitum, ùt constabit ex dicendis N. 635. ergo & illius promissio est illicita, & quia nemo ad illicitum obligari potest, etiam est invalida; valere tamen possunt, ùt conditionata, quando ineuntur sub hac conditione: Si pars Acatholica ante contractum se converterit ad Fidem Catholicam. *Nec juvat*, quòd in Germania Catholici contrahant Sponsalia, & dein Matrimonium cum Hæreticis, Episcopis dissimulantibus: nam consuetudo illa est corruptela, & contra jus naturæ ob pericula perversionis, educationis liberorum in hæresi: Episcopi autem aut impedire non possunt, aut nolunt ad vitanda graviora mala, aut dissimulando peccant, si facilè impedire possint sine graviori incommodo.

QUÆSTIO III.

An licita, & valida sint Sponsalia inita sine consensu parentum, & clandestina?

466. *Regulariter sunt illicita.* Resp. Regulariter illicita sunt Sponsalia liberorum sine consensu, vel saltem consilio paren-

parentum: valida tamen sunt, nisi in aliquo casu Matrimonium sit illicitum. *Ratio 1mæ partis est*; quia liberi tenentur revereri suos parentes, adeoque in re tam gravi tenentur eorum consensum, vel consilium petere: imò, nisi sine justa causa negent parentes consensum, etiam eorum voluntati obsequi. Probabiliter tamen non peccarent graviter non sequendo, nisi prævideant gravem illorum tristitiam. Imò si prævidérent parentes irrationabiliter contradicturos Sponsalibus honestis, & convenientibus; possent non peccare clam parentibus contrahendo; cavendum tamen liberis, ne suo soli judicio fidant, præsertim si excessum amoris advertant. *Ratio 2dæ partis est*; quia electio statûs debet esse libertima, & independens ab aliena voluntate, valetque Matrimonium insciis & invitis parentibus contractum, ùt constat ex *Trid. Sess.* 24. *Cap.* 1. *De Reformatione*: ergo multò magis Sponsalia, quæ Matrimonium sunt tantùm inchoativè & minùs firma.

467. *Imò invalida, si matrimonium tale esset illicitum.*

Excipe casum, quo Matrimonium esset illicitum, nempe cum persona, quam rationabiliter nollent parentes, ùt, si contrahi non posset sine gravi scandalo, si ex eo sequerentur graves rixæ parentum, vel consanguineorum; tunc enim non teneret promissio; quia Justitia non obligat ad actum, qui sine peccato fieri non potest. Disparitas tamen personarum præcisè non irritat Sponsalia, si contrahentes illius fuerint conscii; quia tunc dignior remittit excessum, & hinc Ecclesia cogit stare talibus Sponsalibus: sed neque parentes possunt liberorum suorum Sponsalia irritare, sicut possunt vota; quia eorum vo-

luntas non subest parentibus quoad illa, sicut subest impuberum voluntas quoad vota. Nec hic attendi debet *Lex 7. §. 1. ff. de Sponf.* requirens consensum parentum ad valorem Sponsalium: nam in re spirituali Lex Civilis locum non habet.

Quòd Sponsalia clandestina, seu facta clam Parocho & testibus valida sint, &, per se loquendo, licita, satis declarat praxis Ecclesiæ, neque ullo jure irritantur: quòd enim *Trid.* irritet Matrimonium clandestinum, ad Sponsalia extendi non debet, cùm non sit eadem ratio: Matrimonium enim clandestinum irritavit, ut frequentes concubinatus vitarentur: contingebat enim, ut, qui Matrimonium clam cum una contraxerat, publicè postea contraheret cum altera, & ità Ecclesia, cui nihil constabat de primo, cogebat ad standum secundo, sicque concubinatus injungebatur: nihil simile est in Sponsalibus.

Dixi: *Per se loquendo:* Possunt enim Episcopi justa ex causa non solùm prohibere Sponsalia clandestina, sed etiam impedimentum, ea contrahenda dirimens, statuere: quemadmodum pro Diœcesi Trevirensi Anno 1757. die decimâ Februarii statutum est, ità, ut non solùm sub pœna arbitraria sint prohibita; sed etiam irrita, nisi coram Parocho, vel duobus testibus, fide dignis, contrahantur. *Ratio est;* quia, sicut in aliis materiis Episcopi possunt pro sua Diœcesi ferre leges, etiam irritantes contractus, ità possunt id in materia Sponsalium, nisi ostendatur potestas eorum quoad hæc restricta, id quod non ostenditur: nam licèt illis non sit potestas (quam tamen, teste La Croix Lib. 6, P. 3. N.515. olim habuerunt) statuendi impedimenta,

Ma-

Matrimonium dirimentia, sed hæc potestas sit hodiedum reservata summo Pontifici, illa tamen reservatio, utpote odiosa, non est extendenda ad sponsalia, quæ non sunt Sacramentum (uti est Matrimonium fidelium, ideoque una de causis gravissimis) sed possunt variis de causis dissolvi. Itaque Episcopi manent in possessione illius potestatis, cùm nec lege aliquâ, nec consuetudine constet, illam ipsis esse sublatam. Neque A.A. illam in dubium vocent, nec quæstionem de illa, quos legi, instituant.

QUÆSTIO IV.

An Sponsalia metu gravi, injustè incusso, extorta valeant?

Resp. Probabiliùs valent: nam imprimis valent jure naturæ; quia metus talis non tollit libertatem sufficientem ad validè contrahendum; sicut non tollit libertatem sufficientem ad peccatum grave: dein contractus ille irritabilis est, secùs ac Matrimonium, ac Professio Religiosa semel valida. Denique nullo jure positivo evincitur irritatio, aut nullitas: quòd enim *Cap. II. De Desponsatione Impuberum* puellæ, quæ invita & nolens, minisque parentum adacta contraxerat sponsalia cum puero, permissum fuerit alteri nubere non exspectatâ pubertate pueri, nihil evincit; quia permissio Pontificis fuit rescissio sponsalium in favorem metum passæ. 468. *Probabiliùs valent.*

Nec obstat, quòd Matrimonium sic extortum sit invalidum; quia Matrimonium semel validum est perpetuum, & indissolubile, deque eo exstat clarus textus in *Cap.* 14. *&* 15. *de Sponsf.*

Secùs est de sponsalibus, ad quæ lex irritans, utpote odiosa, extendi non debet, neque statuta de Matrimonio, statuta censentur de sponsalibus, quæ rescindi possunt, & debent, si metum passus actionem instituat. *Quod metus causa*: vel repellat eum, qui executionem sponsalium urget per exceptionem. *Quod metûs causa.* Si neutrum faciat, censetur liberè inire Matrimonium: vel si metus duret, nulliter id contrahit. Atque ità patet, meliùs esse metum passæ, ut sponsalia valeant: habet enim alterum obligatum, ut possit, si expediat eum cogere ad Matrimonium secum contrahendum, ità tamen, ut etiam facilè possit se liberare. Neque si sponsalia valeant metum incutiens obligabitur ad Matrimonium invalidum: nam non obligant ad Matrimonium absolutè, sed si metum passa, excusso metu, spontè velit inire Matrimonium cum illo: tunc enim hoc valebit, nec in illud influet virtualiter metus, etsi influxerit in sponsalia. Ità *Haun. Less.* & alii contra *Sanch.* & alios probabiliter contendentes sponsalia talia esse jure positivo nulla.

QUÆSTIO V.

An contrahens Sponsalia, occultum, quo laborat, defectum teneatur aperire?

569. *Si defectus nuptiis sit valde noxius, tenetur &c.* Resp. Laborans defectu occulto, qui reddit nuptias perniciosas, aut alteri parti notabiliter difficiliores; tenetur aut illum manifestare, aut abstinere à sponsalibus contrahendis; secùs si defectus reddat nuptias tantùm minùs appetibiles, & non afferat speciale incommodum; hunc

hunc tamen abesse non licet positivè verbo, vel facto simulare. *Ratio 1mæ partis est*, quia cum tali defectu contrahendo inferret gravem injuriam alteri ; cùm talis defectus sit valde nocivus ; ut, si sponsus laboraret morbo gallico, leprâ &c. vel mulier esset imprægnata ab alio. *Ratio 2dæ partis est* : quia nemo tenetur se infamare aperiendo defectus, qui alteri non nocent, hi autem fini Matrimonii non nocent, ùt, si mulier sit occultè pauper, deflorata, rixosa, &c. confirmatur. Ex constanti contrahentium usu constat, quòd non detegant tales defectus, sed permittant sibi invicem licentiam inquirendi, unde æqua est sponsi, & sponsæ conditio, & consequenter nulla injustitia, si una pars decipiatur, sed sibi imputet, quòd non meliùs inquisiverit, & prospexerit, cum qua persona contraheret. Periculosum tamen est sic contrahere ; quia celebratis nuptiis, & detecto errore amor facilè vertetur in odium ; unde rixæ, & alia mala. *Ratio 3tiæ partis est* : quia esset manifesta injuria, si mulier pauper se divitem, vel corrupta se virginem positivè simularet.

Dico *positivè* : quia defectus non noxios potest dissimulare, imò & aliquo artificio tegere, si cum aliqua infamia sint conjuncti. Quando autem, simulando carentiam, defectus perniciosos non aperire sit grave, vel leve peccatum, pensandum est ex quantitate defectûs, & damni in Matrimonio secuturi. In exemplis : si sponsa interrogata dicat se esse virginem, cùm sit deflorata, per se loquendo mendacium illud est tantùm veniale ; quia non est graviter perniciosum, posset tamen per accidens esse mortale, si sit prudens periculum, ne hoc dete-gatur,

gatur, gravesque inde oriantur discordiæ, quo casu fatenda esset veritas, aut à sponsalibus abstinendum. Si tamen positivè se fingendo virginem induxerit ad sponsalia, non potest cogere ad Matrimonium; quia continuaret injuriam; si autem sponsus, vel sponsa ante vel post sponsalia commiserit fornicationem, potest per se loquendo contractis sponsalibus cogere ad Matrimonium; quia obligatio ad se diffamandum, aut abstinendum à Matrimonio non noxio esset nimis dura: at verò si sponsa ab alio imprægnata pro vitanda sua infamia cum sponso suo, illius inscio, sponsalia contraheret, & Matrimonium iniret, peccaret mortaliter contra justitiam; quia in contractum deduceret rem valde vitiosam, & exponeret maritum damno gravi vix evitabili: cogeretur enim alere prolem non suam, eamque admittere in partem hæreditatis cum suis legitimis, neque sponsa haberet se purè permissivè ad illa damna, sed positivè illa causaret ineundo Matrimonium: hoc enim per se parit obligationem ad alendas proles etiam putatitias. *La Croix hìc N.* 183.

QUÆSTIO VI.

Quinam possint validè contrahere Sponsalia?

470. *Regulariter omnes ratione utentes.* Resp. Omnes regulariter loquendo rationis compotes, non tantùm per se, sed etiam per Procuratorem, imò & parentes pro liberis saltem tacitè consentientibus, aut contractum ratificantibus; modò tamen Matrimonium sit licitum. *Ratio 1ma partis est;* quia electio status

tùs est libera, nec à jure impediuntur ratione utentes, quò minùs possint contrahere Sponsalia. *Ratio 2dæ partis est;* quia sicut alii contractus, ità & Sponsalia per Procuratorem fieri possunt, declaratque id praxis Magnatum.

471. *Procurator qualis esse debeat?* Requiritur tamen 1mò, ut Procurator speciale ad id mandatum habeat, & quidem contrahat cum determinata, & individuali persona. 2. Ut Procurator per se, & non per alium exequatur mandatum. 3. Ut mandatum nec expresè nec tacitè, etiam ignorante Procuratore, sit revocatum. Habetur *Cap. finali de Procuratore in 6.* sufficit tamen, ut consensus principalis maneat moraliter, etsi fortè actu dormiat, dum Procurator nomine ejus contrahit. *Ratio 3tiæ partis est;* quia cùm parentes ament liberos, jura præsumunt in iis præsentibus, & tacentibus consensum, si tamen ex reverentia tacerent, & non consentirent, Sponsalia non subsisterent. Oppositum præsumunt jura, si soror pro fratre, aut frater pro sorore contraheret.

472. *Impuberes ante septennium invalidè.* Dixi: *Regulariter loquendo:* nam impuberes ante septennium physicè completum invalidè contrahunt, etsi ratione uterentur, habetur *Cap.* 4. *&* 5. *de Despons. impuberum*, ubi statuitur, ut Sponsalia, ante septennium completum contracta, sint invalida, quæ lex cùm fundetur in communiter contingentibus, seu præsumptione generali, non soleant autem pueri ante septennium uti ratione, non cessat, etsi in particulari casu adsit usus rationis.

***

QUÆS-

QUÆSTIO VII.

An Sponſalibus licitè apponantur Arrhæ, & Pœnæ conventuales?

473. *Poteſt apponi arrha.* Reſp. 1. Licitè apponuntur Arrhæ, ſeu res quædam à ſponſis, vel eorum parentibus poſt contracta Sponſalia in ſecuritatem futuri Matrimonii. Habetur lege *Arrh.* & lege finali Cod. *de Sponſalibus*, ſecuto autem Matrimonio Arrha reddenda eſt danti; quia datur per modum pignoris. Per conſuetudinem tamen manet accipienti; ſi autem ex neutrius culpa non ineatur Matrimonium, redit ad donantem; ſi verò non ſequatur Matrimonium ex culpa dantis, hic perdit eam, ſi ex culpa accipientis, tenetur ad duplo tantùm. Ab arrha differt ſponſalitia largitas, quæ & jocalium donatio ante nuptias, & mundus muliebris dicitur; quod fiat præcisè in ſignum amoris, & non ùt pignus futuri Matrimonii. Hæc manet accipienti, ſi ſequatur Matrimonium, ſecùs de ea loquendum ſicut de arrha.

474. *Et Pœna.* Reſp. 2. Licitè quoque apponitur pœna conventionalis, pendenda illi, qui injuſtè à ſponſalibus reſilierit: ità *Laym. Haun. Gobat*, & alii contra *Sanch.* & alios; tum quia aliis contractibus juſtè apponitur talis pœna; tum quia in arrha duplicata exceſſus habet rationem pœnæ, & tamen juſtè apponitur; tum quia talis pœna ſervit ad ſervandam juſtitiam. Nec ſic minuitur libertas Matrimonii contrahendi; quia contrahens ſponſalia eo ipſo adimit ſibi liber-

libertatem moralem sine causa resiliendi à sponsalibus.

QUÆSTIO VIII.

An Sponsalibus rectè addi possit conditio?

Resp. Rectè potest adjici Conditio: sicut enim in aliis contractibus liberum est consentire vel absolutè, vel sub conditione, ità & in sponsalibus: oritur autem ex sponsalibus obligatio, nempe ad exspectandam impletionem conditionis, si de futuro est, & eâ impleta ad contrahendum Matrimonium, modò tamen conditio non repugnet substantiæ Matrimonii, sitque seriò adjecta, & non turpis. 475. *Etiam conditio*

Nam 1mò. Si contrahantur sponsalia, ut una, vel utraque pars non habeat jus petendi debitum, vel ut Matrimonium teneat ad certos tantùm annos, sponsalia sunt invalida; quia est promissio Matrimonii impossibilis. 2. Si conditio sciatur esse impossibilis ùt: *ducam te, si cras fueris uno cubito major*, non est promissio seria, sed satis indicat jocari. 3. Si conditio sit turpis, v. g. *ducam te, si consenseris in copulam*, non est obligatio exspectandi impletionem conditionis; sed ea vitanda est, eâ tamen impletâ adest obligatio ad Matrimonium. 4. si sponsalia sint inita ab impeditis sub conditione, *si Papa dispenset*, & Papa non soleat in tali impedimento dispensare, non valent; quia conditio est velut impossibilis de futuro. Nec tenent, sed dissolvenda sunt, si Papa soleat quidem dispensare; 476. *Quæ conditiones impediant valorem*

at

at hìc & nunc non adsit causa; quia illicitum peti non potest; si autem soleat dispensare, adsitque justa causa, probabiliùs valent sponsalia, & obtentâ dispensatione transeunt in absoluta; quia sunt sub conditione possibili, & honesta, relatè ad tempus, quo erunt habiles personæ. 5. Si conjux promittat Matrimonium sub conditione: *Si uxor mea moriatur*, illicitè agit, & juxta aliquos apud *La Croix N.* 55. invalidè, eò quòd jura resistant tali contractui; quia datur occasio captandæ mortis. 6. Si sponsalia sint contracta sub hac conditione: *si pater consentiat*, consentiente patre transeunt in absoluta sine novo consensu; quia prior habitualiter perseverat. Idem est, si pater taceat, quia censetur consentire, aliàs vel negaret, vel moram peteret. Item si pater moriatur, antequam rogetur; quia conditio adjecta est in reverentiam patris, quæ, eo mortuo, locum non habet: si pater primò contradicat, & pluribus rogatus tandem consentiat, absoluta fiunt sponsalia, secùs, si primo consentiat, & statim post contradicat; quia prior consensus non censetur moraliter absolutus fuisse; si autem priùs consenserit, & diu post contradicat, prior consensus censetur fuisse absolutus, & conditio impleta: circa hunc casum tamen attentè consideranda est intentio contrahentium; quia variant A. A. sententiæ.

477. *Quid, si sponsa impediat conditionē.*

Petes: Quid dicendum, si v, g. sponsa impediat, quò minùs conditio honesta, vel licita impleatur? R. Sponsa manet obligata etiam non impletâ conditione: sponsus autem est liber. Ratio prioris est, quia quoties per aliquem, cujus interest conditionem non impleri,

pleri, ſtat, quòminùs impleatur, reſpectu illius eſt perinde, ac ſi impleta eſſet. Ratio poſterioris eſt; quia impediens conditionem æquivalenter frangit fidem, & promiſſioni renuntiat: hinc pars altera poteſt reſilire. *La Croix hic N.* 92. Vide *P.* 2. *N.* 346. & *La Croix L.* 3. *P.* 1. *N.* 469. ubi de voto contrarium tenet.

QUÆSTIO IX.

Quibus verbis, vel ſignis perficiantur Sponſalia?

478. *Quibus conſenſus ſatis manifeſtatur.*

Reſp. Perficiuntur, & conſtituuntur tam pro foro externo, quàm interno iis verbis & ſignis, quibus juxta communem acceptionem, & loci conſuetudinem manifeſtatur mutua Matrimonii promiſſio; quia quilibet cenſetur velle, quòd verba, & ſigna juxta communem acceptionem, & loci conſuetudinem, ſpectatis ſimul circumſtantiis, ſignificant; ſi tamen intentio reipsâ deeſſet ſe obligandi; ſponſalia non perficerentur; ſecùs, ſi intentio adſit, etſi verba forent dubia: ut autem non erretur in eorum explicatione, ſciendum eſt, verba non ſignificare alium conſenſum, aut obligationem, quàm qui ad eorum veritatem requiritur. Sic qui promittit alteri librum indeterminatè, ſatisfacit dando minimum; quia ad verborum veritatem ſufficit qualiſcunque liber, niſi tamen circumſtantiæ, in quibus facta eſt promiſſio, aliud indicent.

479. *Quæ verba*

Hinc 1mò hæc verba: *Promitto tibi Matrimonium, obligo me tibi, ad te ducendam uxorem: Deus me puniat, niſi te ducam &c.* verba fa-

Sponsalia significentia. factâ repromissione constituunt sponsalia. Idem videtur de his : *Ducam te uxorem, providebo tibi, ùt uxori, ex nunc te habebo in meam.* Secùs est de his : volo tecum contrahere: volo te uxorem meam habere ; quia significant tantum propositum, nisi tamen circumstantiæ aliud ferant, v. g. si priùs actum fuisset de sponsalibus inter Cajum, & Titiam, & nunc coram Parocho, & testibus dicerent : volumus esse conjuges suo tempore.

2. Hæc verba negativa : *non aliam, sed te ducam : ducam & non aliam nisi te*, constituant sponsalia ; quia significant consensum absolutum. Secùs est de his : *nunquam aliam à te ducam* ; quia consensus est conditionatus : si aliquam ducam, te ducam.

480. *Annuli traditio.* 3. Subarrhatio, sive annuli traditio, vel acceptatio ex se non sufficit ad significanda sponsalia ; quia ex aliis causis fieri potest : possunt tamen circumstantiæ determinare ad ea significanda, ùt si sponsa peteret annulum in signum consensûs; & sponsus daret, uti &, si Cajo, promittenti Matrimonium Titia det manum. Si tamen Cajus diceret Titiæ : propino tibi in futurum Matrimonium, & illa responderet, Deus tibi benedicat, plerumque non censentur sponsalia ; quia juvenes sciunt puellas non tam facilè repromittere, & responsio non satis indicat repromissionem, nisi tamen circumstantiæ aliud significent, aut seria fuerit intentio utrimque.

481. *Si verba sint dubia.* 4. Si omnibus consideratis dubia sint signa, vel verba, & proferens ea dicat se joci causâ dixisse, Judex debet eum absolvere, vel ad summum potest juramentum purgatorium illi deferre : si autem verba clarè significent promissionem

nem Matrimonii, & proferens dicat se ea joci causâ dixisse, Judex debet præsumere seriò esse prolata; nisi jocus aliunde probetur, vel de eo satis constet. Si dubium sit, an joco, vel serio sint prolata, locum habet juramentum purgatorium.

QUÆSTIO X.

Quinam sint effectus Sponsalitiæ promissionis veræ, & quando implenda?

Resp. 1. Effectus naturalis est obligatio justitiæ, eaque per se gravis contrahendi suo tempore Matrimonium cum persona, cui promissum est: nam sponsalia sunt contractus onerosus in materia gravi, voluntque sponsi se obligare secundùm materiam, & usum receptum in Ecclesia, quæ sponsalia non reputat, nisi sit promissio Matrimonii sub gravi obligans. Unde si contrahentes vellent se tantùm obligare sub veniali, vel ex fidelitate solùm, vera sponsalia non forent, nec impedimentum inducerent dirimens; quia verò sponsi sibi nihil aliud solent promittere, quàm Matrimonium; hinc si fornicentur cum aliis, probabiliter rei non fiunt quasi adulterii, promittunt enim tantùm se translaturos jus mutuum in corpora in ordine ad generationem, vi cujus obligandi sint ad servandam fidem conjugalem, non verò se ante Matrimonium non habituros cum alia copulam, aliàs si sponsus, vel sponsa contra fidem datam Matrimonium contraheret cum alia vel alio, & suspensa manerent sponsalia; non posset sine peccato injustitiæ petere debitum 482. *Obligatio justitiæ.*

conjugale; quia tamen fornicatio est abusus rei alteri debitæ, si notabiliter se viliores reddant, probabiliùs peccant contra justitiam, id quod maximè locum habet in sponsa. Inducunt quoque sponsalia obligationem gravem justitiæ omittendi omnia, quibus Matrimonium impediatur; quia promittentes Matrimonium simul tacitè, & indirectè promittunt, quòd non velint ponere impedimentum illius: hinc absque injustitia sponsus invitâ sponsâ non potest suscipere sacros ordines, nec cum alia contrahere, etsi posset ex speciali dispositione juris ingredi Religionem.

483. *Impedimentum.* Resp. 2. Alter effectus sponsalitiæ promissionis veræ, à jure inductus est impedimentum dirimens Matrimonium cum consanguineis in primo gradu, quod impedimentum publicæ honestatis dicitur; quia sicut inhonestum censetur jungi Matrimonio cum consanguinea ejus, cui ipse priùs erat conjunctus per commixtionem carnalem, & factus verè affinis, itá inhonestum quoque visum est Pontificibus jungi Matrimonio consanguineæ ejus, cui antè per promissionem Matrimonii animo conjunctus erat, & sic quasi affinis per inchoationem Matrimonii, sed de hoc infra plura.

484. *Obligatio contrahendi tempore præfixo.* Resp. 3. Sponsalitia promissio implenda, & Matrimonium contrahendum est tempore præfixo, nisi excuset justa causa; quia promissis standum est. Si autem dies præfixa non sit, urget obligatio, quando altera pars petit impleri; si non petat, spectandæ sunt circumstantiæ: nam si ex verecundia non auderet petere, vel esset in periculo incontinentiæ, statim implenda esset, dum potest sine gravi incommodo. Si autem nihil simile sit, non est obliga-

gatio

tio statim implendi, etsi commodè possit; quia silentium indicat compartem consentire in dilationem. Non ità Deus in dilationem voti consentit, nisi fortè quando dilatio nihil tollit de fine voti, vel non affert periculum omittendi promissum.

Petes : An sponsalia dent sponsis jus ad oscula, & tactus, hæcque honestent ? Resp. Negativè : sicut enim sponsis non dant jus ad copulam, sic nec ad tactus, & oscula venerea : tactus tamen in parte honesta, & oscula ex rationabili causa sine periculo consensûs in delectationem veneream sicut non sponsis quandoque licent, sic & sponsis conformiter dictis P. 2. N. 210. 485. *Quæ oscula liceant sponsis?*

QUÆSTIO XI.

Ad quid teneatur, qui fictè, vel habens impedimentum Matrimonii, contraxit Sponsalia?

Resp. 1. Qui fictè contraxit sponsalia cum persona, serio repromittente, si promissionem fateatur, vel ea probetur, in foro externo obligatur ad eam ducendam, non tamen vi promissionis in foro interno : *1ma Pars* constat ex Jure Canonico, & Civili. *Ratio est ;* Quia nisi Respub. promissionem externam plenè liberam, signis externis sufficienter expressam, & acceptatam teneretur ùt validam, contractus etiam veri sæpè nulli haberentur: quilibet enim impunè prætendere posset in contractibus, se non habuisse animum se obligandi. Si tamen promissio probari non posset, posset interrogatus à Judice negare se promisisse ; quia non 486. *Fictè promittens an teneatur.*

promisit verè, de quo tantùm interrogat Judex: interrogat enim, ut compellat ad Matrimonium debitum. *Ratio 2da partis est*; quia ex promissione sine animo se obligandi non oritur obligatio, per se loquendo, quod addo; quia, si pars decepta damna inde pateretur, deceptor teneretur ea compensare, sique aliter non posset, teneretur deceptam ducere conformiter dicendis.

487. *Deflorator sub spe matrimonii* Resp. 2. Qui fictè promittendo Matrimonium induxit virginem ad copulam, eamque defloravit, per se loquendo, probabiliùs tenetur sub mortali etiam in foro interno eam ducere, nec sufficit dotare. Ità *Sanch. Dicast. Less. Mastrius* contra *Bonac. Perez. Krimer* probabiliter contendentes, sufficere dotare. *Ratio autem nostra est*, tum quia in omnibus contractibus *facio ut facias*, qualis hic est, quando una pars contractum implevit, tenetur & altera eum ex sua parte implere, faciendo id, quod altera pars meritò exigit: hìc autem deflorata eum ex sua parte implevit, & meritò exigit, ut & deflorator eum ex sua parte impleat, ut illam ducat; tum quia deflorator negando consensum fecit injuriam gravem defloratæ; hanc autem non reparat, nisi ponendo consensum verum, sicut furatus equum, quem adhuc habet, non satisfacit, nisi restituendo equum: ut enim Dominus equi habet jus ad equum hunc determinatè, sic deflorata habet jus determinatè ad consensum verum, & consequenter ad hanc determinatè personam: unde non sufficit, quòd omne damnum reale reparabile compensari valeat per dotem, quâ possit æquè benè nubere, acsi deflorata non esset; sed tenetur adhuc deflorator, etsi deflo-
ratio

ratio esset occulta, & æquè commodè nuberet. Si tamen ipsa se simulâsset virginem , & non esset, fraus fraude compensaretur.

Dixi : *Per se loquendo :* nam si gravis causa superveniret , ut eam ducere omninò non posset , aut simulâsset se nobilem , vel postea esset clam fornicata cum alio, deflorator ad nihil teneretur , etsi verè promisisset. Idem dicendum , si deflorata scivit defloratorem esse nobilitate , & divitiis longè superiorem , tunc enim voluit decipi. Item si deflorata nolit illi nubere.

Resp. 3. Qui obstrictus voto simplici ca- 488.
stitatis, aut religionis ineundæ sub spe, vel pro- *Obstrictus voto castitatis.*
missione fictâ Matrimonii obtinuit à soluta , voti ignarâ , copulam, probabiliùs , nisi ipsa obligationem remittat ; tenetur eam ducere. Ità *Vasq. Sanch. Lugo* , & alii ; tum quia, quando intervenit notabilis mutatio , votum suspenditur , hic autem intervenit ; quia inducens ad copulam gravem intulit injuriam; tum quia obligatio justitiæ fortior est, quàm obligatio religionis, etiam antecedens. Sic si quis vovisset dare Ecclesiæ 1000. aureos, & postea grave damnum intulisset aliis , quod reparare non posset, si voto suo satisfaceret; nemo dicet, quòd possit suum votum implere , & non resarcire damnum. In hoc casu, quia obligatio voti aliunde suspenditur, non est opus dispensatione in eo ad hoc Matrimonium ; secùs, si hâc uxore mortuâ vellet ducere aliam. *Hurtado*, *Perez*, *Gobat* tenent non teneri ducere , si aliter damna possit compensare. *Laym.* & alii putant non teneri, etsi damna non possit resarcire , eò quòd promissio sit de re illicita. Verùm etsi vi promissionis præcisè non teneatur,

tenetur tamen ratione fraudis, & injuriæ. Unde & petenda eſt Diſpenſatio, ut poſſit petere debitum: talis enim tenetur ſervare caſtitatem in omnibus, ubi jus alterius conjugis aliud non exigit. Vide dicta P. 2. N. 366. & La Croix L. 3. P. 2. N. 564.

Dixi 1. *A ſoluta voti ignara*: Nam ſi fuit voti conſcia, ejusque obligationem ſciverit, probabiliter nec ducere, nec damna compenſare tenetur; quia mulier ſibi imputare debet damnum; cum ſpontè illud ſubierit. *Lugo* tamen conformiter dictis etiam probabiliter docet, quòd teneatur diſpenſationem petere; quia credi poterat, quòd ſic promittendo Matrimonium ſe obligaret ad tollenda, ſi poſſet, illius impedimenta. Id quod maximè locum habet, ſi mas inſinuârit petendam eſſe diſpenſationem.

Dixi 2. *Niſi obligationem remittat*: quod quandoque non poteſt, utì ſi ſic inducta ad copulam concepiſſet prolem: tunc juſtitia, vel ſaltem charitas, & pietas in prolem exigeret, ut non remittat, ne proles maneat illegitima. Similiter pater obligaretur ex juſtitia ducere matrem prolis; quia per fictionem etiam proli injuriam, & damnum intuliſſet. La Croix hic N. 72. & L. 3. P. 2. N. 318. Lugo in Suſp. M. L. 1. D. 44. N. 4. Hæc facilè applicabis conformiter dictis, caſu quo laborans alio impedimento puellam induxiſſet ſic ad copulam. *Vide La Croix hîc N. 72. & L. 3. P. 2. N. 318.*



QUÆS-

QUÆSTIO XII.

Quomodo, & quibus causis Sponsalia dissolvi possint?

Resp. Dissolvuntur 1mò licitè, & validè, per se loquendo, mutuo sponsi, & sponsæ consensu libero, & spontaneo, saltem si adsit causa; quia singuli possunt cedere juri suo, idque etsi juramento firmata; quia in omni juramento promissorio subintelligitur conditio: nisi promissarius remittat: modò tamen ambo sint puberes: impuberes enim ante pubertatem resilire non possunt, ex *Cap.* 7. *De Desponsatione impub.* sic statuente, ne sponsalia sæpiùs contrahant, & ex levitate sæpiùs resiliant: ubi verò impubes ad pubertatem pervenerit, potest pro libitu sponsalibus renuntiare, eaque dissolvere, quod conceditur ob ætatis immaturitatem, modò tamen in continenti faciat, id est, intra triduum; quia intra hoc, quod fit, censetur in continenti fieri, & non se antè carnaliter cognoverint; quia, quibus est potentia generandi, non censentur impuberes. Quodsi non dissolvantur intra triduum censentur ratificata, nisi cupiens resilire, ante pubertatem suam intentionem declarâsset. Si cum impubere contraxit pubes, hic resilire non posset, si autem contraxerint duo impuberes, unus pubes factus non tenetur exspectare alterius pubertatem: si sponsalia impuberum essent juramento firmata, *Sanch.* putat, non posse resilire, invitâ alterâ parte, verùm Sponsalia impuberum, cùm imbibant hanc conditionem, nisi adeptâ puber-

489. *Per consensum mutuũ.*

tate placeat resilire, probabiliùs est oppositum.

Dixi: *Consensu libero & spontaneo:* quia, si una pars ab altera metu gravi injusto expresserit consensum in dissolutionem, non est libera in conscientia v. g. si sponsus dixerit: Sic te tractabo, ut dies quietos non habeas &c.

490. *Per matrimonium cũ alia.* 2. Matrimonium validum cum alia dissolvit Sponsalia, saltem ex parte innocentis; quia Matrimonium contrahens cum alia remittit obligationem, nec potest velle, ut altera pars exspectet mortem uxoris. An Sponsalia penitus extinguat, dubitatur. Affirmant *Sanch. Less. Layman*; quia res, tradita alteri per contractum indissolubilem, non potest alteri tradi. Negant *Mastrius* N. 82. *Castrop.* P. 21. N. 4. *Krimer* à N. 262. quia per iniquitatem unius non debet tolli jus alterius, & qui obstrictus voto castitatis init Matrimonium, non extinguit votum, sed tantùm suspenditur in favorem uxoris. Verùm etsi non sit necessarium extingui Sponsalia, ordinariè tamen omninò cessant; quia rarò pars innocens inhæret Sponsalibus, ei tamen debetur compensatio, quanti interest servatio Sponsalium; quia frangens fidem gravem ei injuriam fecit.

491. *Per impedimẽtum dirimens, vel constantem famam* 3. Per impedimentum, jure naturæ dirimens Matrimonium, Sponsalibus superveniens, uti est impotentia perpetua; quia reddit Matrimonium impossibile, adeoque cessat ad id obligatio, etiam juramentum firmata. Similiter dissolvuntur per impedimentum Jure Canonico dirimens post Sponsalia contractum v. g. per fornicationem sponsi cum consangui-

nea

nea sponsæ in 1mo vel 2do gradu. Hoc tamen solvit Sponsalia tantùm ex parte innocentis, non verò nocentis; quia hic non debet reportare lucrum ex sua malitia. Imò, quia violavit jus alterius, tenetur petere dispensationem, si pars innocens velit, & obtineri possit sine gravi incommodo, & magnis sumptibus; si autem sine iis non possit, debet compensare alteri, quantum damni tulit. *Nec obstat*, quòd sponsa necdum habuerit jus in re ad usum corporis sponsi: nam habuit tamen jus reflexum in jure ad rem, quod læsum exigit reparationem. *de illo supervenientem.*

Item, per constantem famam de impedimento, quæ superari & extingui non possit; quia tunc Matrimonium non potest sine scandalo contrahi.

4. Per fornicationem sponsæ cum alio, post Sponsalia factam, vel solùm cognitam, datur sponso causa resiliendi; quia fornicata post Sponsalia facta est notabiliter vilior, estque viro probrosum ducere etiam antè corruptam, hocque tenet, etsi foret vi corrupta. Quòd etiam sponsa possit resilire, si sponsus post Sponsalia sit fornicatus, habet communis; quia est notabiliter mutatus in ordine ad Matrimonium, potestque sponsa rationabiliter timere, ne post contractum Matrimonium fidem violet, cùm in fervore primo alienis amoribus abripiatur. Putat tamen *Sanch.* hoc non procedere, si ante Sponsalia fornicatus fuisse postea intelligatur, eò quòd, nisi deprehendatur sæpius fornicatus, non censeatur notabiliter vilior; verùm aliis & unica fornicatio posse videtur suspectum facere de fide postea non ser- 492. *Ob fornicationem.*

servandâ, & meritò deterrere honestam virginem à nuptiis cum tali. Hæc extendunt multi ad tactus turpes alteri à sponsa permissos: imò & ad frequentes tactus, aliosve actus turpes à sponso circa alias commissos. Pars tamen innocens v. g. sponsus non privatur jure suo, nisi hic, conscius fornicationis sponsæ, haberet copulam cum ea: tum enim in foro externo censetur condonâsse delictum commissum; secùs, si fuerit ignarus delicti sponsæ; imò & conscius potest habere animum non remittendi obligationem, sicque hæc manere pro foro interno,

Quodsi post Sponsalia uterque fornicatus esset cum tertia persona, facultatem resiliendi utrique concedunt *Castrop. Krimer* & alii. *Palud. Bona & Schmier* neutri. *Sanch. Laym.* & alii concedunt sponso non sponsæ; quia hæc se multò viliorem, quàm se sponsus, reddidit; ergo ob excessum hic potest resilire, non illa; cùm infra excessum sit par sponso in delicto. Hæc sententia videtur probabilior. *Nec juvat*, quòd fortè sponsus priùs fuerit fornicatus, sicque sponsa antè habuerit jus resiliendi: nam si suo jure ante fornicationem usa non sit, hâc positâ manet obligatio: habuit enim jus non perpetuum & absolutum, sed conditionatum, nisi fornicetur. Simile est in adulteriis utriusque conjugis, si enim vir priùs adulterium committat, uxor habet jus ad divortium, si tamen & hæc adulterii se ream faciat, jus illud extinguitur, & neuter potest petere divortium; quia utraque pars fregit fidem. *Nec juvat iterum*, quòd utraque pars possit meritò timere non servandam fidem in Matrimonio: nam in hoc sunt ambo pares.

5. Dis-

5. Dissolvuntur Sponsalia per Professionem, & emissa vota simplicia valida in Religione approbata; quia vel ex natura rei, vel ex dispositione Ecclesiæ hæc conditio in Sponsalibus includitur: nisi voluero ingredi Religionem. Dixi: *Valida:* nam Professio, vel vota invalida, ùt, si quis post corruptam sub spe Matrimonii virginem, cujus damnum aliter, quàm per Matrimonium, reparari non posset, ea emisisset, Sponsalia non solvunt, utì nec utrimque ea solvit ingressus in Novitiatum: nam licèt tunc persona, remanens in sæculo, esset libera, cùm non teneretur exspectare, dum tempus Novitiatûs sit elapsum, & ingrediens eum censeatur remittere obligationem, hic tamen necdum est liber, sed si egrederetur, teneretur, si altera pars petat, cum illa inire Matrimonium. Idem est, si quis post Sponsalia voveat Religionem inire, inque hac profiteri. *Nec juvat*, quòd Professio Religiosa dissolvat Matrimonium ratum: nam illa constituit statum perpetuum; non verò ingressus in Novitiatum: utì nec votum in ea profitendi, cùm ad Professionem possit non admitti. 493. *Per vota Religiosa.*

6. Per se loquendo, dissolvuntur Sponsalia per susceptionem Ordinis sacri; quia Ecclesia constitutum in sacro Ordine inhabilem reddit ad contrahendum Matrimonium, tum ob votum solenne castitatis, quod emittit; tum in reverentiam Ordinis sacri, idque licèt sic ordinatus esset impubes. Primum constat ex *Trid. Sess.* 24. *Can.* 9. ubi anathemate ferit dicentem: *Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares, castitatem solenniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractum.* 494. *Per Ordinis sacri susceptionē*

ctumque validum esse, non obstante Lege Ecclesiasticâ, vel voto. Secundum probatur; quia pubes non est incapax præcepti, nec talis voti, etsi incapax sit voti Religionis. Aliud foret, si infans esset initiatus Ordine sacro: is enim nec præcepti, nec voti capax esset: Quare ad castitatem non tenentur, posseque inire Matrimonium. An autem liceat post Sponsalia suscipere sacros Ordines, invitâ sponsâ, non convenit inter AA. Affirmant multi apud *La Croix* N. 200. si ex animo sincero Deo meliùs serviendi procedat. R*atio illorum est;* tum quia sacri Ordines constituunt statum valde perfectum, & includunt votum solenne castitatis, ob quod licitum est post Sponsalia statum ingredi Religiosum; tum præcipuè; quia Sponsalibus videtur inesse hæc tacita conditio: *Nisi voluero ad statum perfectiorem transire.* At alii cum *Sanch. Con. Castropalao* id probabiliùs contendunt, sub mortali non licere; quia frangitur fides alteri data in gravi materia Justitiæ: nec ullo jure probatur, talem conditionem esse Sponsalibus imbibitam, sicut constat, ob excellentiam statûs esse imbibitam hanc: *Nisi voluero ingredi* R*eligionem.* Unde non licet post Sponsalia sine consensu sponsæ absolutè vovere susceptionem sacri Ordinis. Imò nec castitatem, ùt probabiliùs docent *Sanch. Krimer*, *La Croix N.* 189. contra *Gonet*, *Less. Gobat*, esset enim votum illud de materia illicita: unde & foret invalidum, nec à Deo contra jus alterius acceptaretur. Sicut, si Petrus Paulo promisisset 100. & hic promissionem acceptâsset, Petrus illicitè, & invalidè voveret eos, Paulo invito, dare Ecclesiæ, & sicut promissioni non inest conditio:

Nisi

Nisi voluero illos dare Ecclesiæ ; sic nec Sponsalibus inest hæc : *Nisi vovero castitatem.* Quare talis præsumi non potest vovisse , nisi in quantum à se servari potest , & sub hac conditione : si cesset obligatio Sponsalium. Votum tamen absolutum ingrediendi Religionem , uti & votum in ea profitendi emissum post Sponsalia , per se loquendo , est licitum , & validum , etsi tantùm dissolvat Sponsalia ex parte non voventis. Dixi : *Per se loquendo ;* nam si sponsa pateretur grave damnum , quod reparari non posset , nisi per Matrimonium , teneretur eam ducere. Et idem est de eo , qui in tali casu , invitâ sponsâ , suscepisset sacros Ordines.

7. Quælibet notabilis mutatio , seu physica, seu moralis in una parte , quæ , si antè exitisset , aut cognita fuisset , communiter tales sponsos avertisset à contractu sponsalitio , causam sufficientem præbet alteri parti , ubi intervenit, vel intervenisse cognoscitur , si velit, dissolvendi Sponsalia , etiam jurata. Est communissima. *Ratio est ;* quia, cùm Sponsalia obligent ad statum Matrimonii perpetuum , & indissolubilem individuæ societatis , contrahentes non intendunt se obligare ad inhærendum Sponsalibus , si talis mutatio detegatur , vel iis superveniat , quâ , si ab initio cognita fuisset, meritò ab iis deterriti fuissent. *495. *Ob mutationē notabilem.*

Unde una pars resilire potest 1. Si altera contrahat lepram, paralysin , perpetuam oris graveolentiam , vel alium morbum contagiosum , aut difficulter curabilem , vel talis defectus antè habitus post Sponsalia detegatur. 496. *Corollaria, & notabiles muta-*

2. Si altera pars amittat oculum , nasum , aurem , pedem , manum , vel fiat clauda , surda,

tiones, ob quas licet resilire. da, infamis, rea hæresis, veneficii, homicidii, furti, rapinæ.

3. Si sponsus fiat, vel deprehendatur moribus valde asper, durus, ebriosus, prodigus, aleator, vagabundus.

4. Si sponsa fiat notabiliter deformior, & causa contrahendi fuerit ejus formositas. Idem est, si sponsus extraordinariè fieret deformior, ità, ut afferretur horror, non tamen, si tantùm minueretur formositas: hæc enim non ità curatur in viris, ùt in fœminis, unde stibium & fucus, quæ fœminis permittuntur, virum deturparent potiùs, quàm ornarent. Deformitas quoque sponsæ non constans v.g. pallor ex morbo &c. non dat causam sufficientem resiliendi.

5. Si una pars incidat in magnam paupertatem, vel debita; si magnam bonorum partem amittat; si dos promissa, vel sperata solvi nequeat, ità, ut onera Matrimonii difficulter sustineantur: in actione enim nuptiali includitur promissio dotis, nisi sponsa sciatur esse pauper: nam receptum est, mulierem nubentem omnia sua bona in dotem promittere.

6. Si utraque pars fiat pauper, vel paupertas, aut privatio officii, jam habiti, prævideatur futura. Item, si sit prudens suspicio morbi gravis, & incurabilis, vel prudens metus exhæreditationis; quia nemo tenetur talis mali periculo se committere, videtur tamen exspectandum; quia, si causa non sit manifesta, Sponsalia manent in possessione.

7. Si mulier putabatur nobilis, vel virgo, & apta generationi, & inveniatur ignobilis, vel vidua, aut inepta.

8. Si

8. Si vel inter ipsos sponsos, vel eorum parentes, aut consanguineos oriantur ob contracta Sponsalia odia, dissensiones, aut inimicitiæ graves sine spe reconciliationis, vel si ejusmodi incommoda, ex nuptiis oritura, prævideantur cum scandalis: non sufficiunt enim dissensiones quæcunque actu existentes, aut prævisæ, sed debent esse graves, stabilesque, & conjunctæ cum scandalis, estque hìc cautè procedendum: nam quandoque tantùm sunt minæ, & contracto Matrimonio, præsertim, si sponsi sint concordes, sæpe evanescunt; neque sufficit contradictio parentum, nisi esset ex causa gravi v. g. ob dedecus familiæ &c.

Notandum hìc, quod juxta communem facultas resiliendi ordinariè tantùm sit parti non mutatæ; non verò, quæ mutationem subiit. Hinc non licet resilire sponsæ, si possit consequi meliores nuptias, fiat formosior, si mutatio non sit in sponso, nec licet resilire uni parti, eò quòd facta sit ditior, & possit jungi ditiori; sic enim meliùs poterunt sustinere onera Matrimonii, & pars altera non ideo est facta deterior.

9. Dissolvi possunt Sponsalia ab una parte, si altera abeat in terras remotas, animo ibi figendi domicilium, aut emanendi; quia censetur renuntiare juri suo, quod pars altera potest acceptare, & Matrimonium cum persona alia inire. Idem dicendum, si v. g. sponsus discedat in terras remotas absque consensu sponsæ sine spe celeris reditûs; quia sponsus, sic discedendo, censetur fregisse fidem, & juri suo renuntiâsse; si tamen de animo mutandi domicilium, vel brevì revertendi non satis constaret, monendus esset per literas, ut re- 497. *Ob discessum unius.*

deat, & promissionem impleat. Hoc facto si implere recuset, vel præsens monitus tergiversetur, & moras nectat, liberum erit alteri parti resilire. Si sit in loco propinquo, & ob impedimentum justum detineatur, Sponsalia non sunt temerè dissolvenda, sique causa sit necessaria, tenebitur altera pars exspectare, postulante sic æquitate: necessitas enim legem non habet. Quodsi terminus contrahendo Matrimonio sit præfixus; attendi debet, an præfixus sit, ut finiatur, eo elapso, obligatio; an verò, ut ultra licitè non differatur; si primum, pars utraque, termino elapso, erit libera, si sine ullius culpa, vel ex culpa utriusque Matrimonium non est secutum; non tamen, cujus solius culpâ Matrimonium non est initum: tunc enim pars innocens retinet jus suum, modò tamen culpa fuerit gravis, monitioque facta sit sub interminatione resiliendi, nisi promissio intra tempus certum impleatur: si enim monitio facta non sit, judicare poterit alteram partem consentire in dilationem. Si 2dum, Sponsalia non solvuntur ex eo præcisè, quòd terminus elapsus sit; quia duplex tunc obligatio imponitur, una contrahendi Matrimonium, quæ manet, nisi alia causa accedat; altera non ultra differendi. Si dubium sit, quâ ratione præfixus sit terminus, expendenda sunt præfixionis motiva, & circumstantiæ.

498. *Authoritas judicis an necessaria?*

Petes. An possint Sponsalia dissolvi propriâ authoritate, vel requiratur authoritas Judicis? Resp. Ut dissolvantur mutuo consensu, non requiritur authoritas Judicis; utì nec, si Sponsalia sint occulta, & causa pariter occulta, vel, si Sponsalia sint publica, & causa quoque dissolvendi sit notoria; si verò Spon-

salia

salia sint publica, & causa dissolvendi occulta, ut pars una sine alterius consensu resiliat, requiritur authoritas Judicis Ecclesiastici ex *Cap. 7. de Desponsatione.* Id enim exigit ordo, & evitatio scandali. Idem dicendum, si causa dissolvendi sit dubia; quia vi contractûs utraque pars est in possessione juris acquisiti; nemo autem propriâ authoritate deturbare potest alterum de possessione sui juris. Porrò pro foro saltem externo causæ debet esse plena probatio: hæc enim requiritur, quoties agitur de præjudicio tertii. Excipitur tamen casus, quo causa resiliendi esset impedimentum Matrimonii, v. g. affinitas, vel votum simplex castitatis antecedens Sponsalia: tunc enim sufficeret semiplena probatio; quia agitur de periculo animæ, & peccato vitando ex *Cap. 22. de Desponsatione.*

CAPUT II.

De Natura, & Proprietatibus Matrimonii.

Sicut hæreditas, quia patris potissimùm est liberis de hac providere, isque principalior est in acquisitione possessionum, patrimonium dicitur; sic contractus, quo vir & mulier individuam vitæ societatem ineunt ad propagandum genus humanum, potiùs à matre, quàm à patre nomen accepit, diciturque Matrimonium; quia matris potissimum est, prolem alere, ac primò quidem adhuc in utero existentem sanguine menstruo, deinde natam lacte, aliisque alimentis, quamdiu tenera est. Matrimonium dicitur etiam nuptiæ; quia 499.

Origo nominis & diversa appellatio.

quia olim sponsæ in signum pudoris, & subjectionis ad virum velari solebant, & veluti nube tegi, quando tradebantur in matrimonium. Quanquam hodie per nuptias non tam contractus matrimonialis, quàm ejus celebritas intelligi solet. Item dicitur conjugium per metaphoram à jugo boum; quia vir & mulier mutuo consensu onera matrimonii simul portanda suscipiunt. Item dicitur connubium, & à Græcis γάμος, à verbo δάμω quod domare significat mutato δ in γ ideo; quia restringendo libertatem conjugum eos quodam modo domat, & hinc nomina monogamus unius, bigamus duarum, polygamus plurium uxorum vir. Item monogamia, bigamia, polygamia, matrimonium viri cum una, duabus, vel pluribus successivè uxoribus. His præmissis sit

QUÆSTIO I.

Quid, quotuplex, & quando institutum sit Matrimonium?

500. *Quidditas, & diversa acceptio* Resp. 1. Matrimonium tripliciter considerari potest. 1. Activè, & præscindendo à ratione Sacramenti, & sic acceptum est contractus legitimus, quo vir & mulier sibi mutuò tradunt, & acceptant potestatem in corpora in ordine ad actum generationis, seque obligant ad individuam vitæ societatem. 2. Passivè, pro statu, vinculo, seu mutuo jure, ex contractu resultante; & sic acceptum definitur: maritalis conjunctio individuam vitæ societatem retinens, seu: indissolubilis conjunctio maris & fœminæ in ordine ad prolis gene-

generationem. 3. Prout est simul Sacramentum; & sic spectatum definitur à Toleto: Contractus viri & fœminæ legitimus, quo mutua potestas traditur in corpora ad prolis generationem, ex institutione Christi collativus gratiæ spiritualis; à Canisio Sacramentum, quo vir & mulier legitimè contrahentes individuam vitæ societatem ineunt, gratiaque divina donantur, tum ut soboles honestè & Christianè suscipiatur ac educetur; tum ut fœdæ libidinis, & incontinentiæ peccatum evitetur. Ab aliis: Conjunctio maritalis, caussativa, gratiæ individuam vitæ societatem inducens. Quòd autem matrimonium in lege nova sit verum Sacramentum, constat est dictis N. 3.

Resp. 2. Matrimonium dividitur in legitimum tantùm, ratum simul, & consummatum. 501. *Divisio.* Legitimum tantùm est, quod legitimo consensu inter personas habiles contractum est. Tale est inter non baptizatos; ratum simul & legitimum est, quod legitimè contrahitur à baptizatis, qui quia subsunt Ecclesiæ, cujus est ratificare Matrimonium, hinc dicitur ratum; denique consummatum est, quod accedente copulâ carnali extrinsecè completur, & omninò indissolubile redditur.

Resp. 3. Matrimonium, in ratione contractùs, & vinculi perpetui, & indissolubilis, à 502. *Institutio.* Deo institutum est in principi mundi, quando emisso in Adamum sopore ex latere ejus Evam formavit: tunc enim Adamo revelavit Matrimonii finem, & naturam: unde Adam expergefactus, videns Evam, statim dixit: *Propter quod relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in*

carne una, quibus Deus postea benedixit pro fœcunditate, dicens: *Crescite, & multiplicamini.* In ratione verò Sacramenti institutum est à Christo probabiliùs post resurrectionem, quando per quadraginta dies apparens Apostolis ordinavit, quæ ad Ecclesiam pertinent: nullum enim habemus argumentum, quo probabiliùs probemus, esse ante resurrectionem institutum. Ex dictis

503. *Finis.* *Colliges.* Finis proximus, & primarius matrimonii, ùt contractûs, est jus mutuum in corpora in ordine ad generationem: mediatus est generatio, & educatio prolis. Finis ultimatus est gloria Dei, Finis matrimonii insuper, ùt est Sacramentum, est gratia sanctificans cum jure ad specialia auxilia gratiæ suo tempore danda, ut proles honestè, & Christianè suscipiantur, & educentur; finis autem secundarius est remedium libidinis, seu incontinentiæ, qui introductus est occasione naturæ, per primi parentis peccatum vitiatæ, & ad carnalia factæ propensioris, ut illi, quibus continentia esset nimis difficilis, possent, matrimonio utendo, fornicationem vitare secundùm illud Apostoli 1. ad Cor. 7. *Propter fornicationem autem* (nempe vitandam) *unusquisque* (ad Cor. 1. loquitur) *uxorem suam habeat, & unaquæque suum virum.* Et infrà: *Qui se non continent, nubant.* Usus matrimonii propter prædictos fines licitus est, & meritorius esse potest, nisi ex circumstantia vitietur: si fiat voluptatis causâ, culpâ non vacat, quæ solùm tamen venialis erit; utì &, per se loquendo, si excedatur in modo, dummodo serventur, quæ pertinent ad actum generationis. De his vide in Opusculo de *Neo-Conf.* N. 121.

QUÆS-

QUÆSTIO II.

Quæ sit materia, forma, & quis Minister Sacramenti Matrimonii?

Resp. 1. Materia proxima illius probabiliter est consensus mutuus internus contrahentium; forma sunt verba, vel alia signa sensibilia, quibus consensus ille manifestatur, & acceptatur; materia autem remota sunt corpora contrahentium, vel, si mavis, jus mutuum in corpora ad actum generationis. 504. *Materia, & forma.*

Ratio 1mæ partis est; quia, sicut in Baptismo, Confirmatione, Extrema Unctione &c. illa actio est materia proxima, quæ per verba significatur, & sicut illa verba sunt forma illorum Sacramentorum, ità dicendum de matrimonio; in hoc autem consensus internus per verba & signa significatur; ergo hic materia proxima est, & verba, vel signa illum exprimentia sunt forma Sacramenti matrimonii: consensus enim, & verba, vel signa sunt de essentia contractûs matrimonialis, estque consensus ex natura rei prior verbis, illum exprimentibus, & ab illis perficitur, completur, & determinatur ad esse contractûs humani; ergo, cùm aliud non appareat, consensus rectè dicitur materia proxima, & verba forma hujus Sacramenti.

Nec obstat 1. Quòd consensus non sit in se sensibilis: nam satis est, quòd fiat sensibilis per verba: potest enim signum sensibile constitui ex una parte sensibili, & ex altera de se non sensibili. Sic accusatio sacramentalis dolorosa constituitur sensibilis per verba & do-

lorem internum; signum sensibile vini venalis ex hedera & volitione instituentis declarata. Fatendum tamen, hoc esse speciale in hoc Sacramento, quòd tota ejus materia ex se non sit sensibilis.

Nec obstat 2. Quòd consensus à *Florent.* dicatur causa efficiens hujus Sacramenti: nam non est causa efficiens matrimonii, nisi in ratione vinculi, sed causa efficiens sunt ipsi contrahentes. Quare Concilium per Metonymiam sumit effectum pro causa, ità ut sensus sit, mutuò consentientes esse causam matrimonii. Neque hoc est sumere verba Concilii impropriè: nam locutio Tropica propria est: sic dicuntur verba esse effectiva Sacramentorum, & sensus tamen est, quòd proferentes verba efficiant Sacramenta.

Ratio 2dæ partis est; quia corpora,& jus mutuum sunt id, circa quod actus contrahentium, & verba versantur.

Dixi: *Probabiliter*: nam *Suar.* aliique tenent, materiam proximam esse contractum, quatenus est traditio corporum; formam verò, quatenus est mutua acceptatio, atque ità non distinguunt materiam & formam, nisi ratione: acceptatio enim determinat traditionem ad significandam mutuam liberam conjunctionem.

505. *Ministri.* Resp. 2. Ministri Sacramenti Matrimonii sunt ipsi contrahentes, quilibet partialis, ambo totalis. Est communissima contra *Canum*, & quosdam; præsertim Parisienses, & Lovanienses, qui Ministrum matrimonii, ût Sacramentum est, volunt esse Parochum, & matrimonia clandestina antè Tridentinum tantùm fuisse valida in ratione contractûs, utì & nunc, ubi


ubi *Trid.* non est promulgatum, aut Parochus verba, *Ego vos conjungo*, non profert. *Ratio nostra est* 1. Quia Ministri Sacramenti sunt, qui formam vel solam, vel materiam ejus simul ponunt; sicut patet in aliis Sacramentis; atqui contrahentes ponunt formam hujus Sacramenti, & materiam: unde dixit *Florent.* causam efficientem matrimonii esse consensum, seu consentientes, & *S. Thom. in* 4. *d.* 26. *q.* 2. *a.* 1. *ad* 1. *verba*, *quibus contractus matrimonialis exprimitur*, *sunt forma hujus Sacramenti*, *non autem benedictio Sacerdotis*, *qua est quoddam Sacramentale.* 2. Matrimonia clandestina ante *Trid.* erant rata, & vera matrimonia, uti ipsum Conc. docet *Sess.* 24. *Cap.* 1. rata autem non fuissent, nisi in ratione Sacramenti fuissent valida: nam *Innocent. III. Cap.* 7. *de Divortio* ait: Matrimonium Infidelium non esse ratum; quia Sacramentum non est, ex quibus patet, matrimonium posse esse Sacramentum sine ministerio Parochi, adeoque hunc non esse ejus Ministrum, sed ipsos contrahentes. 3. Cardinales Concilii *Trid.* Interpretes Episcopo Salamantino dubitanti, an verba Parochi requirerentur ad matrimonium, responderunt, non requiri, sed sufficere ejus præsentiam, etsi dissentiat, & contradicat.

Nec obstat 1. Quòd Conc. *Trid.* supra præcipiat, ut Parochus, intellecto contrahentium consensu, dicat: *Ego vos in Matrimonium conjungo in nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritûs sancti*: nam his verbis Parochus contractum tantùm approbat, ùt talem habendum in Ecclesia. *Trid.* ibi addit: *Vel aliis utatur verbis juxta receptum cujusque Provinciæ ritum.* Quòd non dixisset, si judicâsset, verba Sacer- 506. *Solvuntur opposita.*

 dotis

doris esse verba Sacramenti: sic enim occasionem dedisset formam vitiatam adhibendi in variis provinciis; Sacerdos ergo benedicit contrahentibus Matrimonium, facitque suâ præsentiâ, ut dicatur fieri in facie Ecclesiæ, & ut validum habeatur. Unde licet, qui dicit: *Ego te baptizo*, sit Minister Baptismi, non ideo dicens: ego vos conjungo, est Minister Matrimonii; quia Christus contractum invariatum elevavit ad rationem Sacramenti, Baptismi autem Ministrum voluit esse alium.

Nec obstat 2. Quòd contrahentes non agant nomine Christi, Minister autem Sacramenti debeat ejus nomine agere: nam licèt ejus nomine non agant, quantum præcisè ponunt contractum civilem, translativum mutui juris; agunt tamen ejus nomine, quatenus ponunt contractum ùt elevatum ad rationem Sacramenti, seu ùt signum repræsentativum meritorum Christi, & practicum gratiæ Sacramentalis, sicque, fideles saltem implicitè volunt sibi ministrare Sacramentum, etsi fortè nesciant, se ejus esse ministros. Neque verum est, quòd ante Trid. copula carnalis fuerit loco verborum, sed debebat simul adesse mutuus consensus, & ejus manifestatio, quæ ùt ordinata ad rationem Sacramenti ponebantur nomine Christi; copula enim carnalis indifferens erat, ut fieret animo fornicario, vel maritali.



QUÆS-

QUÆSTIO III.

Qualis consensus requiratur ad valorem Matrimonii ?

Resp. Requiritur consensus verus, internus, mutuus, de præsenti, verbis, vel aliis signis sensibilibus expressus, & acceptatus, plenè deliberatus, in se liber, & immunis à gravi metu injusto, inter unum, & unam. 507.

1. Consensus mutuus verus.

Dixi 1. *Consensus verus internus, mutuus*; quia Matrimonium consistit essentialiter in contractu utrimque oneroso, translativo juris in corpora in ordine ad actus generationis, qui haberi non potest sine consensu mutuo, quemque supplere non potest ulla potestas humana; quia non potest avertere mala, oritura ex vinculo matrimoniali invitis imposito; secùs potest Deus, qui & posset viro tradere jus in corpus mulieris sine hujus consensu, & contra. Extra hunc casum, si ex alterutra parte consensus esset fictus, Matrimonium non subsisteret. Fictè tamen consentiens graviter peccaret partim contra religionem per irreverentiam adversùs Sacramentum, falsò, & sine intentione adhibendo ejus signa, partim contra justitiam, decipiendo in re gravi alteram partem. Unde & teneretur compensare damna, imò verum consensum præstare, nisi causa gravis excusaret, ùt v. g. magna conditionis inæqualitas, gravia mala, capitales inimicitiæ perpetuæ, dissidia, scandala, meritò ex tali Matrimonio metuenda. Excipe tamen, nisi mulier decepta, & ipsa sponsum decepisset, v. g. falsò simulando se esse virginem, aut fictio

fictio satis apparuerit, ut mulier censeatur voluntariè decepta: tunc enim sibi imputare deberet, cùm volenti non fiat injuria, quando cedere suo jure potest.

2. De præsenti Dixi 2. *De præsenti*; quia per verba de futuro solùm fit promissio juris transferendi; in Matrimonio autem debet actu transferri, quod fit per verba, vel signa de præsenti.

3. Externè manifestatus. Dixi 3. *Verbis &c. expressus*; quia contractus humanus non fit nisi verbis formalibus, vel æquivalentibus consensus internus manifestetur: aliter enim is cognosci, & acceptari non potest. Quamvis autem aliis signis fieri possit; expedit tamen, ut exprimatur verbis formalibus; quia his clariùs, & certiùs manifestatur.

4. Acceptatus. Dixi 4. *Et acceptatus*: sine acceptatione enim non perficitur contractus. Fit autem acceptatio eisdem verbis, quibus consensus exprimitur: nam si sponsus dicat: accipio te in meam conjugem, hoc ipso significat, & suam obligationem, & acceptationem obligationis sponsæ; non enim potest dicere: volo esse tuus maritus, quin dicat virtualiter, & implicitè; volo te habere uxorem, adeoque volo te habere mihi obligatam: sine obligatione enim non esset uxor, nec sponsus maritus. Similiter non potest accipere sponsam uxorem, quin velit esse maritus ejus, adeoque se uxori obligare. Idem dicendum de sponsa. Ut autem consensus possit acceptari, debet perseverare non quidem necessariò physicè; sed saltem moraliter, & habitualiter, dum alterius consensus, & acceptatio accedit.

5. Plenè deliberatus. Dixi 5. *Plenè deliberatus*; quia nemo censetur

ſetur velle gravem obligationem ſuſcipere ſine plena deliberatione.

Dixi 6. *In ſe liber* : Id enim exigit omnis contractus humanus: nam poteſt quis velle cauſam, v. g. ebrietatem, in qua prævidet ſe conſenſurum, & nolle conſenſum. ***6. Liber in ſe.***

Dixi 7. *Immunis à metu gravi injuſto* ; quia conſenſus, gravi metu extortus, irritus eſt ſecundùm dicenda. N. 546. ***7. Non extortus metu injuſto.***

Dixi 8. *Inter unum, & unam* : Licèt enim Deus in lege veteri Patriarchis copiam fecerit ducendi plures uxores ad propagandum populum Dei, dividendo jus in plures uxores, quod aliàs una in corpus viri vi contractûs habuiſſet, providendo de mediis pro bona educatione prolium, pace conſervanda, aliiſque malis impediendis; nunc tamen in lege nova irrita eſt conjunctio viri unius cum pluribus fœminis, uti colligitur ex Matthæi 19. ubi Chriſtus licentiam, antiquis Patriarchis conceſſam, revocat, & Matrimonium ad primam inſtitutionem reducit, conſtatque ex conſtanti praxi Eccleſiæ, & ex *Trid. Seſſ.* 24. *Can* 2. dicente: *Si quis dixerit, licere Chriſtianis plures ſimul uxores habere, & nullà lege divinà prohibitum eſſe, anathema ſit.* Imò ſine ſpeciali Dei diſpoſitione Polygamia jure naturæ illicita eſt; tum quia, ſi uxor plenum jus in ſuum corpus tradat marito, debet & hic plenum jus in ſuum tradere uxori, niſi Deus aliter ordinet; tum quia niſi Deus ſpecialiter provideat, non ſervabitur pax in familia viri, habentis plures uxores, nec erit educatio debita prolium. Multò magìs illicita eſt conjunctio unius fœminæ cum pluribus viris; tum quia commixtio fœminæ cum pluribus viris impedit generatio- ***8. Inter unum, & unam tantùm.***

rationem, ùt patet in meretricibus, sique non impediretur aliquando, incertus esset pater, quæ repugnant fini primario Matrimonii, qui est generatio, & educatio debita prolis, & hinc nunquam ista conjunctio permissa fuit.

508. *Liberi sine consensu parentum validè contrahunt.* *Porrò*, quamvis liberi peccare possint secundùm dicta de sponsalibus N. 466. contrahendo Matrimonium sine consilio, & consensu parentum, validè tamen sine eo contrahitur ob rationem ibi datam, constatque ex *Trid. Sess.* 24. *Cap.* 1. ubi anathemate ferit eos, qui falsò affirmant Matrimonia, à filiis-familias sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse. In Gallia quidem dicuntur Matrimonia invalida sine consensu parentum contracta; sed non nisi quoad effectus aliquos civiles, ùt declaravit *Ludovic. XIII.* teste P. *Antoine.* Imò & quoad hos valent, si filii excesserint annum 30. & filiæ 25. modò in scripto consilium parentum requisiverint, utì declaravit *Henr. II.* Ex dictis sequitur non posse infideles, actu polygamos, ad Baptismum admitti, nisi retentâ uxore primo loco ductâ, dimittant reliquas. Excipe, nisi alia simul fidem susciperet, & prima nollet cohabitare sine injuria creatoris.

QUÆSTIO IV.

An ad Matrimonii valorem sufficiat consensus conditionatus?

509. *Conditio de præsenti non suspendit valorem* Resp. 1. Sufficit, si conditio sit de præsenti, & existat, vel sit de præterito, & exstiterit. Secùs, si non existat, & non exstiterit. *Ratio 1mi est*; quia tunc consensus transit

sit in absolutum. *Ratio 2di est;* quia contrahentes suam alligant intentionem conditioni, quâ non existente, consensus non est.

510. *Honesta de futuro suspendit.*

Resp. 2. Si adjiciatur conditio honesta, & possibilis de futuro contingenti, non perficitur Matrimonium, donec conditio impleatur; quia Matrimonii contractus transferre debet jus mutuum in corpora de præsenti, quòd non intendunt contrahentes sub tali conditione. Hinc valor Matrimonii suspenditur, donec conditio impleatur, cujus impletionem tenentur sic contrahentes non impedire; sed exspectare, nisi transeat in impossibilem, vel inhonestam ob circumstantiam aliquam. Sicut autem cæteri contractus conditionati, dum conditio impletur, fiunt absoluti sine novo consensu; sic & Matrimonii contractus, modò prior consensus actualis habitualiter perseveret. Expedit tamen, ut consensum renovent; Imò juxta *Laym.* & alios debent coram Parocho, & testibus conditionis impletionem ostendere, nisi illi impletioni interfuerint, ut sic constet legitimè de Matrimonio verè contracto, uti exigit *Trid.* verùm id alii probabiliter negant; quia Matrimonium jam ante valet, & finis *Trid.* absque eo obtinetur: is enim est, ne deserto primo Matrimonio aliud ineatur; hoc autem Ecclesia nunquam permittet, nisi sciat conditionem non esse impletam, aut consensum, eâ pendente, esse revocatum: unde necesse non est, ut Ecclesiæ constet de Matrimonio absoluto, uti non est necesse, ut ei constet de valido; modò constet de contracto, & non sciatur esse invalidum. Quodsi quis sic contraxerit cum una, & conditione nondum impletâ absolutè ducat aliam, valebit

bit Matrimonium, etsi illicitum sit; si autem cum duabus contraxerit sub tali conditione, cum illa valet Matrimonium, cujus conditio priùs impletur; quia tunc contractus cum illa fit absolutus; non secùs ac si ante absolutè contraxisset, quod validè poterat. Si utriusque conditio simul impleretur, cum nulla valeret Matrimonium: nam proinde foret, acsi cum duabus simul contraheret absolutè: & ex *Cap.* 10. *de Sponſ.* incertitudo vitiat Matrimonium.. Quòd autem, si quis Sponsalia sub conditione contrahat, posteriora non valent, etsi conditio iis adjecta priùs impleatur, ex eo est; quia secunda sponsalia, absolutè etiam contracta, nulla sunt, utpote de objecto illicito. Habet quidem Matrimonium conditionatum vim sponsalium conditionatorum; sed hoc sensu, quòd, sicut sponsalia talia, non sit absolutum ante eventum conditionis; hâc autem eveniente fiat absolutum: ùt, si duo contraxissent de præsenti sub conditione, si parentes consenserint, his consentientibus Matrimonium statim fit absolutum, etsi parentes postea contradicant; quia Matrimonium non potest esse vinculum infirmum. Unde & non subsisteret, si parentes primò contradicerent, etsi postea consentirent. Cæterùm Matrimonium contrahere sub conditione etiam honesta regulariter est illicitum; quia modus ille contrahendi est obnoxius variis perplexitatibus, causaretque sæpè multa dissidia, & lites.

511. *Conditio turpis de futuro habetur pro non adjecta.*

Resp. 3. Conditio turpis de futuro, non repugnans substantiæ Matrimonii, contractui matrimoniali adjecta, in foro externo habetur pro non adjecta, & censetur Matrimonium validum ante eventum conditionis, nisi con-

stet

ftet defuisse consensum absolutum; in foro autem interno suspendit valorem contractûs, si contrahentes suum consensum ità illi alligaverint, ut noluerint absolutè consentire, nisi conditio impleatur. *Prima Pars* habetur *Cap. finali de conditionibus appositis, a Gregorio IX.* definita. *Ratio autem id statuendi est*; quia conditiones tales invitant ad peccatum. Hinc nunc post constitutionem *Greg.* præsumitur Matrimonium validum; tum quia in dubio semper præsumptio capienda est, quæ excludat peccatum; tum quia quisque censetur se velle legibus accommodare, etsi eas ignoret.

Dixi: *In dubio*: nam si constet serio adjectam esse, habetur pro adjecta: Jus enim habet pro non adjecta; quia in dubio præsumitur non fuisse serio adjecta; ubi autem dubium non est, præsumptio cedit veritati. Idem dicendum, si contrahentes putaverint esse honestam: tunc enim censentur seriò adjecisse.

Ratio 2da partis est; quia consensus tantùm vim illam habet, quam dat illi contrahens, nec Ecclesia potest supplere consensum matrimonialem, cùm nulla potestas humana possit dare jus in corpus alicujus ad usum Matrimonii sine ejus consensu; ergo si contrahens verè consensum suum suspendat usque ad impletionem conditionis turpis; non obligabitur, nisi positâ illâ conditione. Similiter ex eadem constitutione Gregorii conditio impossibilis, cognita ùt talis, adjecta contractui Matrimonii, in foro externo habetur pro non adjecta, & præsumitur joco adjecta esse; quia quisque censetur velle actum suum esse validum, nisi constet contrarium, & agere se-

cundùm leges. In foro interno standum intentione contrahentium.

512. *Conditio repugnans substantiæ, vel fini matrimonii irritat.* Resp. 4. Si conditio, vel pactum adjectum de futuro, repugnet substantiæ Matrimonii, ejus fini, vel bono; Matrimonium est irritum ex constitutione Greg. citata, ùt, si una pars dicat: contraho tecum Matrimonium, si velis impedire generationem prolis, vel donec inveniam aliam ditiorem, vel, si velis pro quæstu te tradere adulterandam. *Et Ratio est*; quia Matrimonium non potest sine sua essentia subsistere; essentia autem Matrimonii consistit in perpetuo jure, & obligatione in corpora, ad generationem, & educationem prolis, & servandam fidem conjugalem; cum quibus non stat tale pactum; adeoque nec cum hoc Matrimonium. Si autem non repugnet substantiæ, & fini Matrimonii, v. g. contraho tecum, si velis victum furto quærere, habetur pro non adjecta. Dixi: *de futuro:* nam debet induci obligatio faciendi aliquid contrarium substantiæ, fini, vel bonis Matrimonii; si enim dicatur, contraho tecum, si sumpsisti poculum sterilitatis, si corpore quæstum fecisti, Matrimonium non annullatur, subsistente conditione.

QUÆSTIO V.

In quale objectum ferri debeat consensus contrahentium Matrimonium?

513. *In jus mutuum radicale.* Resp. Ferri debet in jus mutuum perpetuum in corpora in ordine ad actum generationis, adeoque, & in obligationem saltem radicalem reddendi debitum conjugale; non tamen

men necessariò in actum generationis exercendum, vel formalem, & proximam obligationem reddendi debitum.

Ratio 1mæ partis est, quia Matrimonii, ut est vinculum, essentia consistit in eo jure, & obligatione; consensus autem ferri debet in objectum suum essentiale. Unde intentio esse debet se obligandi ad non impediendam positivè generationem prolis, ad servandam fidem conjugalem non tradendo alteri corpus suum: illæ enim obligationes sunt essentialiter connexæ cum essentia Matrimonii, ut vinculum est.

Hinc non valet 1mò Matrimonium abyssinorum, & Judæorum, qui jus sibi reservant dimittendi uxores, si adulterium committant; quia licentia, ideo dandi libellum repudii, à Christo Domino est sublata Matthæi 19.

2. Matrimonium cum obligatione faciendi abortum, sumendi potionem sterilitatis, emittendi semen extra locum, à natura destinatum.

3. Si conjuges reservent sibi jus ad copulam cum aliena. Intentio tamen adulterandi, vel vitandi prolem stare potest cum jure matrimoniali, sicut intentio se obligandi in aliis contractibus stare potest cum intentione eos non implendi, v. g. potest quis transferre alicui jus in equum cum voluntate eum non tradendi.

Ratio 2dæ partis est; quia essentia Matrimonii consistit in mutuo jure In corpora; hoc autem stare potest cum animo eo non utendi, imò & cum obligatione, uti si sponsi ante ex communi consensu voveant castitatem, si contracto Matrimonio, & consummato, mu-

tuo consensu profiteantur in Religione ; non enim jus proximum, sed radicale in corpora constituit Matrimonii essentiam. Sic inter Beatissimam Virginem, & S. Josephum fuit verum Matrimonium, & tamen ambo votum castitatis perpetuæ emiserant, ùt habet communis. Nihilominus scriptura vocat Mariam conjugem, & Josephum virum Mariæ. Putat quidem S. Basilius, & Origenes inter eos tantùm fuisse sponsalia ; at si non constabat de eorum Matrimonio, quomodo consultum fuit famæ Bmæ Virginis, ut non diceretur adultera, postquam inventa est gravida ? Neque jus illud vinculatum ad copulam est inutile ; quia alias habet utilitates, nempe individuam vitæ societatem; mutuum in necessitate auxilium, & solatium, gubernationem familiæ, remoram à fornicatione. Neque obstat bono prolis; quia generatio actualis est tantùm finis accidentalis Matrimonii : essentialis autem est mutua traditio juris, & obligatio radicalis reddendi debitum. Quòd nisi verum esset, non possent duo conjuges mutuo consensu proponere sibi, quòd velint abstinere à copula, non possent duo senes, quibus non ampliùs spes prolis est, validè inire Matrimonium, aut vir ducere uxorem, quam scit esse sterilem.

514. *Ob quos fines liceat inire matrimonium.* *Petes*, an quis possit propter alios fines licitè inire Matrimonium; v.g. ad vitandam incontinentiam, vel quia sponsa dives est, & honestè sustentari potest familia. R. Potest; quia hæc vel sunt honesta, vel referri possunt ad finem honestum. Imò licet viro ducere sterilem, ne gravetur in sua paupertate prolibus, & abstinere etiam eo fine ab usu Matrimonii.

QUÆS-

QUÆSTIO VI.

An Matrimonium contrahi possit per Procuratorem, & quid ad id requiratur?

Resp. Potest, non secùs ac alii contractus. 515.
Patet ex praxi Principum personarum. *Et Potest.* *Ratio est*; quia Christus contractum elevando ad rationem Sacramenti, nihil in eo immutavit.

Requisita ad contractum per Procuratorem.

Requiritur autem imò, ut Procurator habeat speciale mandatum cum determinata persona contrahendi, & quidem per instrumentum publicum, vel quid æquivalens; quia debet in facie Ecclesiæ constare de Matrimonio contracto. 2. Ut Procurator per se ipsum contrahat, nec alium substituat, nisi hoc ei sit commissum. 3. Ut consensus principalis non sit revocatus, etiam ignorante Procuratore; sed perseveret saltem habitualiter; quia consensus matrimonialis contractûs non potest, sicut nec in aliis, humanâ potestate suppleri. 4. Ut coram Parocho, & testibus contrahat, & vitetur clandestinitas. 4. Ut fines mandati non excedat, v. g. in dote, vel aliis conditionibus, non servando voluntatem mandantis. Posset etiam Matrimonium per literas contrahi, si reliqua serventur, ut non sit clandestinum; sed hic modus vix est usurpandus extra necessitatem. Imò potest vir contrahere pro muliere, & mulier pro viro, aut etiam duo viri nomine principalium dicendo, v. g. ego nomine Titii Cajam accipio uxorem, & alter respondendo: & ego nomine Cajæ Titium in mari-

maritum. Nec opus est, ut Parochus dicat : ego vos conjungo ; quia verba illa essentialia non sunt. Nec obstat, quòd alia Sacramenta non possint administrari absenti ; quia constant verbis formalibus, ad præsentem ore proferendis, ùt constat ex formis : Matrimonium autem retinet essentiam contractûs, qui signis, & inter absentes potest celebrari.

QUÆSTIO VII.

An omne Matrimonium validum sit indissolubile quoad vinculum, seu jus mutuum matrimoniale?

516. *Nunquam potest matrimonium dissolvi consensu conjugum.* Resp. 1. Sine speciali licentia Dei nullum Matrimonium, absolutè contractum, est, aut unquam fuit à conjugibus dissolubile; quia institutione Dei est perpetuum vinculum, nec Deus dedit homini potestatem aliter transferendi jus in corpus suum in ordine ad generationem. Constat ex Matthæi 19. ubi Christus ait de conjugibus : ab initio sic ordinatum esse à Deo, ut sint duo in carne una, & quod Deùs conjunxit, ab homine separandum non esse. Unde non est homini facultas dissolvendi matrimonium, & corpus suum tradendi alteri, sique quis faceret, peccaret contra jus naturæ non

517. *Nec consummatum fidelium Ecclesia authoritate.* secùs, ac qui disponit de re aliena invito rationabiliter Domino.

Resp. 2. Matrimonium inter baptizatos consummatum, quod fit à conjugibus per copulam, seu actum carnalem, de se ad generationem prolis sufficientem, in hac Dei providentia nullâ authoritate est quoad vinculum disso-

dissolubile ab hominibus, vivente utraque conjuge. Constat ex *Trid. Sess.* 24. *de Reformatione Cap.* 7. & Scripturâ Matthæi 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Luc. 16. *Omnis, qui dimittit uxorem suam, vel alteram ducit, mœchatur, & si uxor dimiserit virum suum, & alteri nupsit, mœchatur.* Idem habetur 1. *ad Cor.* 7. *ad Romanos* 7. *Marci* 10. *Et ratio est;* quia Matrimonium consummatum est signum conjunctionis Christi cum Ecclesia per naturæ humanæ assumptionem, quæ indissolubilis est. Nec obstat illud Matthæi 19. *Qui dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur;* Nam duplex est hìc Christi sententia. 1*ma:* qui dimiserit uxorem suam quoad habitationem, & torum absolutè, & in perpetuum facit eam mœchari, uti habetur Matthæi 5. & reus est illius mœchiæ, nisi dimiserit ob fornicationem, seu adulterium. 2*da est:* qui dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, mœchatur mœchiâ personali. Hunc esse sensum verborum Christi, constat ex verbis ejus claris Matthæi 5. dicentis: *Qui dimiserit uxorem suam, exceptâ fornicationis causâ, facit eam mœchari.* & Marci 10. *Quicunque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam.* Potuisset tamen Deus absolutè dare potestatem conjugibus Matrimonium dissolvendi mutuo consensu; uti si liberos non haberent, aut jam educati sufficienter fuissent: neque enim dissolvere sic Matrimonia ex natura rei ità malum est, quin Deus, qui mala, fortè eventura, avertere poterat, facultatem dare potuisset: sic in lege veteri permisit Judæis dare libellum repudii,

& dissolvere Matrimonium, etiam quoad vinculum, uti colligitur ex Scriptura, præsertim Deuteronomii 24. Neque enim hoc vacabat Mysterio: significabatur enim, quòd Christus esset repudiaturus Synagogam, & loco ejus indissolubiliter desponsandus Ecclesiæ suæ, non licebat autem uxori abnuntiare viro; quia Synagogæ non licebat recedere à Christo. Dicta procedunt de Matrimonio, etiam per vim consummato.

518. *Ratum tantùm solvitur per professionem religiosam* Resp. 3. Matrimonium ratum, necdum consummatum, solubile est, & reipsâ solvitur, non quidem jure naturæ, nec divino à Christo lato; sed jure Ecclesiastico per professionem unius in Religione approbata; ità ut altera pars licitè aliud Matrimonium inire possit. *Prima Pars constat ex Tridentino* de Sacramento Matrimonii *Sess.* 24. *de Reformatione Can.* 6. dicente: *Si quis dixerit Matrimonium ratum, non consummatum per solennem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi*, anathema sit. Et ex Cap. *Votum*, & Cap. *ex publico de Convers. conjugum*: valetque id respectu professionis in ordine Melitensi: unde contractus Matrimonii involvit hanc conditionem: *nisi religionem profitear ante consummationem.*

Ratio 2da partis est; quia vinculum Matrimonii, & Religionis non sunt incompatibilia ex natura sua: nam potest conjux post consummatum etiam Matrimonium de consensu alterius conjugis validè, & licitè professionem edere in Religione; Matrimonium autem ratum, & consummatum sunt ejusdem naturæ: neque enim copula est de essentia Matrimonii: sed terminus respectus à vi significativa.

Ratio

Ratio 3tia partis est ; quam negat *Sanchez*, & alii, est imò ; quia solennitas votorum religiosorum inventa, & introducta est ab Ecclesia post ascensionem Christi Domini ; non est autem credibile, illum privilegium illud & virtutem concessisse solennitati, nondum introductæ : ab ascensu autem Domini nullum jus divinum latum est. 2. Jus divinum in Ecclesia nunquam mutatum est ; Jus autem dissolvendi Matrimonium ratum, non consummatum, aliquando mutatum est ; quia olim solvebatur per vota simplicia, ùt colligitur ex facto S. Theclæ, S. Alexii, S. Macharii, S. Cæciliæ, qui non fuerunt Religiosi ; nunc autem Matrimonium non solvitur per vota simplicia, etiam Religiosa, ùt sunt in Societate JESU. 3. Vota Religiosa jure divino sunt omnia ejusdem rationis ; solennitas verò ab Ecclesia introducta est illis accidens ; non solvitur autem per omnia illa, nempe per simplicia, cùm Tridentinum id solùm votis solennibus concedat ; nec solvitur per susceptionem sacri ordinis, neque per impotentiam supervenientem.

Ratio 4ta partis, quam tenet *Suarez*, & alii, est ; quia, ùt constat, dissolvitur tale Matrimonium per professionem ; non jure naturæ, nec divino ; ergo tantùm Ecclesiastico. Nec effectus ille excedit potestatem Ecclesiæ, cui dictum est : *Quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis ;* quòd autem potestas illa se extendat ad illum effectum, declarat sensus Ecclesiæ.

Porrò conjugibus à contracto Matrimonio conceduntur duo menses ad deliberandum de Religione ineunda, quam si conjux intra illud tem- *Tempus deliberandi.*

tempus non ineat, tenetur petenti reddere debitum; si tamen negaret, adhuc posset ingredi Religionem. Vide *La Croix* hìc Num. 419. & 422.

519. *Et per dispensationẽ Papæ.* Resp. 4. Matrimonium ratum non consummatum dissolvi quoque potest ex concessione divina per dispensationem Summi Pontificis. Itâ *Bellar. Suar. Sanchez*, & alii contra *Scotum*, S. *Bonav.* & alios *Ratio est* 1. Quia Pontifex per legem universalem potuit statuere, ut per Professionem Religionis solveretur tale Matrimonium, cur non possit solvere per sententiam particularem, præsertim, cùm potestas illa sit necessaria ad bonum Ecclesiæ: nam sæpe causæ graves possunt id exigere. Ratio *à posteriori est*: quia multi Pontifices dispensârunt in Matrimonio rato, utì *Martinus V. & Eugen. IV.* teste S. *Anton.* 3. p. t. 1. cap. 21. §. 3. *Pius II. & IV.* teste *Navarro Greg. XIII.* teste Præposito. *Clemens VIII. & Urbanus VIII.* teste *Conrado* S. *Pius V. & Paulus V.* asserere autem tot Pontifices in re tanti momenti errâsse, videtur temerarium, & Sedi Apostolicæ injuriosum: non enim foret error meri facti, sed juris, nempe super solubilitate Matrimonii, & valore, ac honestate ejus ab altera parte de novo contrahendi.

Nec obstat 1. illud Christi: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*: nam Pontifex non dissolvit privatâ potestate, & ùt homo, sed ùt Vicarius Christi, potestate ab illo sibi concessâ.

Nec obstat 2. Quòd Matrimonium sit Sacramentum: nam Pontifex non dispensat in Matrimonio, ùt Sacramentum est, quod jam physicè transiit; sed in vinculo, orto ex contractu,

tractu, involvente hanc conditionem, ut solvi non possit, nisi accedat Professio Religiosa, vel dispensatio legitima; vinculum autem, utpote effectus, sic tolli potest.

Nec obstat 3. Quòd opposita sententia videatur probabilis; adeoque non liceat inire Matrimonium novum, priore sic dissoluto, cùm agatur de valore Sacramenti: nam sententia opposita non est comparativè probabilis; aliàs peccâssent tot SS. Pontifices: nec rationes sunt magni momenti pro opposita.

Resp. 5. Matrimonium Infidelium consummatum, quamdiu Infideles manent, est omninò indissolubile, nam dissolvi non potest proprio consensu, ùt patet ex dictis, cùm Deus non dederit potestatem contrahendi illud dissolubiliter, illique consentiendo conformarint se institutioni divinæ. Dein non potest dissolvi à Principe Gentili; quia huic Deus illam potestatem non concessit: nec authoritate Ecclesiæ; quia illi huic non subsunt, ex 1. ad Cor. 5. 520. *Consum. matum infideliũ solvi potest, si unus convertatur &c.*

Dixi: *Quamdiu manent Infideles:* nam Infideli, ad Fidem Christi converso, licitum est, Matrimonium etiam consummatum dissolvere, & ad alias nuptias transire tribus casibus: 1. Si remanens Infidelis ideo nolit cohabitare converso, quòd Fidem Christi suscepit. Constat ex Apost. (1mâ ad Cor. 7. dicente: *Quòd si Infidelis discedit, discedat: non enim serviliter subditus est frater, aut soror hujusmodi: in pace enim vocavit nos Deus.* 2. Si Infidelis quidem velit cohabitare, sed non sine injuria Creatoris, id est, si jactet convitia in Christum, vel in Fidem Christi, ve- 521. *Quibus casibus?*

rum

rum Dei cultum impediat, pergat usurpare Infidelitatis suæ superstitiones &c, 3. Si in ejus contubernîo converso immineat periculum perversionis; quia vel tentat eum iterum pervertere, vel saltem ad peccatum mortale iterum perducere, ità ut conversus sit, spectatis circumstantiis, in periculo peccandi mortaliter. Colligitur ex textu Apostoli, quem *Innoc. III.* Cap. *Quanto. de Divortio*, exponit his verbis: *Si alter infidelium conjugum ad Fidem Catholicam convertatur; altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini Numinis, vel ut eum pertrahat ad peccatum mortale, ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad secunda vota, si voluerit, transibit, & in hoc casu intelligimus, quod ait Apostolus: Si Infidelis discedit, discedat.* Ex quibus patet, dissolutionem illam non esse ex dispositione Ecclesiæ, sed ex dispositione Dei in favorem Fidei. Et hinc 1. Si Infidelis à converso discederet ex alia causa v. g. quia hic antè adulterium commisisset, non posset præcisè ideo dissolvi vinculum, nec si post Baptismum utriusque esset Matrimonium iterum consummatum; quia esset Matrimonium consummatum Fidelium. 2. Si post conversum virum fidelem, convertatur & uxor, & vir necdum aliam duxerit, tenetur hanc recipere, ex *Cap. Quanto.* suprà cit. 3. Ut constet de Infidelis obstinatione, moneri debet, & interrogarì, an velit converti; si moneri non possit, v. g. quia in longinquis terris est, ex declaratione *Pii V. & Greg. XIII.* potest conversus aliud Matrimonium inire; quia præsumitur periculum peccati ab eo: consulendus tamen esset Pontifex. Et quia ordinariè est periculum perversionis,

ſionis, vel peccatorum, ſi tali Infideli cohabiret converſus, dubium eſt, an non liceat converſo regulariter inire aliud Matrimonium. Affirmat *Sanch.* & alii; attendendæ videntur circumſtantiæ. Teſte *La Croix* N. 408. conſuetudine, vim legis habente, eſt receptum, ut ob periculum non liceat manere cum nolente converti.

QUÆSTIO VIII.

Quando, manente vinculo conjugali, licita ſit ſeparatio conjugum, quoad torum, & cohabitationem, quæ ſeparatio divortium dicitur, & quâ poſſit authoritate fieri?

Reſp. 1. Poteſt fieri ad tempus, vel in perpetuum, quando adeſt gravis & juſta cauſa. Quarum 1ma eſt: Adulterium perfectum alterius conjugis, quo nomine hìc etiam venit beſtialitas, & ſodomia conſummata, ſeu effuſio ſeminis in vas præpoſterum; non tamen tactus, oſcula, etiam cum pollutione, cum alia perſona exercita. *Ratio eſt*; quia perſona adultera frangit fidem, dividendo carnem ſuam cum altera; jus autem naturæ dictat, frangenti fidem non neceſſariò ſervandam eſſe; ècontra per oſcula, etſi cum pollutione conjuncta, non dividitur caro cum altera. 522. *Quando una pars adulterium commiſit?*

Excipe tamen 1. Si adulterium ſit condonatum; quia verè & externè condonata injuria puniri non debet; cenſetur autem condonari, ſi ſciens adulterium, cum conjuge copulam ſponte exerceat, vel ùt conjugem liberaliter tractet.

2. Si

2. Si uterque adulterium commisit ex Cap. *Significâsti. de Divortiis*; ità ut pars, quæ post compartis adulterium fornicata est, teneatur ad aliam redire, cùm matrimonii jus, in utroque læsum, consistat, & paria delicta mutuâ compensatione tollantur. *Cap. 6. de Adulterio.*

3. Si vir ipse uxorem prostituerit, aut fornicandi causam dederit, v.g. negando ei injustè debitum: nam par non est, ut ex sua malitia commodum reportet contra partem læsam.

4. Si adulterium non fuit culpabile: ùt, si mulier putans, virum suum esse mortuum nupserit alteri, aut per violentiam fuerit oppressa: nam privatio debiti, & cohabitationis est pœna, quæ culpam supponit; si tamen ex metu gravi fecisset alteri copiam sui corporis, probabiliùs ejici posset: licèt enim gravis metus excuset à pœnis, jure humano statutis, non tamen hìc; quia jure naturæ sequitur pœna delictum. Oppositum tamen tenent aliqui apud *La Croix* N.435. & videtur charitas aliquid exigere. Porrò est æquale jus utrique conjugi ob adulterium: nam quoad torum, fidem & debitum conjugale pares sunt vir & uxor, ex 1. ad Cor.7. Et nemo tenetur stare promissis illi, qui priùs fidem fregit.

Vel lapsa est in hæresin. *Causa 2da est*: Lapsus alterius conjugis in hæresin; quia ex cohabitatione cum Hæretico imminet periculum animæ: Matrimonium autem non tollit jus naturale vitandi interitum animæ. *Nec obstat*, quòd Christus Matthæi 5.& 19. permittat divortium ob solam fornicationem; nam agit de causa, per se sufficiente

te ad divortium perpetuum, qualis est adulterium; quia opponitur fidei conjugali; alia sunt causa per accidens.

3tia est; Sævitia conjugis, ex qua meritò timetur grave malum; quia recta ratio dictat, licere vitare grave malum. Idem dicendum, si ex aliis unius sceleribus alteri impendeat grave malum animæ vel corporis; utì, si vir uxorem sollicitet ad peccatum grave, & hæc avertere non possit, v. g. si in domum, lucri causâ, inducat juvenes impuros, quibus uxor sollicitetur ad peccata; si uxorem cogat ad recipienda, tegenda, distrahenda furta &c. ob alia tamen crimina unius, quibus nec fides conjugalis violatur, nec periculum alteri imminet, divortium non licet ex *Cap. 2. de Divortiis.* Si utrimque ab altero alterì immineat grave malum animæ, utrique liceat divortium; quia malum animæ imminens vitare licet. *Quando uni grave malū immineat ex sævitia alterius.*

4ta est: Mutuus consensus studio vitæ perfectioris in Religione; si tamen unus post consummatum Matrimonium Religionem ingrediatur, debet & altera pars ingredi, ex *Cap. de conversi. conjug.* aut non suspecta de incontinentia, in sæculo vovere castitatem. *Cap.* 8. eod. tit. Ut vir cum uxoris consensu sacros Ordines suscipiat, debet uxor in sæculo vovere castitatem. *Cap.* 5. eodem tit. *Si liberà consensiant conjuges.*

Resp. 2. Si uni conjugi constet de alterius adulterio, potest propriâ se authoritate separare à thoro, vel negare debitum in perpetuum: non tamen ab habitatione, per se loquendo, sine authoritate Judicis Ecclesiastici. 523. *Quà authoritate liceat ob adulterium?*

Ratio 1ma partis est; quia Matrimonium, ad reddendum debitum, non obligat, nisi servetur fides. Nec sic innocens est Judex in pro-

propria causa, sed utitur jure suo, estque illa separatio actio privata, quæ propriâ authoritate fieri potest.

Ratio 2dæ partis est; quia Matrimonium est publicâ authoritate Ecclesiæ celebratum; ergo sine ea, nisi aliud periculum id exigat, ab eo non est recedendum; dein divortium, quoad habitationem, est pœna publica; ergo debet provenire à Judice. Itâ cum *S. Th. S. Bonav. S. Anton.* & alii.

Dixi: *Per se loquendo;* quia, si innocens probare non posset, ei licitum esset, secluso scandalo, recedere clam, prætexendo alibi negotia; imò non improbabilis est sententia, quòd propriâ authoritate possit se innocens separare quoad habitationem propter adulterium certum, etiam occultum; quia Christus absolutè dedit facultatem Matthæi 19. recedendi ob fornicationem, nec jus clarum statuit aliud, nec jus naturæ id prohibet: dein jus divortii oritur ex delicto, non ex publicitate; verùm, quia plerumque oritur scandalum ex separatione ab habitatione, regulariter opus est authoritate Judicis. Si tamen adulterium esset certum, & notorium, posset vir, invitâ uxore, ingredi Religionem, vel sacros Ordines suscipere, ùt habet communis. Quod & potest, si ob adulterium authoritate Judicis facta sit separatio: nocenti tamen non licet mutare statum; quia ab alio revocàri potest. Si, facto divortio, pars nocens, facti pœnitens, recipi petat, non tenetur innocens recipere; quia injuria manet, & reatus pœnæ à jure divino, & humano statutæ in perpetuum. *Excipe* tamen, nisi innocenti immineret periculum animæ propriæ, quod aliter averti non posset:

&

& juxta aliquos, si & ipse laberetur in adulterium: tunc enim putant teneri redire; quia jus tantùm conditionatum habet, nisi & ipse frangat fidem. Negat tamen id S. *Th. in 4. d. 35. q. unicâ a. 6. ad 4. Sanch. Laym.*

Resp. 3. Divortium ob hæresin, supervenientem Matrimonio, potest fieri authoritate propriâ, non est tamen perpetuum, si nocens convertatur; quia *Cap. de illa. de divortiis* dicitur: mulierem, quæ absque judicio Ecclesiæ à viro recesserat lapso in hæresin, esse reddendam, quando vir ad fidem redierit. Si tamen judicio Ecclesiæ facta fuisset separatio, non teneretur pars innocens nocentem recipere, sed posset inire Religionem, vel manere separata in sæculo; nocens tamen ab innocente revocari posset. Unde statum mutare non potest. 524. *Quâ ob hæresin?*

Similiter divortium factum ob sævitiam, aut periculum animæ non est perpetuum; sed nocenti se reconciliare debet innocens, ubi se emendavit, & non est periculum relapsûs: nec debet fieri authoritate propriâ, nisi sit periculum in mora, vel probari non posset solicitatio ad peccatum v. g. hæresin, veneficium &c. Ex hactenus dictis *Vel sævitiam?*

Colliges. Jus conjugum esse jus mutuum ad usum corporum in ordine ad generationem prolis, vi cujus uterque tenetur petenti usum in eum finem concedere, qui usus debitum conjugale dicitur. Quâ autem ex causâ liceat quandoque id negare, & quæ non rarò sint peccata conjugum, dicam Cap. ultimo. 525. *Peccata conjugum.*



CAPUT III.

De Impedimentis Matrimonii, & diſpenſatione in illis.

IMpedimenta Matrimonii alia dicuntur tantùm impedientia, quæ faciunt, ut Matrimonium contrahatur illicitè, ſed illud non reddunt invalidum; alia dicuntur dirimentia, quæ Matrimonium non tantùm illicitum faciunt, ſed etiam irritant, ſeu faciunt, ut non contrahatur validè.

QUÆSTIO I.

Quæ ſint impedimenta Matrimonii duntaxat impedientia?

526. *Quatuor tantùm impedientia.* RESP. Quæ nunc vigent, ſunt quatuor tantùm, obligantque ſub mortali; quia materia præcepti gravis eſt, ùt patebit; comprehenduntur autem hoc verſu:

Eccleſia vetitum, tempus, Sponſalia, votum.

Itaque 1*mum* eſt Prohibitio facta ab Epiſcopo, vel Parocho, ne contrahatur ad certum tempus matrimonium, v. g. donec in dubio de impedimento aliquo, detegatur veritas, Item prohibitio facta à *Trid.* ne contrahatur, niſi præmiſſis proclamationibus, vel diſpenſatione in illis.

2*dum* eſt tempus feriarum, quod ex decreto *Trid.* eſt tempus Adventûs uſque in diem Epiphaniæ, & à die Cinetum uſque in Octavam Paſchæ incluſivè: non prohibetur tamen ipſe contractus matrimonii, ſed etiam ſolennitas

nitas nuptiarum, nempe benedictio solennis sponsi & sponsæ, traductio sponsæ ad ædes sponsi, choreæ & convivia nuptialia. Atque hæc de jure communi. In aliquibus enim Diœcesibus non permittitur etiam contractus matrimonii sine speciali causa & licentia Episcopi, qui, an tum etiam permittat benedictionem nuptiarum, ex ipsius permissione, vel consuetudine colligendum est.

3tium sunt Sponsalia, priùs cum alia persona contracta, & nondum dissoluta; quia tunc violaretur in re gravi fides, alteri data, & acceptata: sunt autem impedimentum tantùm impediens extra primum consanguinitatis gradum: in primo enim etiam dirimunt matrimonium, etsi mutuo consensu essent dissoluta: in aliis tamen gradibus priùs dissoluta non impediunt, ut magìs constabit ex dicendis.

4tum est Votum simplex castitatis in sæculo servandæ, votum ingrediendi Religionem, vel suscipiendi sacros Ordines, vel nunquam ineundi matrimonium: votum enim jure naturali obligat ad suì observationem, ne fides Deo data violetur. Hinc peccat etiam graviter cum tali persona contrahens; quia concurrit ad fidem Deo datam violandam, & rem ipsi obligatam sibi usurpandam assumit. Non irritat tamen hodiedum votum simplex Matrimonium: nam nisi aliunde actus irritetur, potest rei alteri promissæ validè, etsi illicitè, dominium transferri: votum autem simplex solùm importat promissionem. *Post votum simplex*, inquit, *S. Thom. in 4. dist. 38. q. 1. a. 2. qu. 2. adhuc remanet homo dominus corporis sui; & ideo potest ipsum dare alteri, scilicet*

uxori: dictis impedimentis addi potest clandestinitas, ubi *Trid.* non est promulgatum, & excommunicatio, vi cujus excommunicatus prohibetur etiam suscipere Sacramenta.

QUÆSTIO II.

Quot, & quotuplicia sint Impedimenta dirimentia Matrimonium?

Resp. Post *Trident.* sunt quindecim his versibus comprehensa:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultûs disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas;
Si sis affinis, si clandestinus, & impos,
Si mulier sit rapta loco, nec reddita tuto.
Hæc facienda vetant, connubia facta retractant.

527. *Dirimentia* 15. Ex his impedimentis quædam jure naturæ, vel jure divino indispensabiliter Matrimonium irritant, ùt error in substantia contractûs, impotentia perpetua, ligamen cum alia, conjuge adhuc vivente, consanguinitas in gradu lineæ rectæ non valde remota: alia dirimunt tantùm Jure Ecclesiastico, saltem si primum gradum lineæ transversæ inter consanguineos excipias. Cum quocunque tamen ex his impedimentis qui scienter contrahit, peccat mortaliter; tum quia agit in re gravi contra legem Ecclesiæ, tum quia vel attentaret contrahere, & jam attentaret Sacramentum, quod efficere non posset, vel fingeret se intendere, & jam simularet se velle administrare Sacramentum, quod non vellet, quorum neutrum sine peccato mortali, etiam ex metu gravi, potest. Porrò

tò impedimenta Juris Ecclesiastici tantùm non concernunt Infideles, sed solos baptizatos.

QUÆSTIO III.

Qualis error, conditio, & votum Matrimonium irritet?

Resp. 1. Error circa substantiam personæ, quâcum intenditur contractus matrimonialis, non verò error, etsi antecedens, vel proveniens ex alterius dolo circa accidens, seu qualitatem ejus, sive in-sive extrinsecam irritat Matrimonium. 518. *1. Error circa substantiam personæ*

Ratio 1mæ partis est; quia persona est substantia, & primarium objectum contractûs, in quod contrahentium consensus fertur: proinde error circa eam secundùm se impedit consensum, & reddit contractum nullum. Idque verum est, etsi error tantûm esset comitans; quia, licèt quis contrahens cum Caja, putans, esse Titiam, fuisset contracturus absente errore cum Caja; jam tamen non est consensus in Cajam: nihil enim volitum, nisi cognitum. Unde Lia, pro Rachele substituta Jacobo, non fuit vera ejus uxor, donec detectâ fraude eam admiserit uxorem.

Ratio 2dæ partis est; quia error circa accidens v. g. nobilitatem, divitias, virginitatem, indolem personæ non impedit consensum in substantiam personæ, quæ est directum & substantiale objectum hujus contractûs.

Excipe, nisi error qualitatis redundet in substantiam, quod fit 1. Si qualitas determinet personam, distinguatque à quavis alia, uti, si quis intendat contrahere cum primogenita *Accidentalis error redundans*

in substantiâ. quam aliter non novit, & ei substituatur secundo-genita: tunc enim deest consensus in substantiam contractûs: secùs esset, si vellet contrahere cum præsente, quam falsò putaret esse primogenitam. 2, Si quis sic animo sit comparatus, ut nolit absolute contrahere v.g. cum Catharina, nisi sit nobilis, dives, virgo &c. tunc enim iterum deest consensus, utpote alligatus conditioni, quæ, cùm desit, deficit consensus. Si tamen contrahens id verbis non exprimeret v.g. dicendo: *Accipio te uxorem, si es nobilis; secùs non*, in foro externo censeretur absolutè consensisse, cogereturque illam ducere; quia communiter, nisi aliud exprimatur, adest consensus absolutus; ex communiter autem contingentibus prudens est præsumptio. Vide dicta *de Contract.* 3. P. N. 112.

529. *Casus.* *Petes.* Quid ad hunc casum: Titius petit filiam Caji natu minorem sibi uxorem dari, quam viderat esse formosam: Cajus hanc negat, & offert natu majorem non formosam, & à Titio non visam: Titius mittit Sempronium, ut hanc videat, & referat sibi, cujus formæ sit: Cajus Sempronio ostendit natu minorem, dicens, esse natu majorem, proin Sempronius refert Titio, natu majorem esse formosam. Itaque Titius per Procuratorem cum hac contrahit Matrimonium; quæritur, an validè. Resp. Affirmat *Sanch.* L. 7. D. 18. N. 35. *Perez*, *Gobat*; quia error est circa accidens. Negat *Sporer*; quia consensit in illam, quam vidit Sempronius, determinatus ejus pulchritudine, adeoque error redundat in substantiam: at examinanda est conscientia Titii, & intentio, quam habuisse ex actuali com-

comparatione animi præsumitur : si enim sic fuit constitutus, ut animo dixerit : Duco natu majorem, quam audivi, vel puto, esse formosam, Matrimonium valebit ; si autem sic erat comparatus : Volo formosam illam natu majorem uxorem habere, Matrimonium non valebit ; quia error redundat in substantiam. Sicut, si quis contrahendo dicat : Duco præsentem, quam puto esse filiam Consulis, valet Matrimonium, secùs, si dicat : Duco filiam Consulis, quam puto esse præsentem ; quia tum fertur intentio in personam, ut affectam tali qualitate, id quod attendendum est. *La Croix* N. 554.

Resp. 2. Conditio dirimens Matrimonium, est conditio servilis ignorata, uti, si persona libera contrahat cum mancipio, seu servâ, quam putat esse liberam. Ex Cap. *Si quis ingenuus*. 29. q. 2. & ex Cap. 2. & 4. *de Conjugio servorum*. *Ratio sic statuendi* fuit magna inæqualitas contractûs ingenui cum serva ignoratâ ejus qualitate, & non rarò injuria : persona enim libera se totam traderet ; servituti autem obnoxia nonnisi in quantum placuerit domino, qui, per obsequia ipsi exhibenda, potest eam sæpius impedire, etiam à debito conjugali reddendo. Hoc tenet, etsi ignorantia esse vincibilis, crassa, & supina, quia Ecclesia requirit consensum directum, & similem conditionem cognitam.

530. *2. Conditio servilis ignorata.*

Dixi : *Conditio ignorata :* nam si liber scivit alterius conditionem servilem, valet Matrimonium, ex Cap. cit. quia liberè consensit in inæqualitatem. Idem dic, si persona servilis ducat servilem, putans, esse liberam, ex eod. Cap. quia par est utriusque conditio.

Ignorantia affectata videtur æquivalere sufficienti notitiæ.

551. *3. Votum solenne castitatis.* Resp. 3. Votum dirimens Matrimonium est 1. Votum castitatis solenne, in Religione approbatâ sponte emissum. Constat ex *Trid. Sess.* 24. *de Matrim.* Can. 9. Dixi: *Sponte emissum*; quia professio gravi metu injusto directè extorta, invalida est. 2. Votum solenne sponte emissum in susceptione Ordinis sacri habetur in *Trid.* loc. cit. Quodsi quis votum in susceptione Ordinis positivè excluderet, adhuc Lege Ecclesiasticâ irritum foret Matrimonium subsequens, saltem in Ecclesia Latina, quod addo; quia de Græca negat *Arsüd.* Affirmant tamen alii. 3. Votum castitatis simplex post biennium Novitiatûs emissum cum voto paupertatis & obedientiæ in Societate JESU ex Bulla *Greg. XIII. Ascendente Domino*, irritat Matrimonium contrahendum. Religiosi autem, Clerici in Ordine sacro Moniales & Laici in gradu prohibito attentantes Matrimonium sunt ipso facto excommunicati ex *Clementina de Consang.*

532. *An jure naturæ?* An autem votum solenne jure naturæ etiam irritet Matrimonium subsequens, controvertitur. Affirmant Thomistæ communiter favente *D. Th.* in Supplemento q. 53. a. 2. O. Negant *Scotus* & Scotistæ omnes, teste *Mastrio* hic N. 436. Fundamentum *Thom.* est; quia, qui Professionem in Religione facit, tradit se Deo; rem autem alteri traditam jus naturæ vetat tradi tertio. *Respondetur.* Inprimis non apparet, quomodo per votum castitatis solenne magis se quis tradat Deo ad servandam præcisè castitatem, quàm qui emittit votum perpetuum simplex castitatis in Societate JESU,

JESU, vel in ſæculo. Dein, qui tradidit ſe Deo, non poteſt ſe tradere alteri eodem titulo, poteſt tamen validè jure naturæ alio. Sic, qui tradidit ſe uxori titulo Juſtitiæ, poteſt, ſtante jure uxoris, cum hujus conſenſu in Religione ſe tradere Deo titulo Religionis; poterit ergo etiam aliquis ſe titulo Religionis Deo tradere primùm, & dein titulo Juſtitiæ validè jure naturæ uxori. *Si dicas:* Si rem, promiſſam ex fidelitate Cajo, ipſi tradam, jure naturæ non poſſum deinde tradere alteri; ergo à pari. Reſp. Neg. Conſequentiam: quia tradendo Titio rem ſic promiſſam transfero dominium, ſecùs fit per votum; quod fit Deo.

Scotiſtæ, quos ſequitur *Sanch.* & alii nituntur his: 1. Per votum ſimplex Matrimonium non redditur irritum jure naturæ; ergo nec per ſolenne; quia ſolennitas eſt ab Eccleſia introducta. 2. Eſſentia voti ſolennis, & Matrimonii contracti non pugnant inter ſe ex natura rei; ergo nec contrahendi; quia, quæ ex natura rei repugnant, ſemper repugnant. 3. Votum eſt tantùm promiſſio ſervandæ caſtitatis, & non traditio corporis: nam hæc manet cònjugi conſentienti, ut alter profiteatur in Religione. Dein per votum paupertatis in Societate non ſic ſe tradit Religioſus, quin retineat dominium ſuorum bonorum, ſed abdicat uſum licitum; ergo nec per votum caſtitatis. Neque poſſunt res externæ Deo tradi, ità, ut ille particulare dominium acquirat, etſi alius eas nomine Dei acceptet. Religioſus quidem ſe tradit Religioni per Profeſſionem, velut contractum oneroſum, ità, ut fugiens ei faciat injuriam, ſed non ſic Deo: huic enim, teſte *Cœleſtino III. Cap. Rurſus, qui Clerici, &*

voventes, homo obligatur per votum simplex æquè, ac per solenne. De essentia voti simplicis non est traditio, ergo nec de essentia solennis. Hæc sententia probabilior est.

QUÆSTIO IV.

Quotuplex sit cognatio Matrimonium dirimens?

533. *Cognatio naturalis, spiritualis, legalis.* Est triplex. Naturalis, quæ consanguinitas, seu unitas sanguinis dicitur, spiritualis, & legalis. 1mò. Cognatio naturalis in communi est vinculum, quo personæ aliquæ naturali nexu ejusdem sanguinis conjunguntur. Inter Adæ posteros, quæ hìc consideratur, est vinculum personarum ab eodem propinquo stipite descendentium, carnali generatione contractum.

Dixi 1. *Vinculum personarum*; quia bruta, licèt ex eodem stipite descendant, non dicuntur consanguinea, utpote benevolentiæ, & reverentiæ, cujus fons esse solet propagatio ejusdem sanguinis, incapacia.

Dixi 2. *Ab eodem propinquo stipite, seu genarcho*; quia in communi hominum æstimatione consanguinei non dicuntur, qui ab uno stipite nimis remoto descendunt, eò quòd non censeantur eundem sanguinem, singularemque mutuum inter se affectum participare.

Dixi 3. *Carnali generatione contractum*: per hanc enim participatur unitas sanguinis. Hinc descendentes ab uno stipite consanguinei, & cognati dicuntur, sive stipes sit mas, sive fœmina, Angeli verò, & homines non dicun-

dicuntur cognati, vel consanguinei, licèt au-ctorem vitæ Deum habeant.

2. Cognatio spiritualis est propinquitas personarum, orta jure Ecclesiastico ex Baptismi, vel Confirmationis collatione, & susceptione: sicut enim ob conjunctionem sanguinis propinquam debetur personis quibusdam reverentia, ideoque lege vel naturali, vel Ecclesiasticâ Matrimonium irritatur; sic quia ratione Baptismi, vel Confirmationis quibusdam reverentia personis debetur, Ecclesia Matrimonium inter illas voluit esse irritum; nam sicut per naturalem generationem homo formatur, & nascitur, postea verò roboratur corporaliter, sic per Baptismum regeneratur, & renascitur, per Confirmationem roboratur spiritualiter, ideoque in regeneratione spirituali intelliguntur parentes, & filii spirituales.

3. Cognatio legalis est vinculum, vel propinquitas personarum, orta ex perfecta adoptione, per quam persona extranea assumitur in filium, vel filiam, hæredemque necessarium, & transit in patriam potestatem adoptantis.

QUÆSTIO V.

Inter quas personas cognatio naturalis dirimat Matrimonium?

Nota 1. Pro cognatione naturali, seu consanguinitate cognoscenda tria sunt consideranda: nempe Stipes, Linea, Gradus. *Stipes* dicitur persona, à qua reliquæ per generationem descendunt, & originem ducunt. *Linea* est series, seu ordo ab uno communi stipite descendentium per varias generationes, di- 534. *Tria observanda stipes, linea, gradus.*

versos

versos continens gradus. Linea duplex est, una, recta, quæ est series personarum, quarum una, descendit ab altera per generationem, sive jam personæ numerentur descendendo, v. g. à patre ad filium, ab hoc ad nepotem, &c. & linea recta descendentium dicitur: sive id fiat ascendendo, v.g. à patre ad avum, proavum, abavum, &c. & linea recta ascendentium dicitur. Altera est lateralis, seu transversa, & obliquâ, quæ est series personarum, quarum una ab altera per generationem non descendit; stipitem tamen, seu genarchum communem eundem habent, ùt fratres, sorores, consobrini patrueles &c.Hæc linea duplex est: nempe una æqualis, in qua personæ consanguineæ æqualiter distant à communi stipite, ùt duo fratres, patruelis, & consobrinus; altera inæqualis, quâ personæ consanguineæ inæqualiter distant à communi stipite, ùt frater, & filia fratris, consobrinus, & amita. *Gradus* denique est distantia personarum consanguinearum in eadem consanguinitatis linea, ex qua distantia cognoscitur, quanta sit personarum inter se propinquitas. Sicut enim in scala ab uno gradu in alium proximum ascendimus, vel descendimus, ità ab una persona fit ascensus, vel descensus ad aliam proximam in eadem consanguinitatis linea. Tota consanguineorum series etiam arbor consanguinitatis dicitur, in qua stipes communis est truncus, rami sunt descendentes, quorum unus ab altero immediatè procedit.

535. *Regula pro discernendis gradibus.*

Nota 2. Ut discernatur, quot gradibus juxta Canones, & in ordine ad Matrimonium una persona distet ab altera, tres assignantur regulæ; una pro linea recta, altera pro obliqua

liqua æquali, tertia pro obliqua inæquali sunt autem hæ:

1ma. In linea recta tot sunt gradus, quot sunt personæ, dempto stipite, seu quot generationes activæ intercedunt: hinc in linea recta descendentium filius à patre distat uno gradu, nepos duobus, pronepos tribus, abnepos quatuor. Similiter in eadem linea ascendendo pater à filio distat uno gradu, avus duobus, proavus tribus, abavus quatuor, atavus quinque, tritavus sex; quia nimirum tot generationes intercedunt: generatio autem inter duas personas versatur inter generantem scilicet, & generatum: unde tot sunt gradus, quot personæ dempto stipite, qui præsupponitur suis generationibus.

2da. In linea obliqua æquali quot gradibus, seu generationibus personæ, de quarum consanguinitatis propinquitate quæritur, distant à communi proximo stipite eodem, tot gradibus distant inter se, v. g. cùm duo fratres, vel frater, & soror sint in linea collaterali, & à communi stipite, patre suo singuli distent uno gradu, etiam uno distant inter se, & cùm patrueles, seu fratrueles, hoc est duorum fratrum liberi, & consobrini, seu matrueles, hoc est duarum sororum liberi distent ab eodem stipite communi, avo suo singuli duobus gradibus, etiam distant duobus inter se, & sic ulteriùs descendendo: cùm enim adæquata propinquitatis ratio sit unio cum stipite, non possunt magìs aut minùs inter se distare, quàm distant à stipite communi.

3tia. In linea obliqua inæquali, quo gradu remotior distat à stipite eodem communi, eodem distant inter se; cùm enim propinquitatis

tis ratio sit stipes, personæ collaterales non debent minùs inter se distare, quàm distent à stipite. Sic filia Titii à patruo suo, seu fratre Titii distat duobus gradibus; quia licèt Titius à fratre suo non distet nisi uno gradu; quia tamen filia Titii ab avo suo eorum patre distat duobus gradibus, distat & filia Titii à patruo suo duobus. His prænotatis.

536. *An in linea recta jure natura.* Resp. 1. Cognatio naturalis in linea recta saltem jure humano irritat Matrimonium probabiliter in quovis gradu. Ità *Pichler*, & alii contra *Sanch. Castrop. &c.* Sumitur ex responsione Nicolai 1mi Papæ ad consulta Bulgarorum Cap. 39. ubi ait Pontifex, inter personas consanguineas in linea recta non posse contrahi Matrimonium, idque valere usque in infinitum.

Dixi: *Jure saltem humano*: nam licet sit jure naturæ irritum in primo gradu, v. g. inter patrem, & filiam, matrem, & filium, uti habet communis omnium sensus; quia Matrimonii usus inter parentes, & liberos repugnat rectæ rationi, verecundiæ, & reverentiæ, parentibus debitæ, cùm in conjugio fiat æqualis mutua subjectio in ordine ad debitum, & per actum conjugalem turpitudo quædam alterius reveletur. Hinc gentes non omninò barbaræ id semper abhorruerunt. Nec credibile est Deum hominibus dedisse potestatem transferendi dominium in corpora pro usu talis Matrimonii: attamen controvertitur, an idem sit in aliis gradibus. Scotistæ affirmant de omni, negant verò S. *Th.* 2. 2. *q.* 154. *ad* 2. *Pont. Thomas Sanch. Palao*, & alii, putat tamen *Lessius* irritari jure naturæ ad 4tum gradum, alii ulteriùs, donec non censeatur portio

tio sanguinis à remoto ascendente communicata, quæ specialem reverentiam exigat. Verùm hæc hodiedum ad praxin non faciunt; cûm hominis vita brevior vix se eò extendat, ut ascendens cum descendente in remoto gradu contrahere Matrimonium possit.

Resp. 2. Cognatio naturalis in linea obliqua hodiedum tantum irritat Matrimonium usque ad 4tum gradum inclusivè, idque jure tantùm Ecclesiastico, saltem si primum gradum excipias. *Prima Pars* est certa ex *Cap. non debet de Consang.* & *Conc. Lateranensi IV. sub Innoc. III.* cùm aliàs se extenderit ad 7. *Ratio 2da partis est*; quia Consanguinei in 2. 3. & 4. gradu nec habent inter se rationem principii, & principiati etiam mediati, nec tantàm debent sibi jure naturæ reverentiam, & subjectionem, quæ postulet Matrimonium inter illos irritari. Hinc *Innoc. III. Cap. gaudemus* dixit: non esse separandos infideles neoconversos, si cum consanguineis in 2. 3. vel 4. gradu nupserint, & Pontifices dispensârunt in tali gradu. An primo gradu jure naturæ inter consanguineos Matrimonium sit irritum, dubium est. Affirmat *Bellarm. Sanch.* & alii. Negant *D. Thom. supra ad 3. Scotus, Scotistæ,* & alii; quia, etsi Matrimonium inter fratrem, & sororem extra necessitatem sit indecens, attamen cùm adinvicem non habent rationem principii, & principiati; non est tanta sanguinis conjunctio, ut propter reverentiam, illi debitam, censeri debeat Deus negâsse illis facultatem transferendi dominium corporum in ordine ad generationem in Matrimonio; cùm ab initio genus humanum voluerit propagari per fratres, & sorores.

537. *In linea obliqua ad 4tum gradum inclusivè.*

Nec

Nec obstat, quòd extra casum necessitatis indecens sit contractus Matrimonii inter fratrem, & sororem: nam si obstrictus voto castitatis ineat Matrimonium, contractus est indecens, nec tamen irritus. Cæterùm lex irritans Matrimonium inter consanguineos usque ad 4tum gradum, & non ultra, est valde rationabilis; tum quia consanguinei frequenter se invisunt: hinc occasio fuisset multorum peccatorum, si validè potuissent inire Matrimonium inter se; tum quia bono communi expediebat vinculum amicitiæ ad multos extendi, quod fit per contractum cum extraneis, & post 4tum gradum videtur cessare illa mixtio sanguinis, hincque non notatur ampliùs specialis benevolentia, affectio, & amicitia.

538. *Quid de gradu mixto?* Resp. 3. Cognatio naturalis in gradu mixto ex 5to, & 4to, vel 5to, cum 3tio, aut 2do Matrimonium nec illicitum, nec irritum reddit, habetur *Cap. 8. de Consang.* nisi alicubi consuetudo, quæ vim legis habere potest, habeat contrarium, ùt habetur eodem Tit. Cap. 3. quia consanguinitas tunc sumitur à gradu remotiore, adeoque hic non est in gradu prohibito. Aliud est, si inter duas personas sit duplex consanguinitas in gradu inæquali, v. g. si Titia sit consanguinea Caji ex parte matris in 5to, & ex parte patris sui in 4to. Tunc enim verè se contingunt ambo in quarto gradu, estque impedimentum.

Consanguinitas duplex. Potest autem duplex consanguinitas provenire ex duplici capite. 1mò. Si descendentes ab uno stipite inter se Matrimonia ineant. 2. Si sint duo stipites consanguinei, qui ducant duas consanguineas, v. g. si duo fratres ducant duas consobrinas: liberi enim ex his conjugiis

jugiis nati erunt consanguinei in 2do gradu ex parte patrum, & in 3tio ex parte matrum: atque in hoc casu, si dispensatio petatur, uterque gradus erit exprimendus; quia duo sunt vincula, nempe in 2do, & 3tio gradu ex duobus stipitibus.

Methodus practicè inveniendi gradum Consanguinitatis.

1mò. Scribe in parte inferiore chartæ, vel 539.
tabulæ ad unum latus nomen sponsi, ad alte- *Quomo-*
rum nomen sponsæ. 2. Supra nomen sponsi *do gra-*
incipiendo à proximioribus describe nomina *dus in-*
cognatorum, qui ex hac parte dicuntur causam *quiren-*
dedisse cognationis: idem fac quoad sponsam *dus?*
similiter: nempe ponendo nomina eorum, qui ex ista parte cognationis causam dedisse dicuntur. 3. Factâ annotatione omnium ascende ex una parte, & vide, utrum conveniant in aliquo communi principio, seu stipite, ex quo sponsus, & sponsa mediatè sint generati. 4. Hoc invento considera, in qua linea sint sponsi, an in recta, vel obliqua, æquali, vel inæquali, & applica regulas suprà datas; si non inveniatur communis stipes, nulla erit consanguinitas. Nomina Consang. vide apud *La Croix* N. 602.

QUÆSTIO VI.

Inter quas personas cognatio spiritualis Matrimonium dirimat?

540.
Resp. Cognatio spiritualis, orta ex Sacra- *Inhabi-*
mentis Baptismi, & Confirmationis, dirimit *lis fit*
 Ma- *bapti-*

zans cum baptizata, & hujus parentibus. Idē est de suscipiente.

Matrimonium imò inter Sacramentum conferentem, & id suscipientem. 2. Inter conferentem, & suscipientis parentes. 3. Inter patrinum, vel matrinam cum suscipiente Sacramentum. 4. Inter patrinum, vel matrinam cum ejus matre, vel patre: inter hos enim, & non plures oritur spiritualis cognatio ex *Trid. Sess.* 24. *Cap.* 2. Unde patrinus, & matrina ejusdem baptizati ex hoc capite non prohibentur contrahere inter se Matrimonium.

Porrò ut Sacramentum conferens cognationem contrahat, debet secundum dicta suprà, imò Sacramentum esse validum, aliàs nullus eam contrahet. 2. Debet absolutè primùm conferri. 3. Debet baptizans esse baptizatus: infidelis enim non subest legibus Ecclesiæ. Unde si postea fidem suscipiat Christi, posset puellam sic baptizatam uxorem ducere: cognatio enim contrahitur tantùm in ipso Baptismo, nisi aliter sit statutum, uti hic non est. 4. Baptizatus debet esse proles hominis fidelis, ut cum hoc contrahatur cognatio; quia cognatio est inter duos terminos ejus capaces: unde nec baptizans, nec suscipiens cum infideli cognationem contraheret. Putat tamen *Laym.* hìc Cap. 8. N. 3. Si parens infidelis converteretur, orituram ex speciali dispositione juris cognationem. 5. Necesse tamen non est, ut conferat Sacramentum, v.g. Baptismi solenniter; est enim adhuc nihilominus regenerans spiritualiter. Quare sponsus in necessitate baptizans prolem suæ sponsæ contrahit impedimentum, & solvuntur sponsalia, idque licèt nesciret esse prolem sponsæ suæ: habet enim intentionem prolem præsentem baptizandi, aliàs peccaret,

ade-

adeoque verè baptizat. Aliud foret, si quis susciperet ex Baptismo prolem Caji, quam putaret esse Titii, tunc enim posset deesse intentio illam suscipiendi.

Si tamen conjux baptizet in necessitate prolem suæ conjugis, non privatur jure petendi debitum; quia privatio illa est pœna, quæ supponit delictum; impedimentum autem, quod sponsus sponsæ prolem baptizans contrahit, est inhabilitas. Econtra si pater extra necessitatem baptizaret suam prolem, peccaret graviter, & amitteret jus petendi debitum. Oppositam sententiam, quam tenent multi, teste *P. La Croix L.* 6. *N.* 358. eò quòd in nullo jure, adhuc vigente, inveniatur expressum, *Laym.* putat probabilem. Et certum est ex respons. *Alexandri III.* non amitti, si ex ignorantia juris, vel facti id fecerit. Quid præterea requiratur, ut quis sit patrinus, & cognationem ex Baptismo, vel Confirmatione contrahat, dixi suprà N. 123. & N. 139. Quòd Sacerdos non contrahat cognationem spiritualem cum pœnitente suo, dixi 2. P. sub N. 197. in fine, habetque *Laym.* hìc Cap. 9. N. 9.

QUÆSTIO VII.

Inter quas personas cognatio legalis Matrimonium dirimat?

Resp. Cognatio legalis, orta ex adoptione perfecta, dirimit Matrimonium imò inter personam adoptantem, & adoptatam, idque in perpetuum; quia æquiparatur proli generatæ: unde intervenit legalis filiatio, quæ non esset 541. *Inhabilis fit adoptans respectu*

adoptati, & liberorum hujus, & hic reciprocè &c.

cessat cessante adoptione. 2. Inter adoptantem, & filii adoptati liberos legitimos usque ad 4tum gradum. 3. Inter adoptantem, & uxorem adoptati; quia censetur intervenire quædam affinitas inter adoptantem, & uxorem adoptati. 4. Inter adoptatum, vel adoptatam, & filios vel filias adoptantis; quia intervenit legalis fraternitas. Verùm hæc non est perpetua, sed potest filius adoptatus ducere filiam adoptantis, si alteruter emancipetur per mortem patris, aut authoritate publicâ; quia tunc cessat adoptio. adoptatus tamen non potest, etiam adoptione absolutâ, ducere eam, quæ fuit uxor adoptantis, utì nec adoptans viduam adoptati; quia est quædam honestas publica perpetua. Demum adoptivi non contrahunt cognationem inter se; nec legitimi cum illegitimis. Dixi: *Cognatio orta ex adoptione perfecta*: Nam probabiliter non oritur impedimentum dirimens Matrimonium ex adoptione imperfecta, quæ est assumptio in filium, vel filiam, nepotem, vel neptem, itá, ut persona assumpta maneat in alterius patria potestate, & quamvis conferat jus succedendi adoptanti ab intestato; non facit tamen hæredem necessarium in testamento. Ratio autem statuendi hoc impedimentum Matrimonii fuit, ut vitarentur fornicationes inter in eadem domo, & familia habitantes, & quia filii adoptivi similitudinem gerunt cum naturalibus legitimis, quæ cessat in adoptione imperfecta.



QUÆS-

QUÆSTIO VIII.

Quale crimen, quod ligamen, quæ disparitas cultûs, qui ordo Matrimonium dirimat?

Resp. Crimen, jure Ecclesiastico dirimens Matrimonium, est triplex. *1mum est conjugicidium*, ab uno conjuge, & aliâ personâ, cum intentione manifestatâ postea inter se Matrimonium ineundi, mutuâ conspiratione commissum, sive per se, sive per alium, physicè, vel moraliter, consilio, suasione, imperio ex *Cap. 1. de conversione Infidelium.* 542. *Crimen triplex. 1. Conjugicidium ex conspiratione.*

Dixi 1. *Cum intentione manifestata*: Nam si fiat sine manifestata intentione ineundi inter se Matrimonium; hoc non irritat: ùt si maritus ex odio in uxorem persuaderet ancillæ sine intentione Matrimonii cum illa, ut uxori propinaret venenum, aut cum intentione quidem, sed merè internâ; quia peccatum merè internum non subjacet legi Ecclesiæ punitivæ. Contradicit tamen *Palao*, eò quòd Ecclesia puniat actus externos tali intentione factos, quæ in foro externo præsumitur manifestata. Juxta *Sanch.* sufficit, quòd unus ex machinantibus mortem intendat Matrimonium; quia jus non requirit utriusque intentionem.

Dixi 2. *Mutuâ conspiratione*: Nam commissum sine ea non dirimit Matrimonium, nisi accedat adulterium; quia jura hoc non exprimunt.

Dixi 3. *Commissum*: id est morte secutâ ex ipsa actione, non ex Medici negligentia, &c. quia requiritur mortis machinatio efficax, cùm

leges illæ sint pœnales, ideoque strictè interpretandæ.

2. Occisio conjugis facta post adulterium ab adulterante.

Crimen secundum est occisio conjugis post commissum utrimque formale adulterium completum, facta ab alterutro ex adulteris sine prævia conspiratione quidem, cum intentione tamen contrahendi Matrimonium cum complice adulterii.

Dixi 1. *Post commissum formale utrimque adulterium* : Nam impedimentum inductum est tum ob copulam injuriosam ab utroque tum ne detur occasio captandi mortem conjugis : si autem, conjuge jam occisâ, haberetur copula, nec injuria fieret, nec esset occasio captandæ mortis. Sufficit tamen, quòd mors sequatur adulterium, etsi machinatio, v.g. propinatio veneni ante sit facta ; quia adhuc fit injuria, & datur occasio accelerandæ mortis.

Dixi 2. *Post formale adulterium* ; quia impedimentum inductum est ob injuriam, quæ fit conjugi : unde si Berta, habens copulam cum Cajo, nesciret hunc esse conjugatum ; aut si Cajus conjux cum alia conjuge copulam haberet, nesciens esse conjugatam, etsi sciret suæ uxori fieri injuriam, non contraheret impedimentum, quominus deinde posset adulteram ducere, si utriusque tori consors moreretur.

Dixi 3. *Post adulterium completum* : id est copulam perfectam ; quia leges pœnales intelligi debent de crimine perfecto, & consummato, nisi aliud aliunde constet.

Dixi 4. *Cum intentione contrahendi Matrimonium* ; quia jus statuit hoc impedimentum, ne spe conjugii cum adultera conjux innocens occidatur ; si autem aliâ intentione occide-

cideretur, cessaret is finis. Probabiliter tamen non requiritur, ut intentio illa manifestetur complici; cùm jus pro hoc casu non exigat conspirationem mutuam, nec necesse est, ut fiat cædes ex Primaria intentione Matrimonii, sed sufficit, si etiam fiat ex secundaria; quia adhuc fit ex intentione Matrimonii. Si quis dubitans an habuerit illam intentionem secundariam, contraxerit Matrimonium, præsumitur prudenter, quòd habuerit; quia factum scitur, & ordinariè adest; si autem sciret se bonâ fide contraxisse Matrimonium, & postea contractui dubium supervenisset, adhibitâque diligentiâ debitâ, nihil posset rescire; probabiliter non indiget dispensatione. Indigere tamen affirmat *Less.* quia difficulter potest credi non adfuisse.

Dixi 5. *Cum complice*; quia ultra impedimentum hoc se non extendit.

Tertium Crimen est *adulterium* cum mutua promissione ineundi Matrimonium post mortem alterius conjugis, vel cum contractu Matrimonii de præsenti attentato. Ut hoc crimen impedimentum inducat, requiritur 1mò, ut adulterium sit utrimque formale, aliàs non est formalis utriusque injuria. 2. Ut sit completum, uti suprà dictum. 3. Ut promissio sit sincera, & verè acceptata, signoque externo manifestata; quia aliàs non est propriè dicta promissio, sed tantùm pollicitatio, nec propriè fides data. Nec sufficit mera taciturnitas, ex qua hìc non præsumitur consensus, cùm delicta non præsumantur. Neque enim, qui tacet, consentire videtur, quando consensus illi noxius est, uti hìc foret, utpote inducens impedimentum. 4. Ut promissio sit ab- *3. Adulterium cum promissione matrimonii*

ſoluta, & abſolutè acceptata; quia conditionata non eſt adhuc vera promiſſio, nec dat occaſionem captandæ mortis, impletâ tamen conditione, fieret abſoluta. 5. Ut non tantùm adulterium; ſed etiam promiſſio ſit facta ſub eodem Matrimonio; quia debet conjugi utraque injuria eſſe illata, inquit *La Croix* N. 613. Hinc docet, ſi fides Matrimonii data ſit ante conjugii notitiam, & poſt illam committatur adulterium, non incurri impedimentum; contradicit *Sanch. & Schmalzgr.* quia adulterium eſt injurioſum, & inſiſtendo promiſſioni fit injuria, & datur occaſio captandæ mortis. 6. Ut promiſſio ante adulterium non ſit revocata, poſt illud tamen revocata non amovet impedimentum. 7. Probabiliter requiritur, ut promiſſio ſit de Matrimonio, ineundo poſt mortem conjugis, alias non eſt occaſio captandæ mortis. Ità *Sanch.* & alii. Negat id *Averſa*, & alii probabiliter; quia datur occaſio mortis captandæ, ut validetur Matrimonium & hoc de præſenti attentatum, vivente conjuge, inducit impedimentum, ut fatentur omnes. 8. Requiritur probabiliter, ut fiat repromiſſio; quia aliàs non eſt promiſſio propriè dicta, & mutua. Ità *Bellarm. Laym. L.* 5. *Tr.* 10. *P.* 2. *Cap.* 10. *N.* 4. Contradicit *Schmalzgr. hic N.* 30.

Notandum, licèt, ùt dixi N. 527. impedimenta juris tantùm Eccleſiaſtici non concernant infideles, ſi tamen Judæus v. g. maritum Catholicum occideret, uxore hujus conſentiente, eum in finem, ut eam duceret uxorem, etiam ad fidem converſus invalidè cum ea contraheret, habetur L. 3. Tit. 33. C. 1.

Con-

Controvertitur, an impedimentum criminis incurratur ab eo, qui ignorat hoc crimini esse annexum. Affirmat communior, tum quia impedimentum illud principalius est inhabilitas, inducta ob bonum commune, ut vitentur adulteria, & occasio captandæ mortis; tum quia publica honestas maximè attenditur in Matrimoniis, est autem publicè inhonestum, & perniciosum Matrimonium contrahi à personis adulteris cum pacto matrimoniali, vel machinatione necis. Hinc Canones loquuntur generaliter, & ex praxi Ecclesiæ, optimâ legum interprete, tales non admittuntur ad Matrimonium sine dispensatione. 543. *An contrahatur ab ignorante impedimentum criminis*

Oppositam sententiam tenent *Fernandez*, *Leuren*, *Krimer*, & alii ùt probabilem. 1mò. Quia lex illa est principaliter pœnalis; cùm statuat ob formale delictum impedimentum, velut pœnam. Hinc si mulier peccet cum conjugato, ignorans esse talem, impedimentum non incurrit. 2. Lex inhabilitans in pœnam delicti non infligit pœnam, nisi violetur ùt pœnalis. 3. Vir peccans cum consanguinea non amittit jus petendi debitum, nisi sciat eam pœnam esse annexam suo delicto. Ità *Palao*, *Sporer*, & alii. 4. Censuræ, irregularitas ex delicto, reservatio pœnalis casuum non ligat ignarum legis ista statuentis. 5. Non desinit lex ideo esse principaliter pœnalis, quia inhabilitatem inducit, si illam inducat tanquam medium ad cavenda delicta. Quòd autem praxis tribunalium sit contraria, non obstat; quia nititur sententia probabili opposita, & in foro externo præsumitur scientia juris, donec probetur opposi-

 tum.


tum. Unde pro foro interno manet securitas: contra hoc enim non stat consuetudo tribunalium, aut saltem non probatur, adeoque pro eo non explicat jus dubium. Patroni primæ sententiæ dicunt, ubi non incurritur pœna ab ignorante illam, leges sunt principaliter pœnales, qualis non est statuens impedimentum criminis. Prima sententia est probabilior; & in praxi tenenda alioquin vix locum habebit lex maximè spectans decentiam publicam. crimina etiam sunt raptus, & incussio gravis metûs injusti? sed hæc non veniunt hìc nomine criminis.

544. *Ligamen.* Resp. 2. *Ligamen*, Matrimonium dirimens, est vinculum Matrimonii seu consummati, seu rati tantùm, inter virum & mulierem adhuc viventes. Dirimit autem Matrimonium contrahendum cum alia, vivente adhuc priore, tum jure divino in lege nova, quæ prohibet, & irritat Polygamiam, tum naturali, stante jure matrimoniali prioris conjugis. Quando enim vir semel plenum jus in suum corpus in ordine ad generationem transtulit in unam, non est, quod transferat in aliam. Idem est de muliere. Hinc conjux non potest transire ad secundum Matrimonium, nisi adsit de morte conjugis moralis certitudo, excludens probabilitatem pro opposito; quia exponeret Sacramentum periculo nullitatis, se vero periculo adulterii: certitudinem autem illam non facit sola fama, nec absentia per plures annos; sed requiritur testimonium authenticum, ab Ordinario approbatum, sique hoc nequit haberi, necesse est, ut mortem testentur homines fide digni, qui integram, & moraliter certam faciant probationem, quam

cog-

cognoſcere non Parochi, ſed Ordinarii eſt. Quodſi conjux bonâ fide ad aliud Matrimonium tranſiiſſet, & dein dubitaret de morte prioris conjugis, teneretur ſtatim inquirere, & interim abſtinere à petendo debito, non tamen à reddendo petenti bonâ fide; quia petendo exponeret ſe periculo fornicandi, negando autem inferret injuriam poſſeſſori bonæ fidei: at ſi uterque contraxiſſet malâ vel dubiâ fide, neutri liceret petere, vel reddere debitum; quia cum mala fide non poteſt inchoari poſſeſſio: proin hæc pro neutra parte eſt. Si tamen una pars tantùm contraxiſſet cum dubio, petere non poſſet, deberet tamen reddere alteri petenti debitum, donec conſtaret de prioris conjugis vita, quâ intellecta omninò abſtinendum eſſet ab uſu Matrimonii putatitii. *Quid de debito in dubio de morte prioris?*

Reſp. 3. *Cultus diſparitas* Matrimonium dirimens eſt diverſitas Baptizati, ùt talis à non Baptizato: proin dirimit Matrimonium inter fidelem, & infidelem jure Eccleſiaſtico, non tam ſcripto, quàm tradito; non tamen diu ante ſæculum ſextum inducto. Nam S. Monica teſte S. Aug. Lib. 9. Confeſſ. Cap. 9. nupſit Patritio infideli Manichæo. S. Clotildis Clodovæo Francorum Regi necdum baptizato: S. Cæcilia Valeriano Ethnico, exemplo veteris teſtamenti, in quo Matrimonio ſe Joſeph junxit Ægyptiacæ, Moyſes Æthiopiſſæ, Eſther Aſſuero. Quis ordo Matrimonium dirimat, dixi N. 494. 545. *Diverſitas baptizati à non baptizato.*



QUÆSTIO IX.

Quæ vis, seu metus, & raptus irritet Matrimonium contrahendum?

546. *Metus gravis injustus, ad extorquendum consensum incussus.* Resp. 1. Vis & metus gravis injustè illatus à contrahente, vel alio tertio ad extorquendum consensum irritat Matrimonium, saltem Jure Ecclesiastico, ex Cap. 14. 15. 28 de Sponsalibus. *Ratio est* tum; quia talis metus tollit voluntarium perfectum, quale hìc requirunt leges; tum quia, cùm Matrimonium sit ex natura sua indissolubile, si valeret injuriosè extortum, injuria nunquam reparari posset, nec innocens in priorem statum restitui, unde gravissima sequerentur incommoda defectu amoris mutui; tum quia Matrimonium Fidelis significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, quæ fundatur in amore libero à coactione. Perinde autem est, sive metus sit gravis absolutè, sive respectivè ad personam, cui incutitur, quia æquè tollit perfectè voluntarium; sive sit metus mali certi, sive probabiliter futuri; sive inferatur pœnis, sive minis, vexationibus &c.

Levis non irritat. Dixi 1. *Metus gravis*: nam levis, etsi injustè incussus, non irritat, ex Cap. 6. *de Sponsal.* quia non minuit notabiliter voluntarium, cumque facilè contemni possit, ex eo contrahens sibi imputare debet.

Nec justè incussus. Dixi 2. *Injustè*: nam justè incussus non irritat Matrimonium Cap. 10. *de Sponsal.* & Cap. 2. *de Adulter.* quia nulla intervenit injuria, estque id sufficienter voluntarium in suo principio. Sic valet, si Judex, metu excommuni-

municationis, vel aliarum pœnarum cogat ad implenda Sponsalia, vel ducendam defloratam. Item, si pater puellæ defloratæ defloratori minetur, quòd cum sit delaturus ad Judicem, nisi defloratam ducat: metus enim justus est; secùs si minaretur ei mortem,

Dixi 3. *Ad extorquendum consensum*: nam, si sit injustè incussus ob aliam causam v.g. ab inimico, si hic ex vindicta tibi intentaret mortem, & tu ad eum placandum ducas ejus filiam, an Matrimonium valeat, dubium est. Affirmat communior, eò quòd metus ille non sit directè causa consensûs; sed occasio tantùm: Matrimonium enim eligitur velut medium evadendi mortem; Jura autem loquuntur de metu, qui sit causa directa, & intenta contra libertatem Matrimonii: aliàs enim non dicitur vis inferri ad ineundum Matrimonium. Sic non dicitur vis illata fœminæ, quæ volenti eam spoliare bonis fortunæ, blanditur, & offert se ad turpia. Econtrà valere Matrimonium negat *Lugo de Just. D* 22. *S* 7. *N.* 175. *Wiestner*, *Schmalzgr.* & alii; quia adhuc fit injuria, quæ facilè declinari non potest, nec postea reparari restituendo innocentem in statum pristinum. *Nec ob aliam causam incussus.*

Dixi 4. *A contrahente*, *vel alio*: nam, si metus ortus sit ex causa naturali, vel sponte susceptus, valet Matrimonium: utì, si puella, in naufragio de vita periclitans, imploret opem Titii, eique promittat Matrimonium, si eam periculo eripiat; quia tunc sine injuria, & à se ipsa compellitur ad contrahendum. *Nec aliunde ortus.*

Dixi 5. *Jure Ecclesiastico*: nam, quòd non sit irritum jure naturæ, habet probabilis sententia; affirmativa tamen est probabilior: cùm enim

enim contractus sit indissolubilis, adeoque injuria irreparabilis, lex naturæ non assistit contractui.

547. *Raptus.* Resp. 2. Raptus, seu violenta fœminæ abductio de loco in locum, moraliter alium, Matrimonii ineundi causâ, hoc inter raptorem & raptam irritat, quamdiu est in potestate raptoris, etsi hæc consentiat. Ità statuit *Trid.* Sess. 24. Cap. 6. *de Reformat. Matrimonii.* Ubi ipso facto raptorem, omnesque ei consilium, auxilium, & favorem præbentes excommunicat, declarat infames, omniumque dignitatum incapaces &c.

Dixi 1. *Violenta abductio*: nam, si fœmina consentiat, ei non fit injuria, nec irritatur Matrimonium; quia *Trid.* voluit consulere libertati Matrimonii, quæ tunc salva consistit.

Dixi 2. *De loco in locum moraliter alium*; quia non sufficit, quòd ducatur de domo in domum in vicinia, vel de conclavi ad conclave, vel ex via publica ad locum occultum per dolum, vel fraudem.

Dixi 3. *Fœmina*: nam si mas à fœmina v. g. adolescens nobilis à Comitissa per famulos raperetur, negat *Sanch. Molina, Pirrhing,* aliique, contrahi impedimentum, eò quòd *Trid.* loquatur de raptore tantùm, & leges pœnales non comprehendant ea, quæ rarissimè contingunt nisi clarè exprimant. L. 5. ff. *De Legibus.* Affirmant *Mastrius, Haun. Krimer* & alii; quia *Trid.* voluit consulere libertati Matrimonii, quæ & in hoc casu læderetur, & sub sexu masculino fœmininus comprehenditur, saltem in correlativis, ubi est eadem ratio. Sic fœminas afficiunt impedimenta criminis, publicæ hone-

honestatis, metûs, etsi dicatur, si vir uxorem occidat &c. Similiter, si sponsus sponsam raperet, sunt, qui putant, non induci impedimentum, eò quòd libertas jam antè illi sublata sit. Oppositum tenent multi cum *Sanch.* quià potest inire Religionem, & supervenire causa dissolvendi Sponsalia; ergo libertas adhuc læditur.

Dixi 4. *Matrimonii causa*: nam probabiliùs contra *Bonac. Platel.* N. 1179. non oritur impedimentum, si fœmina rapiatur ex alia intentione v. g. libidinis exercendæ causâ; quia *Trid.* non facit mentionem, nisi de raptu, tendente ad Matrimonium. Cæterùm sufficit violentia tum physica, quæ fit per injectionem manuum; tum moralis, quæ fit per minas graves, metum, mandatum.

Dixi 5. *Quamdiu* &c. nam, si mulier violenter abducta, postea libertati restituta, à raptore separata, in loco tuto illum conjugem habere vellet, raptor eam posset ducere. Ità *Trid.* l. c. Porrò impedimentum illud non extendit se ad præbentes auxilium, favorem, & probabiliter non ligat in locis, ubi *Trid.* non est receptum. Quodsi raptor cum rapta contraheret Sponsalia, juxta *Pichler* hæc valerent; quia de de his non meminit *Trid.* & salva manet libertas resiliendi.



QUÆS-

QUÆSTIO X.

Quid sit Impedimentum publicæ honestatis, & inter quas personas Matrimonium contrahendum dirimat?

548. Resp. 1. Impedimentum publicæ honestatis est propinquitas personarum, vi Juris Ecclesiastici proveniens ex Sponsalibus, & Matrimonio rato etiam invalido, præterquam ex defectu consensûs, regulariter impediens valorem Matrimonii contrahendi cum certis consanguineis sponsi, vel sponsæ: sicut enim decet, ut qui per copulam carnalem corpore fuerunt conjuncti, factique unius carnis principium, postea Matrimonio non jungantur sui consortis consanguineis; sic decet, ut, qui animo juncti Sponsalia, aut Matrimonium contraxerunt, vel contrahere attentârunt, sicque facti sunt inchoativè una caro, ut non jungantur Matrimonio certis suæ compartis consanguineis: & hinc hoc impedimentum dicitur publica honestas, aut justitia publicæ honestatis.

Oritur ex sponsalibus, & matrimonio rato.

Dixi 1. *Proveniens ex Sponsalibus*, puta, validis, & absolutis: nam si Sponsalia sint invalida, non inducunt impedimentum, etsi publicè habeantur pro validis ex *Trid.* Sess. 24. Cap. 3. *de Reform. Matrim.* restringente jus antiquum, vi cujus invalida inducebant impedimentum ad quartum gradum; si autem sint conditionata, necdum sunt perfecta, eveniente tamen conditione evadunt absoluta, & inducunt impedimentum.

Dixi

Dixi 2. *Ex Matrimonio rato etiam invalido*, ex *Can.* 11. 12. 14. *causâ* 27. *q.* 2. *Cap.* 3. & 8. *de Sponsalibus.*

Dixi 3. *Præterquam defectu consensûs*, puta, si quis fictè contrahat, vel, si erret in substantia personæ: licèt enim semper Matrimonium sit invalidum defectu consensûs legitimi, non excluditur tamen impedimentum, si quis attentet consentire, & consentiat, quantùm ex parte sua potest: utì, si contrahat cum consanguinea in gradu prohibito, nesciens esse consanguineam: sic enim consentit in personæ substantiam plenè voluntariè, etsi consensus non sit legitimus.

Dixi 4. *Regulariter*: nam si Matrimonium, ratum tantùm, sit invalidum ob impedimentum ex Sponsalibus cum consanguinea, non oritur impedimentum ex eo relatè ad priorem sponsam, sed eam adhuc tenetur ducere, ùt habetur *Cap. unico. de Sponsalibus in* 6. Hinc dicitur: *Impedimentum publicæ honestatis non agit retro*, hoc est, non dirimit Sponsalia priùs inita, sed ineunda. Addidi: *Relatè ad sponsam*: nam ex tali attentato Matrimonio oriretur impedimentum cum aliis consanguineis secundùm jam dicenda.

Resp. 2. Impedimentum ortum ex Sponsalibus dirimit Matrimonium jure novo *Trid.* tantùm in primo gradu, ortum verò ex Matrimonio rato ad quartum inclusivè. *Trid.* enim restrinxit quidem jus antiquum quoad Sponsalia, non tamen quoad Matrimonium ratum, ùt constat ex *Bulla Pii V.* incipiente: *Ad Romanum spectat*, editâ 1568. 549. *Quousque dirimat?*

Resp. 3. Impedimentum illud est perpetuum, nec tollitur, etsi Sponsalia mutuo con- 550. *Est perpetuum.*

 sensu,

sensu, vel morte sponsi, vel sponsæ dissolvantur, sed sola dispensatione cessat, etsi enim *Barbos. Engel*, *Palao* putârint, Sponsalibus mutuo consensu dissolutis, cessare impedimentum, citeturque pro hoc declaratio *Cardin.* hæc tamen aut authentica non fuit, aut nunc revocata per declarationem posteriorem editam anno 1658. & ab *Alexandro VII.* approbatam apud *Fagnan.* in *Cap. Ad audientiam. de Sponsalibus.* Ex his sequitur

551. *Corollaria.* 1. Si Cajus cum Titia contraxit Sponsalia, nequit validè contrahere Matrimonium cum ejus sorore, matre, vel filiâ; si tamen hoc attentaret, non oriretur ex illo Matrimonio impedimentum reciprocum cum Titia, sed adhuc teneretur eam ducere; non posset tamen validè contrahere cum ejus consanguineis intra quartum gradum.

2. Si Cajus, fornicatus cum Titia, contrahat Sponsalia cum ejus sorore, cum hac contrahendi, impedimentum habet affinitatis, non tamen publicæ honestatis cum Titia, quia Sponsalia cum sorore fuerunt invalida; at, si, ante fornicationem cum Titia, contraxit Sponsalia cum ejus sorore, cum neutra posset contrahere Matrimonium; non cum Titia ob impedimentum publicæ honestatis ex Sponsalibus cum sorore: non cum hac ob impedimentum affinitatis, ortum ex copula cum Titia.

3. Si contrahatur Matrimonium clandestinè in loco, ubi *Trid.* est receptum, habet vim Sponsalium, & inducit impedimentum publicæ honestatis. nam censentur velle contrahere, in quantum possunt; Sponsalia autem clandestina non irritantur.

QUÆS.

QUÆSTIO XI.

Quid sit Impedimentum affinitatis, & inter quas personas irritet Matrimonium contrahendum?

Resp. 1. Est propinquitas personarum, proveniens ex copula carnali perfecta, Jure Ecclesiastico dirimens Matrimonium maris cum consanguineis fœminæ carnaliter cognitæ, & contrà: Propinquitas illa dicitur affinitas; quia duas cognationes, primam viri, alteram fœminæ ità copulat, ut una alterius fines accedat. Can. 1. Caus. 35. Q. 5. 552. *Oritur ex copula carnali perfecta.*

Dixi autem 1. *Proveniens ex copula carnali*, sive illa sit maritalis, & licita, sive fornicatio, vel adulterium.

Dixi 2. *Perfecta*, id est, *apta ad generationem prolis.* Ad affinitatem enim requiritur talis, ut fiat una caro, & unus sanguis ex duobus, in qua viri, & fœminæ consanguinei uniantur: hinc ex copula Eunuchorum, ex copula Sodomitica ex attentata cum impubere, vel imperfecta non oritur affinitas; secùs est de copula completa, etiam cum invita, ebria, dormiente, amenti. An autem ad copulam perfectam, sufficientemque ad generationem, & affinitatem contrahendam requiratur etiam seminatio mulieris, dubium est. Negant multi. Affirmant probabiliùs alii cum Divo Thoma *in Supplemento* dicente q. 56. a. 2. *Affinitas non contrahitur, nisi factâ commixtione seminum*, & Can. 18. Causâ 27. q. 2. cap. 3. hoc tit. Requiritur talis copula, per quam vir & fœmina sunt duo in carne una, &

fiat sanguinis (id est, seminis) commixtio. Et *Ratio est*; tum quia semen mulieris non videtur à natura ad aliud ordinatum, quàm ad generationem; tum quia ex mare & fœmina diversæ speciei, nempe equo & asinâ nascitur mulus, fœtus tertiæ speciei, semine se invicem impediente; ergo semen mulieris concurrit ad fœtum; ergo ubi non additur semini maris, non habetur commune completum principium generationis; ergo nec affinitas ex copula humana contrahitur, nisi semen mulieris accedat. Hæc doctrina bene notanda est: servit enim ad cognoscendum impedimentum affinitatis, irregularitatem in bigamo, amissionem juris petendi debitum in conjuge, qui cognovit consanguineam uxoris suæ intra secundum gradum; præsumitur tamen juxta *Gobat* seminatio mulieris, si senserit magnam voluptatem; quia tunc communiter contingit. Idem in dubio dicit de viro *Sanch*. L. 8. D. 6. N. 18. Vide *Krimer* hìc N. 460.

Dixi: *Jure Ecclesiastico*: quamvis enim *Bellarm. Laym. Lugo* in Resp. moral. L. 1. D. 40. putent, in linea rectæ affinitatis ex copula licita oriri impedimentum jure naturæ dirimens, ità ut per dispensationem habilitari non possit viduus, ut ducat uxorem, uxoris suæ defunctæ consanguineam in primo gradu v. g. matrem, aut filiam ejus; tamen id negat *S. Thomas*, *Scotistæ*, aliique multi. Certum est, quòd ex copula licita in linea obliqua etiam in primo gradu irritet tantùm jure positivo. Idem est de copula illicita.

Dixi 4. *Dirimit Matrimonium maris cum consanguineis* &c. nam impedimentum hoc non ligat alios, sed affinitas remota sublata est

per

per Can. 8. *Non debet hoc tit.* ità ut affinitas non pariat amplius affinitatem; ùt fiebat olim: hinc duo fratres possunt ducere duas sorores, pater potest ducere viduam, & filius ejus filiam, Cajus potest ducere successivè Titiam & Cajam uxores duorum fratrum defunctorum, privignus potest ducere filiam sui vitrici, vel novercæ, viduus suæ uxoris defunctæ novercam, vel privignam.

Resp. 2. Affinitas orta ex copula licita, seu maritali dirimit Matrimonium contrahendum à viro cum consanguineis defunctæ uxoris, & contrà contrahendum ab uxore cum consanguineis viri defuncti usque ad quartum gradum inclusivè; orta verò ex copula illicita, seu fornicatione, vel adulterio dirimit Matrimonium fornicarii, vel adulteri cum consanguineis mulieris carnaliter cognitæ usque ad secundum gradum tantùm inclusivè. Sic statuit *Trid. Sess.* 24. *Cap.* 4. restringens affinitatem ex copula illicita ad secundum gradum, ne, cùm fornicatio & frequens sit, & sæpe occulta, Matrimonia frequenter exponantur periculo nullitatis. Aliqui censent, consanguinitatem ortam ex generatione per copulam illicitam etiam à *Trid.* esse restrictam ad secundum gradum, eò quòd consanguinitas, & affinitas quoad Matrimonium æquiparentur, sed cùm *Trid.* non meminerit consanguinitatis, restrictio juris antiqui, utpote odiosa, non est amplianda ad eam proinde censendum, à *Trid.* circa consanguinitatem nihil est immutatum. 553. *Quousque dirimat?*

Resp. 3. Hoc impedimentum contrahitur etiam ab ignorante legem irritantem: nam imprimis contrahitur per copulam maritalem cum ignorantia etiam invincibili juris & facti, ùt 554. *Non juvat ignorantia.*

ùt fatentur omnes, deinde etiam per copulam illicitam, ùt habet communior & probabilior eum *Sanch.* quia affinitas, ex tali copula orta, est quædam inhabilitas ad Matrimonium, similis illi; quæ oritur ex copula matrimoniali, & universim inhabilitates incurruntur etiam ab ignorantibus legem, quando hæc non est primariò pœnalis, uti hic non est.

555. *Regula unica.* *Regula* autem pro dignoscendo gradu affinitatis hæc unica sufficit: in quo gradu aliquis uni conjugi, vel fornicario est consanguineus, in eo gradu affinis est alteri conjugi, vel fornicariæ, & contrà, v. g. soror uxoris est consanguinea uxori in primo gradu, consequenter marito in eodem gradu affinis lineæ obliquæ, pater mariti est huic consanguineus in primo gradu lineæ rectæ, proinde affinis illi in primo gradu ejusdem lineæ; avus in secundo, & ità de aliis: sicut enim in naturali consanguinitate considerari debet linea recta & obliqua; ità & hic. In linea recta ascendentes sunt socer, socrus, seu pater & mater uxoris, uti & vitricus, & noverca, prosocer, & prosocrus, descendentes sunt gener, seu maritus filiæ, nurus, seu uxor filii, progener, pronurus, privignus, privigna; in obliqua sunt reliqui consanguinei mariti, vel uxoris, ùt Levir frater mariti, glos soror mariti, sororius, seu maritus sororis, fratria uxor fratris. Ex dictis

556. *Corollarium.* *Colliges*, Qui contraxit Matrimonium invalidum, & id consummavit, duplex contraxit impedimentum, unum publicæ honestatis dirimens usque ad quartum, alterum affinitatis usque ad secundum gradum dirimens.

QUÆS-

QUÆSTIO XII.

Quæ ætas, & impotentia sit impedimentum dirimens Matrimonium, & quid in dubio?

Resp. 1. Ætas minor 14. annis in masculo, & minor annis 12. in fœmina, est impedimentum dirimens Matrimonium Jure Ecclesiastico, nisi malitia suppleat ætatem, id est, nisi contrahentes præter usum rationis jam habeant potentiam generandi. Constat ex *Cap. de Sponsal. impub.* & *ex Cap. Tua nobis.* Anni illi debent esse mathematicè completi, sicut aliàs, quando jura certam ætatem requirunt, nisi consuetudo legitima aliud habeat, vel annus ultimus tantum requiratur inchoatus, ut ad Parochiam annus 25. Vide La Croix L. 4. à N. 1001. Si malitia ætatem suppleat; non refert, quòd 4. vel 5. dies desiderentur. Dixi: *Jure Ecclesiastico*, quod præsumpsit ante illam ætatem adhuc adesse impotentiam, quæ tamen, cùm sit temporalis, jure naturæ subsisteret Matrimonium, si duæ personæ ratione utentes adhuc impotes Matrimonium contraherent. 557.

Resp. 2. Antecedens absoluta, & perpetua impotentia ad copulam, generationi prolis per se sufficientem, irritat Matrimonium jure etiam naturali, etsi se teneat à parte tantùm unius, sive proveniat ex naturali corporis constitutione, sive ex maleficio. *Ratio est*; tum quia quando est talis impotentia, consensus contrahentium procedit ex errore circa substantiam: intendunt enim dare, & acquirere jus mutuum in corpora, apta ad actum generationis; corpus verò tali laborans 558. *Dirimit impotentia antecedens perpetua.*

borans impotentiâ ad illum aptum nôn est; tum quia obligant se ad actum conjugalem prolificum, qui in tali casu est impossibilis: proinde ad eum jus transferri non potest.

Dixi 1. *Antecedens*: Nam cum impotentia, Matrimonium consequente, suus manet Matrimonio contracto valor, etsi tunc quandoque non liceat hujus usus. *Ratio 1ma partis est*; quia Matrimonium consummatum non est dissolubile, nisi per mortem unius saltem conjugis; ratum verò tantùm per professionem religiosam, & dispensationem. Et quamvis ad Matrimonium contrahendum requirantur corpora generationi apta, non tamen, ut jam contractum maneat: sicut licet ad Matrimonium validè contrahendum requiratur carentia affinitatis, non tamen ut contracto suus stet valor: nam staret hìc, si maritus copulam haberet cum consanguinea suæ uxoris in 2do gradu, & tamen oriretur affinitas. *Ratio 2da partis est*; quia si vir non possit mulieri per copulam semen communicare, sed semper extra fundatur; non licet tunc tentare copulam, nolensque abstinere incapax est absolutionis, quia sine spe perficiendi copulam profundere semen mortale est. Talibus tamen conjugibus *Sanch*, *Laym*, *Sporer*, *Krimer*, *Pichler*, & alii permittunt oscula, amplexus, & tactus, non impudicos, in signum amoris maritalis exercitos, modò absit periculum pollutionis, vel saltem consensus in illam. Negat tamen id *Henno*, eò quod talia conjugibus non liceant, nisi in quantum ordinantur ad copulam, & amoris maritalis exhibitio non possit ea cohonestare, nisi aliunde liceant.

Dixi 2. *Absoluta*, id est, respectu omnium: nam respectiva non obest valori Matrimonii cum

cum illa persona, respectu cujus non est impotentia: unde si mulier esset inepta ad copulam v.g. ob arctitudinem vasis genitalis, vir posset ducere aliam, si defectus ille sine periculo vitæ non possit tolli.

Dixi 3. *Perpetua*, id est, quæ sine miraculo, vel peccato, aut periculo mortis tolli non potest: nam temporalis, hoc est, quæ arte, vel medio naturali, vel spirituali, puta, Ecclesiæ exorcismis, orationibus, jejuniis &c. sine miraculo, & peccato tolli potest, non obest valori Matrimonii, etsi sit antecedens; quia ea laborans potest tradere corpus simpliciter aptum cum obligatione reddendi debitum, ubi cessaverit impotentia, teneretur tamen alteri parti eam, si diu duratura esset, aperire, aliàs injuriam faceret gravem. Quodsi impotentia judicata fuisset perpetua, adeoque separati conjuges, & impotentia postea per media ordinaria sine vitæ periculo tolleretur, deberent conjuges ad se redire; quia Matrimonium fuit validum: si autem judicatum fuisset posse tolli, & capto experimento constaret non posse, Matrimonium esset nullum.

Dixi 4. *Ad copulam generationi prolis sufficientem*: nam, si mulier recipiat semen intra matricem, etsi sterilis sit, vel soleat semen receptum effundere, non est impedimentum, licetque usus Matrimonii; quia habetur perfecta copula, estque per accidens semen receptum expelli, sicut per accidens est, quòd receptum à fœmina sterili non prolificet. Imò, si contracto Matrimonio superveniret præcisè impotentia generandi, v. g. vir privaretur utroque testiculo, adhuc illi liceret copula, & omnia aliis conjugibus concessa; quia adhuc

obtineretur secundarius finis Matrimonii, nempe remedium concupiscentiæ, quem in finem senibus copula licet. Vide *La Croix n.* 794. *& n.* 800 *& Krimer à n.* 1277. Ex his deduco

559. *Corollaria.* 1. Matrimonium validè nequit contrahere Eunuchus carens utroque testiculo; quia semen prolificum non habet, uti declaravit *Sixtus V.* 2. Qui attritum ità habet utrumque testiculum, ut verum semen non conficiatur. 3. Qui semen emittere non potest ob naturalem frigiditatem vel perpetuam corporis debilitatem; secùs est de viro ægrotante, vel carente uno tantùm testiculo. 4. Hermaphroditus potest validè contrahere Matrimonium secundùm sexum prævalentem; si neuter prævaleat, habet optionem, si eligeret debiliorem, valeret Matrimonium, si sit aptus ad copulam in eo; si tamen postea mutaretur sexus, ut copulam in eo, in quo contraxit, habere non posset, dissolveretur Matrimonium, non secùs, ac per mortem; quia nequit esse inter duas personas ejusdem sexûs. 5. Validè contrahunt senes decrepiti, si per media incalescere possint ad copulam, secùs invalidè; quia impotentia est perpetua. Jungit quidem Ecclesia quoscunque senes; quia supponit potentiam, quam ordinariè non aufert sola senectus. 6. Validè contrahit moribundus, etiam morti proximus; qui aut potentia non est destructa, aut impotentia non est ex genere suo, & modo perpetua; imò talis tenetur contrahere, si fama matris, aut prolis legitimatio id exigat. 7. Validè contrahit mulier, quæ nequit parere sine periculo vitæ suæ, vel prolis; quia est apta ad copulam. Idem dic

de

de muliere semper abortum patiente. Talis tamen teneretur ex charitate erga prolem in originali morituram abstinere à Matrimonio novo contrahendo, aut consummando, nisi salus ejus aut mariti periclitaretur.

Quomodo tolli possit impotentia ex maleficio, tradit *Sanch. L. 7. D. 96. Schmalzgr. tit. de frigidis N. 21.* Signum, esse ex maleficio, est, si vir, qui incalescit ad alias mulieres, aut ad pollutionem in somno, frigescat ad suam, aliàs dilectam, aut si mulier subitò arctetur ad accessum viri sui, alioquin dilecti.

Resp. 3. Si Matrimonio contracto oriatur dubium, an impotentia sit antecedens, aut antecedens perpetua, conceditur à jure *Cap. Laudabili de frigidus*, per triennium usus Matrimonii ad experiendum; debet autem tempus illud computari à die attentatæ copulæ, quæ citato capite supponitur à tempore celebrati conjugii attentata. Quodsi ob absentiam, infirmitatem, aliudve impedimentum non fuisset tempore triennii capta sufficiens experientia, aut si impotentia sit ex maleficio, aut media spiritualia non fuissent sufficienter adhibita; possent conjuges ulteriùs experiri. Ubi sufficiens experimentum sumptum est, & Matrimonii consummatio apparet impossibilis, hoc authoritate Judicis, ne detur scandalum, invalidum declarandum est, & conjuges separandi, nisi velint cohabitare, ut frater, & soror; id enim, si absit periculum, possent, iis tamen plus quoad oscula, tactus &c. non liceret, quàm solutis aliis. Vide *La Croix N. 787. 788. 803.* 560. *Quid in dubio, matrimonio jam contracto?*

An

561. *Quid, si sit contrahendum?* An autem dubius de impotentia perpetua possit licitè contrahere Matrimonium, dubium est. Ratio negandi est; quia Sacramentum exponitur periculo nullitatis. Ratio affirmandi est 1mò; quia quisque est in possessione potentiæ, quæ communiter adesse præsumitur, donec probetur deesse. 2dò. Potest alteram partem monere, sique consentiat, non fit ei injuria. Irreverentia autem Sacramenti vitari potest, si sub conditione capacitatis contrahant; sique deinde tentent copulam, putant aliqui non peccaturos, sicut non peccant, qui dubio post Matrimonium contractum superveniente, tentando copulam non peccant, sique elapso triennio separentur, permittuntur aliud Matrimonium contrahere, etsi certi non sint de potentia habendi copulam in alio Matrimonio. Præterea est specialis ratio circa hoc impedimentum: nam si spes consumandi Matrimonium non sufficeret ad id licitè contrahendum, conjugia essent plena incertitudine, quique diu castissimè vixerunt, non auderent illud inire: quia merito timere possunt, ne illud consummare non valeant, dein hoc dubium vinci non potest, nisi per copulam in Matrimonio, cùm fornicatio, & pollutio non liceant, & in hoc impedimento Ecclesia dispensare non possit: hinc lex naturalis videtur permittere, tum contrahi Matrimonium, & lex positiva post contractum concedit triennium ad experiendum. Ità ferè *La Croix N.* 795. qui tamen nihil decidit. Çur tales non peccent, ratio ulterior esse potest; quia non est periculum prolis malè educandæ, incertitudinisque parentum, & fingendi casus, in quibus liceat fornicatio. Dein quilibet est in pos-

possessione juris, nisi probetur contrarium, nec est obligatio sequendi tutiorem, ubi nimia est difficultas.

QUÆSTIO XIII.

Quæ Matrimonia sunt clandestina, ideoque invalida?

Resp. 1. Matrimonia clandestina sunt, quæ contrahuntur sine Parochi, vel alterius de ejus licentia Sacerdotis, & duorum, vel trium testium præsentia, ideoque dicuntur non fieri in facie Ecclesiæ ex *Trid. Sess.* 24. *Cap.* 1. *de Reformatione Matrimonii.* Nomine Parochi venit non tantùm, qui in certa particulari Ecclesia curam primariam animarum ex officio authoritate Episcopi habet seu perpetuam, seu temporalem, & vicariam; sed etiam ipse Episcopus, Abbas Ecclesiæ nulli alteri Ecclesiæ subditæ respectu eorum, in quos spiritualem habet jurisdictionem, Cardinalis in Ecclesia sui tituli, Legatus Apostolicus in Provincia suæ legationis, Vicarius Generalis Episcopi, Capitulum Sede vacante, Archi-Episcopus actu visitans in Diœcesibus suorum Suffraganeorum: unde hi omnes possunt suorum subditorum Matrimoniis assistere, vel alteri licentiam Sacerdoti dare. 562. *Clandestinitas.*

Resp. 2. Matrimonia clandestina non tantùm sunt illicita, sed ubi lex *Trid.* est promulgata, & viget, etiam saltem inter Catholicos regulariter invalida, etsi lex irritans invincibiliter ignoretur, aut adesset causa gravis urgens contrahendi, *Trid.* enim *Sess.* 24. *Cap.* 1. *de Reform. Matrim.* postquam dixisset Ma- 563. *Obstat valori.*

Matrimonia clandestina, libero consensu facta, rata & vera esse Matrimonia, quàm diu Ecclesia ea irrita non fecit, nihilominus Ecclesiam Dei ex justissimis causis semper fuisse detestatam, & prohibuisse, sic habet: *Qui aliter, quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus testibus* Matrimonium *sic contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad contrahendum omninò inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, & annullat.*

Dixi 1. *Ubi Lex Trid. est promulgata:* nam ubi promulgata non est, valida sunt Matrimonia clandestina: voluit enim Trid. suum decretum promulgari in singulis Parochiis, decrevitque, ut in unaquaque Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, à die primæ Publicationis, in eadem Parochia factæ, numerandos. Excipe, nisi sponsi incolæ loci, ubi Tridentinum viget, exirent cum animo contrahendi ad locum, ubi non est receptum, ibique contraherent clandestine cum animo ad suum locum redeundi; tunc enim contraherent invalidè, uti & cum tali animo transeuntes per locum, ubi decretum non est promulgatum, retinentes domicilium in loco, in quo est promulgatum, secùs esset, si transferrent domicilium, etsi solo animo, ut ibi clandestine contraherent. Sumitur ex *declaratione Cardinalium Concilii Trid. Interpretum* per Breve, quod extat apud *La Croix lib. 6. P. 3. N.* 712. ab Urbano VIII. confirmatum, & non solùm in Coloniensi Archi Diœcesi, sed etiam, teste *Pichler*, in aliis Germaniæ Diœcesibus receptum.

His

His non obstantibus valeret Matrimonium. 1mo. Si vagi in tali loco clandestine contraherent; quia nullibi habent domicilium, & contractus regulantur legibus loci: unde si sponsi, non vagi, ambo spectarent ad locum, ubi Trid. non est promulgatum, contraherentque; ubi est promulgatum clandestine, invalidè contraherent, imò & coram Parocho loci; quia non est proprius eorum Parochus. 2dò valeret, si unus tantùm esset incola loci in quo Trid. est promulgatum, & se conferret ad locum, ubi non est promulgatum, cujus incola foret v. g. sponsa, etsi animo contrahendi eò se conferret. 3. Si negotii causâ, & alio ex fine, quàm animo contrahendi adirent talem locum, probabiliter ibi validè clam contraherent; quia peregrini validè celebrant contractus juxta leges loci, uti habet communior apud *Schmalzgr. Tit. de Cland. de Despons. N.* 110. *ex Cap. Finali de foro Comp.*

Nec obstat 1mò, quòd illa declaratio non videatur satis promulgata: Nam Lex Trid. est promulgata, declaravitque Pontifex ea ligari incolas, qui eo fine exeunt ex loco sui domicilii, ut clam contrahant: declaratio autem illa satis constat, & nova lex non est. *Nec obstat 2dò.* Quòd contractus regulentur legibus loci, adeoque sic exeuntes videantur validè contrahere, ubi Trid. non est receptum: nam id verum est, nisi obstet lex; hìc autem obstat, Lex Trid. inhabilitans personas eo fine exeuntes; non vero si alio fine exeant.

Dixi 2. *Inter Catholicos*: Nam de Hæreticis limitatio adhibenda est secundùm dicenda N. 614.

Dixi 3. *Saltem regulariter sunt invalida*: Nam

Nam valet Matrimonium sine præsentia Parochi, ubi communiter Trid. observari non potest; quia lex non obligat in tali casu. Sic valet primo in loco, ubi non sunt Parochi, vel si sint, latent metu hæreticorum, vel difficilis, aut periculosus est ad eos, vel Episcopum accessus: tunc enim duo testes sufficerent, atque ità declarâsse fertur *Clemens VIII. Greg. XIII. & Congregatio Cardinal. A.* 1603. scribens ad Episcopum Philippensem: 2do, si in loco apud hæreticos posset quidem accedi Parochus, sed vel ipse comparere, vel contracturi eum accedere non possent sine periculo mortis, exilii, vel enormis mulctæ, valeret Matrimonium sine præsentia Parochi, imò & testium si sine periculo gravis mali adhiberi non possent. Idem est de Christianis inter Turcas, vel alios infideles captivis, vel mercatoribus, etsi in eorum patria promulgatum sit Trid. ipsique habeant animum ad eam redeundi; quia respectu illorum vel non sunt, vel latent Parochi. 3. Si Acatholici uxor ex invalido Matrimonio convertatur ad fidem Catholicam, & maritus nolit renovare consensum coram Parocho Catholico, ipsi minans, quòd vel illam, vel hunc velit prodere Judici Acatholico &c. Vide *La Croix N.* 780.

Dixi 3. *Etsi lex irritans invincibiliter ignoraretur*; quia ignorantia talis non supplet defectum solennitatis intrinsecæ, & essentialis contractûs, neque lex illa irritans est principaliter pœnalis, sed inhabilitans propter bonum commune, ut vitentur peccata, & fraudes.

Dixi 4. *Aut adesset causa gravis urgens contrahendi*; puta, ubi Pastores communiter adiri pos-

possunt; quia lex irritans non recipit Epiikiam dum aliquid ad substantiam actûs requirit, nisi alicubi communiter observari non possit. Patet in impedimento consanguinitatis &c. Unde si Parochus loci casu abesset, concubinarius habens proles illegitimas, non posset validè cum concubina contrahere Matrimonium jam moriturus ad legitimandas proles, ùt habet communis contra Sotum, & alios apud Mastrium hìc N. 44. aliud est de lege merè prohibente, vel præcipiente: hæc enim Epiikiam patitur, ubi est gravis causa. *Nec juvat*, quòd Matrimonia clandestina ex justâ causâ olim fuerint licita, Concilium autem Trident. inhæreat vestigiis Concil. Lateranensis, & videatur loqui de Matrimoniis tantùm illicitis, quæ detestata semper fuit Ecclesia: nam Trident. cùm ponat solennitatem tanquam formam substantialem, loquitur de omnibus, & non inhæret Lateranensi quoad omnia.

Quæres, in quibus locis decretum Trid. sit promulgatum? Resp. Est promulgatum in Hispania, Lusitania, Italia, Germaniæ tunc adhuc Catholicæ locis, in Hollandia, Zelandia, Frisia, aliisque fœderatis Belgii provinciis. Item in Gallia, non quidem primis, posterioribus tamen temporibus nempe Anno 1602. ùt ostendit *Less. in Auctuario*, verbo *Sponsalia.* In Hungaria, & Silesia teste *Kugler de Matrim. N.* 289. Econtra certò promulgatum non in Anglia, Hybernia, & Scotia; quia Henricus Octavus defecit à fide Anno 1532. Sessio autem Trid. in qua emanavit decretum, habita est Anno 1563. In Saxonia, Suetia, Pomerania, Dania non est promulgatum teste *Wex. Neusser, Kugler*, *Pichler* idem dicunt de Borussia, Po- 564. *Ubi Trid. decretum est promulgatum.*

lonia ; Porrò promulgatio debet esse facta in Parochia, in qua contrahitur, & quidem tanquam legis supremæ potestatis Ecclesiasticæ : unde ubi nunquam fuit Parochia, non obligat. In dubio an promulgatio facta sit, lex non obligat. Si tamen alicubi observetur, præsumitur promulgata. Similiter, si usu contrario, vel consuetudine lex sit abrogata, non ligat ; si autem sit promulgata, & dubitetur, an sit recepta, præsumitur recepta.

Quid veniat nomine parochiæ Porrò per parochiam non venit locus sacræ ædis, sed certa communitas fidelium, congregata sub uno Pastore, obligato ad verbum Dei, & Sacramenta illis administranda : nam sacra Congregatio Concilii Senatui Coloniensi interroganti, an menti Trid. satisfactum esset per decreti publicationem non in Ecclesia Parochiali, sed voce Præconis in platea civitatis ? Respondit affirmativè, ùt refert Card. Bellarminus in M. S. annotationibus ad *Sess.* 24. *Cap.* 1. ejusdem Concilii, teste Ægidio Giulii in libello, cui titulus : *S. D. N. Benedicti XIV. Declaratio* Pag. 239.

QUÆSTIO XIV.

Quis possit dispensare in impedimentis Matrimonii ?

565. *Non potest in dirimentibus jure naturæ Papa.* Resp. 1. Nec Summus Pontifex dispensare potest in impedimentis, jure naturæ Matrimonium dirimentibus, qualia secundùm dicta sunt error substantialis, ligamen, impotentia absoluta, & perpetua ; consanguinitas in quibusdam lineæ rectæ gradibus, & fortè in primo gradu lineæ obliquæ : nam lex naturæ non subest

est potestati Pontificis, sed necessariò lata est, sic exigente recto ordine in Repub. rationali, neque potest Pontifex supplere consensum, ad essentiam Matrimonii necessarium, aut facere ut transferatur jus matrimoniale in corpora adusum inepta.

Resp. 2. Potest dispensare Pontifex in omnibus impedimentis, Matrimonium solo jure Ecclesiastico dirimentibus: nam illa impedimenta statuta sunt vel à Pontifice cum Conciliis, vel à solis Pontificibus, Pontifex autem in potestate æqualis est antecessoribus suis cum Conciliis: hinc dispensare potest in omni jure humano, & Apostolico. 566. *Papa in dirimentibus jure positivo tantùm potest.*

Resp. 3. Etsi possint Episcopi dispensare ex consuetudine in impedimentis, solùm impedientibus Matrimonium, excepto voto perfecto, & absoluto perpetuæ castitatis, voto ingrediendi Religionem, Impedimento orto ex sponsalibus, cùm agatur de præjudicio tertii; non possunt tamen, per se loquendo, in impedimentis jure Ecclesiastico dirimentibus, ubi agitur de Matrimonio contrahendo. *Ratio est*; quia inferior non potest, per se loquendo, dispensare in lege Superioris. 567. *Episcopus pro matrimonio contrahendo.*

Dixi: *Per se loquendo:* Nam potest dispensare, quando est urgentissima necessitas salutis animæ, & non est aditus ad Papam, vel ejus delegatum, qui possit dispensare, vel in mora est periculum incontinentiæ, gravis infamiæ, vel scandali: in tali enim casu posse Episcopum dispensare in legibus Pontificis est recepta, & communis apud Theologos, & Canonistas sententia. 1mò. Quia non est credibile, quòd Pontifex, concessam sibi à Christo facultatem in salutem animarum, velit in earum ruinam esse re-

ſtrictam, & cùm graviſſimi A.A. ità præſumant de mente Pontificis, hocque ei conſtet, moraliter certum eſt locum habere Epiikiam. 2. Certum eſt, quòd conſuetudo det jurisdictionem, uti habent jura apud *LaCroix L. 6. P. 1 N. 117.* quòd lex aliter non obliget, quàm ùt fert communis ſenſus, & uſus; jam verò Epiſcopi ſolent diſpenſare, non contradicente Pontifice; ergo moraliter certum eſt id eos poſſe. 3. Poſſunt Epiſcopi poſt Matrimonium, contractum bonâ fide, diſpenſare conformiter dicendis ob bonum commune, & ſalutem animarum, ne homines ſalutari remedio deſtituantur; ante Matrimonium autem poteſt eſſe eadem neceſſitas.

Dixi: *Si non ſit aditus ad Papam, vel ejus Legatum*: Nam, ſi hic ſpecialem facultatem habet, & caſus patiatur moram, ad eum recurrendum eſt ſecundùm *La Croix*, cùm Epiſcopus tantùm poſſit diſpenſare pro caſu neceſſitatis. Vide tamen dicta P. 1. N. 244. Si autem Legatus diſpenſandi ſpecialem facultatem non habeat, diſpenſare poterit Epiſcopus.

568\. *Epiſcopus pro matrimonio invalidè contracto, validando.* Reſp. 4. Quando Matrimonium bonâ fide contractum eſt, præmiſſis denuntiationibus in facie Eccleſiæ, poteſt Epiſcopus pro foro conſcientiæ tantùm diſpenſare in impedimento occulto quando hæc concurrunt. 1mò. Si Matrimonium ſit publicum. 2. Si in ſeparatione eſſet ſcandalum. 3. Si non ſit facilis aditus ad Papam ob paupertatem, periculum peccatorum in tanta dilatione, aliamve cauſam gravem. Ità plurimi apud *La Croix N. 835.* Et in hoc caſu poteſt diſpenſare etiam in primo gradu affinitatis; quia ſic exigit ſalus animarum, habetque conſuetudo Epiſcoporum Pontifici nota.

Dixi 1. *Præmiſſis denuntiationibus, & bonâ fide*

fide : Nam *Trid. Sess.* 24. *Cap.* 5. *de Reform. Matrim.* à spe dispensationis excludit ignorantem etiam impedimentum, qui cum eo contraxerit, si solemnitates requisitas neglexerit. Porrò malâ fide hic conjuges contrahunt Matrimonium quando sciunt se ligari impedimento. Secùs si ignorent ignorantiâ etiam vincibili, & crassâ; quia Concilium dicit: *Qui scienter præsumpserit.*

Dixi 2. *In impedimento occulto* : Nam in publico dispensare non potest; nisi, ùt tenet *Gobat*, *Perez*, & alii, quando separatio fieri non potest sine gravi damno, vel ob paupertatem adiri non potest Papa, vel ubi expensæ dari non possunt pro dispensatione, & conjuges sine infamia, aut ingenti difficultate separari non possunt. Quando crimen vel impedimentum censetur occultum, vel publicum dixi P. 1. N. 286. P. 3. N. 409. In Append. N. 6. N. M. 11. quibus adde: etsi actus sit publicus, si tamen non sit publicus, & impedimentum, hoc censeatur adhuc occultum, si sit publicum in uno loco non in alio, nec sit periculum; proximum ne in hoc innotescat probabiliter in hoc adhuc censetur occultum. La Croix hic N. 873. Si sit factum in loco publico v. g. in foro, vel celebri platea, est publicum, etsi per accidens non multi viderint. Less.

Resp. 5. Quando ex consuetudine concessa est Episcopo potestas dispensandi, potest in quocunque impedimento juris tantùm Ecclesiastici dispensare, in quo solet dispensare Pontifex, excepto impedimento criminis, in quo alteruter est machinatus mortem conjugis. *La Croix N.* 837. 569.

An in omnibus in quibus Papa?

Dixi : *In quo solet Pontifex dispensare* : Non solet autem dispensare etiam in quarto gradu, quando una pars contrahere cupientium est acatholica, nisi actu sit conversa, eti[illegible]d sit gra-

vis necessitas: nec in impedimento ex ordine sacro, voto solenni, & clandestinitatis; *Ratio est*; quia Episcopus, & Legatus ejus non dispensant in necessitate, nisi ex præsumpta licentia; quæ in eo casu præsumi non potest.

570. *Episcoporum Germaniæ specialis facultas*

Resp. Episcopi Germaniæ cum legitima causa extra necessitatem ex facultate extraordinaria, ad quinquennium concedi solita, dispensare possunt 1mò in 3tio, & 4to gradu simplici, & mixto cum tertio, non in tertio mixto cum secundo; tantùm cum pauperibus pro Matrimonio contrahendo; in contracto verò cum hæreticis conversis etiam in secundo simplici, & mixto dummodo non attingat gradum primum, & in his casibus prolem declarandi legitimam; non tamen cum pauperibus hæreticis nondum conversis. *La Croix N.* 864. 2. Etiam cum divitibus in impedimento publicæ honestatis ex sponsalibus proveniente, sine præjudicio tamen alterius. 3. In impedimento criminis, neutro tamen conjugum morte machinante, ac restituere amissum jus petendi debitum. 4. In impedimento cognationis spiritualis, præterquam levantem inter & levatum. Hæ tamen facultates non conceduntur, si mulier rapta sit, & adhuc existat in potestate raptoris. Vide *La Croix* 846. ubi alias Episcoporum Germaniæ facultates refert. Dubium est, an Episcopus, potens dispensare in singulis impedimentis, v.g. ex incestu, & adulterio seorsim, possit, si utrumque concurrat: negat communis teste *La Croix N.* 920. Vide tamen *Sanch. L.* 8 *D.* 2. *& N.* 27. Alias facultates Episcoporum Germaniæ Vide in N. C. Appendice N. 69.

571. *Nuntius Apostolicus.*

Resp. 7. Nuntius Apostolicus, etiam Legatus à latere, non potest ordinariè dispensare in impedimentis Matrimonii. *Ratio est*; quia ex communi

muni doctrina Legatus in provincia, sibi commissa, ea solùm potest circa dispensationes, quæ Episcopus potest in sua Diœcesi. Proinde, sicut Episcopus solùm potest dispensare in necessitate, sic & Legatus; si tamen in casu particulari dubium sit, an opus sit dispensatione; potest ipse sicut & Episcopus declarare ea opus non esse; quia quando est dubium juris, libertas est in possessione, & dispensatio non requiritur.

Dixi: *Ordinariè:* Nam & Nuntius Apostolicus solet habere facultates extraordinarias, quas habet solet Episcopus, & insuper alias, quas refert. *La Croix N.* 832.

572. *Vicarius Generalis & Capitulum.* Resp. 8. Vicarius Generalis Episcopi non potest dispensare in impedimentis absque speciali commissione. Ità *Leuren in Vicario q.* 119. & alii. Vide tamen *La Croix N.* 885. & N. 886. ubi cum aliis ipsi oppositum videtur probabile. Cæterùm solent Episcopi suos Vicarios instruere omni facultate dispensandi, quam habent ipsi. Econtra Capitulum, Sede vacante, potest dispensare, utì jure ordinario poterat Episcopus; quia repræsentat Defuncti personam. Non in aliis *La Croix N.* 888. qui & *à N.* 891. refert sententias de potestate dispensandi Regularium mendicantium.

573. *Sponsus & sponsa ex diversis Diœcesibus.* *Petes*, an si sponsus, & sponsa consanguinei v. g. in 3tio gradu sint ex diversis Diœcesibus, v. g. sponsus ex Trevirensi, & sponsa ex Moguntina, sufficiat dispensatio unius à suo Episcopo? Resp. Sufficit, quia consanguinitate, utpote forma relativa, ab uno moraliter sublata, utì aufertur per dispensationem in ordine ad Matrimonium, indivisibiliter aufertur ab altero, sicut, sublatâ ab uno albo pariete albedine, indivisibiliter aufertur similitudo cum altero albo. Est enim

nim impossibile, ut Titius sit consanguineus Cajo non consanguineo: & hinc si sponsus sit in quinto, & sponsa in quarto gradu consanguinitatis, non est consanguinitas dirimens Matrimonium. Aliud foret, si haberent impedimenta divisibiliter impedientia, v. g. si uterque haberet votum castitatis: tum enim uterque indigeret dispensatione à suo Episcopo; quia, uno sublato, non tolleretur alterum. Similiter si duobus Religiosis ex diversis Monasteriis interdictum esset, ne sint socii in itinere, si cum uno dispensaretur, non ideo dispensatum esset cum altero; quia sicut uni potuisset interdici, & non alteri, sic ab uno posset tolli prohibitionis vinculum, & non ab altero: unde cùm Episcopus possit dispensare cum vagis, se ipsi subjicientibus pro auferendo impedimento; sufficit, quòd unus sit vagus, quia concomitanter habilitatur alter.

QUÆSTIO XV.

An, & quæ causæ requirantur ad validam, & licitam dispensationem in impedimentis Matrimonii?

574. *Papa validè sine causa.* Resp. 1. Pontifex validè dispensat in impedimentis juris tantùm Ecclesiastici absque ulla causa; quia leges Ecclesiasticæ pendent à libera ejus voluntate in fieri, & conservari, secùs est de dispensatione in lege divina; quia in ea dispensat, ùt Minister inferior, ex potestate clavium ei data in ædificationem, & non in destructionem; si tamen in lege propria dispensaret sine causa, peccaret saltem venialiter secundùm dicta. 1. P. N. 239.

Resp.

Resp. 2. Causæ justæ dispensandi in impedimentis dirimentibus sunt hæ : 1*ma*. Extinctio gravis discordiæ inter consanguineos, & affines. 2*da*. Defectus conjugis pro conveniente Matrimonio extra consanguineos, & affines : expedit enim, ut Matrimonia ineantur inter pares ; æqualitas autem conjugii consistit in paritate generis, divitiarum, ac morum congruentia, ne perpetua sit dissensio inter conjuges. 3*tia* est defectus dotis competentis ratione cujus fœmina non potest invenire sponsum se dignum, nisi inter propinquos. 4*ta* est conservatio divitiarum in eadem familia amplissima ; quia Reipublicæ expedit magnas familias in suo statu conservari. 5*ta est* conservatio magnæ, & illustris familiæ intra eundem sanguinem, maximè si caput familiæ aliàs perituræ esset fœmina. 6*ta* est excellentia meritorum in Ecclesiam, utì si quis se strenuè gessit contra infideles. 7*ma* est proles suscepta ex Matrimonio, bonâ fide inito. Item Matrimonium, præmissis denuntiationibus in facie Ecclesiæ bonâ fide contractum. 8*va* est pietas, ùt si detur notabilis summa ad opus pium. Hæc causa sufficiens habetur ad dispensandum in gradibus non ità propinquis. 9*na* est angustia loci, id est, si fœmina in loco originis, vel domicilii non inveniat sponsum æqualem, aut sibi aptum ad Matrimonium, nisi impeditum ; quia fœminæ durum est deserere locum originis, vel domicilii, vel nubere impari, aut sibi non apto. 10*ma*. Si puella sit superadulta, seu excedens 24. annum, nec potuerit, & adhuc non possit invenire sponsum paris conditionis. Recipitur etiam hæc causa in gradibus propinquioribus. 11*ma* est hæresis, utì si in illo loco sint multi hæretici, sponsi verò Catholici, & periculum sit,

575. Causa justa dispensandi in impedimentis dirimentibus.

ne fortè jungantur non probatæ fidei. 12ma. Evitatio scandali, ùt si ex fragilitate se cognoverint, vel ob nimiam familiaritatem de hoc sit sermo, vel suspicio vulgi, ità, ut si huic non nubat fœmina, mansura sit infamata, vel innupta. Si hæc causa non adsit, ordinariè non dispensatur in forma pauperum. Porrò quantò gradus consanguinitatis, vel affinitatis est propinquior, eò gravior causa requiritur; plures tamen aggregatæ sufficere possunt quarum singulæ non sufficerent.

576. *In impedientibus tantùm.* Resp. 3. Causæ legitimæ dispensandi in impedientibus sunt 1mò Spes pacis inter consanguineos, vel affines. 2. Si materia voti simplicis facta sit periculosa voventi ob occasionem, moraliter inevitabilem, vel ob fragilitatem, vel ob graves scrupulos. Graves tamen stimuli carnis non probant justam causam in eo voto dispensandi, sicut nec periculum unius, alteriusve lapsûs, sed frequens lapsus; quia sunt alia media domandi carnem, & cavendi unum alterumve lapsum. 3. Si timeatur, ne prior sponsa sponso futura sit occasio peccandi, aut si ex Matrimonio cum altera speretur extinctio gravium discordiarum, potest esse causa justa dispensandi in impedimento impediente orto ex sponsalibus.

577. *Quando causa debeat existere?* Porrò, ut dispensatio sit valida, debet causa finalis, seu motiva subsistere, quando dispensatio conceditur: unde si dispenset Pontifex, debet esse vera, quando ipse dispensat, non ante: si autem committat dispensationem Ordinario, vel Confessario, debet subsistere, quando hic dispensat, sufficitque, etsi, dum Pontifex commissionem dedit, non substiterit. Si tamen cesset causa, antequam dispensatio executioni mandetur, v. g. ineatur Matrimonium, probabiliter

adhuc

adhuc potest procedi ad executionem. Vide *P.* 1. *N.* 249. ubi & *N.* 239. dixi, quâ ratione requiratur examen causæ, si inferior dispenset. Item sub N. 247. non obesse dispensationi, si erretur in nomine dispensandi, quia dispensatio datur personæ ob merita causæ, nisi tamen supplicans in petitione expressus, per errorem esset notus dispensanti, & hic dispensationem in illius gratiam concederet; tunc enim intentio ad illam personam restringeretur. Quodsi erraretur in Diœcesi v. g. Cajus Diœcesis Moguntinæ peteret dispensationem, & pro Moguntina scriberetur Trevirensis, hujusque Ordinario committeretur dispensatio, non posset hic dispensationem exequi; quia Pontifex intendit dispensationem committere Ordinario impetrantis. Non posset etiam Moguntinus dispensationem exequi, quia impetrans dicendo, se esse Diœcesis Trevirensis, æquivalenter petit dispensationem exequendam dari Trevirensi; huic autem Pontifex dare non voluit, qui non censetur error in nomine. 578. *Errores circa dispensationem.*

QUÆSTIO XVI.

Quænam sint exprimenda in petitione dispensationis in impedimentis.

Resp. 1. Sequentia 1. Quando sunt plura impedimenta diversæ rationis v. g. consanguinitatis, affinitatis, & publicæ honestatis, omnia sunt exprimenda cum gradu. *Ratio est*; quia, quò plura sunt impedimenta, & quò gradus est conjunctior, eò difficiliùs obtinetur dispensatio, causæque exiguntur graviores: & universim dispensatio non tantum vitiatur, quando exprimi- 579. *Exprimendū impedimentum duplex.*

tur

tur falsum, sed etiam, quando tacetur verum, si spectent ad motivum dispensandi. Idem tenet communior, si impedimenta sint ejusdem rationis: utì si volens ducere Cajam peccâsset cum duabus ejus sororibus, vel esset cognatus ex parte patris, & ex parte matris.

Hinc 1. Invalida est dispensatio, si petens erret in gradu v. g. exponendo gradum inferiorem pro superiore; quia superior in inferiore nec formaliter, nec æquivalenter continetur.

2. Si erret in gradibus diversæ speciei v. g. ponendo secundum consanguinitatis pro tertio affinitatis; quia inferior tacitus non continetur in superiore expresso, & in dispensatione non valet argumentatio à majore ad minus, nisi minus includatur in majore expresso.

3. Si quod certò pertinet ad causam finalem, ponatur sub dubio; quia certo ad eam pertinens magìs retrahit mentem dispensantis.

4. Si non exprimatur, quòd dispensatio cedat in præjudicium tertii: dispensans enim non censetur huic tertio velle præjudicare.

5. Valet dispensatio, si petens erret exponendo gradum superiorem ejusdem rationis pro inferiore v. g. secundum gradum consanguinitatis pro tertio, vel tertium pro quarto; quia minor ejusdem rationis continetur in superiore, & dis-

580. pensans in superiore ejusdem rationis dispensat in inferiore.

Exprimendus etiam est gradus propinquior

Resp. 2. Juxta declarationem *Pii V.* anno 1566. 20. Augusti. si consanguinei, vel affines distent diverso gradu, extra primum tamen, à communi stipite, sufficit quidem exprimere remotiorem; si tamen impedimentum sit publicum

cum, pro foro externo impetrandæ sunt literæ declaratoriæ, non obstare gradum proximiorem, ut vitentur scandala. Imò dicitur hodie esse stylus Curiæ Romanæ, ut exprimatur gradus etiam propinquior. Quod certum est, si petatur dispensatio ab Episcopo, vel Nuntio Apostolico: hi enim in secundo non possunt dispensare, si mixtus sit cum primo. Addi debet insuper, an impedimentum sit occultum, an pro contracto, vel contrahendo Matrimonio, an in gradu lineæ rectæ, vel obliquæ, an sequantur scandala, si separentur, vel non contrahant; an sit periculum infamiæ, vitæ; an impedimentum sit utrique notum, vel uni tantùm; an uterque sit in bona fide; an affinitas sit ex copula licita, vel illicita, an Oratores sint in gradu æquali, vel inæquali?

Resp. 3. In petitione dispensationis in cognatione spirituali, exprimendum est, à quo tempore sit contracta, an cum prole spirituali, vel cum ejus parente Matrimonium sit contrahendum. An impedimentum sit notorium, an sit duplex compaternitas, ut si Titius prolem Cajæ, & Caja Titii prolem in Baptismo levâsset. Item juxta aliquos, an cognatio sit orta ex Baptismo, sicque sit quasi generatio, an verò ex Confirmatione. Item exprimenda sunt incommoda, quæ sequerentur, si Matrimonium non contrahant. Si dispensatio petatur in impedimento criminis, exprimi debet, an sit ex adulterio vel machinatione mortis, vel ex utroque, à quo tempore sit contractum, an machinatus sit uterque &c. Si autem concurrat publica honestas, & affinitas ex copula licita, satis est exprimere affinitatem cum consanguinitate uxoris; quia in tali affinitate includitur publica honestas; non sufficit

581. *Et persona, cũ qua sit cognatio spiritualis.*

sufficit tamen exprimere nudè affinitatem ; quia nudè accepta non includit publicam honestatem ; cùm possit esse ex copula fornicaria, quo casu non continet publicam honestatem.

582. *An publica honestas sit ex sponsalibus, vel matrimonio rato?* Resp. 4. Quando petitur dispensatio in primo gradu publicæ honestatis, explicandum est, an proveniat ex Matrimonio rato, an ex Sponsalibus ; quia multò difficiliùs dispensatur in proveniente ex Matrimonio rato, quàm in proveniente ex Sponsalibus. Ob eandem rationem, si inter aliquos concurrant impedimenta plura diversæ rationis, omnia explicanda sunt simul in eodem libello : plura enim in eadem persona majorem indecentiam important, & Papa sæpe non dispensaret, si sciret, pluribus eandem personam impediri. *Excipe* tamen, si pro singulis essent causæ sufficientes, & aliquod ex his impedimentis esset occultum, nec sine infamia posset publicari : ùt, si quis cuperet ducere cognatam suam, cujus sororem cognovisset, hocque occultum esset ; hoc enim casu posset a Papa primò petere dispensationem in cognatione, affinitate non expressâ, & dein à Sacra Pœnitentiaria dispensationem in affinitate occulta, simul tamen explicando, Pontificem dispensâsse in consanguinitate. *Ratio hujus est* ; quia non videtur consentaneum pietati Pontificis, utpote Patris, obligare filium ad se, & proximum diffamandum.

583. *Quid, si consanguineâ carnaliter cognoverit?* Resp. 5. Qui petit dispensationem, ut cognitam à se consanguineam, vel affinem ducat, & non exprimit copulam, invalida est dispensatio juxta *Sanch.* & alios ; valida juxta *Krimer* & alios ; quia, si copulam expressisset, dispen-

dispensatio fuisset facilior. *Nec obstat* stylus Curiæ contrarius, quando non est confirmatus Pontificis decreto, quod non exstat. Si tamen copula incesta esset notoria: exprimenda foret.

Resp. 6. Si Papa committat Ordinario dispensationem sub hac clausula: *Si non intervenerit copula*, tum si dispensandum sit pro foro externo, & copula sit occulta, probabiliter valet dispensatio, etsi Orator neget copulam; quia Ordinario commissa est dispensatio pro foro externo; ergo pro hoc valet, modò non constet de copula in foro externo: si autem dispensatio commissa sit pro foro conscientiæ, ùt fit, si committatur Parocho, vel alteri viro discreto, dispensatio erit nulla, si copula intervenerit; quia tunc commissio fit, ut dispensetur dependenter à veritate secundùm se. Quodsi copula sit habita post impetratam dispensationem, ejusque executionem Ordinario commissam dispensatio probabiliter potest validè executioni dari; quia impedimentum jam sublatum est. Ità *Nav. Gobat. Krimer* Num. 1139. Si autem Papa non dispensaverit, sed dispensationem commiserit alteri in Partibus faciendam; *si inveniantur preces niti veritate*, & copula interveniat, priusquam sit dispensatum, Commissarius non videtur posse procedere ad dispensationem, saltem si copula sit notoria, & dispensandum in foro externo. Vide *Gobat* Tr. 9. N. 630. vel si sit occulta, & dispensandum in foro interno. Porrò, ut actus sit impedimentum publicum, debet esse notorium, quòd talis actus sit impedimentum, & probabiliter sufficit, non esse notorium in loco, in quo dispensatur, etsi alibi sit notorium, v. g. Viennæ. *La Croix* N. 873.

584. *Quid, si dispensatio committatur Ordinario?*

Resp.

585. *Quid, si Orator postea cum eadem vel alia iteret copulam?*

Resp: 7. Si Cajus cognovisset Bertam, & Cajam sorores, & dispensationem impetraret pro ducenda Caja, & iterum peccaret cum utraque, non indigeret quidem novâ dispensatione ob copulam iteratam cum Caja; quia hæc non inducit impedimentum respectu Cajæ; si tamen Romæ facta esset dispensatio, priusquam iteraretur copula cum Berta, videtur opus esse novâ dispensatione; quia novum impedimentum, priore sublato, contractum esset; secùs dicendum, si dispensatio Romæ facta non esset, sed tantùm data commissio, ut fieret in Partibus, & Cajus cum Berta iterâsset copulam ante factam dispensationem; quia copula illa repetita non inducit novum impedimentum cum Caja, sed manet unicum, quod priùs contractum erat; sicut si decies cognovisset singulas, esset impedimentum unicum, nec opus foret dicere, quoties cognovisset singulas; est autem jam data potestas dispensandi pro Matrimonio cum Caja in impedimento affinitatis ex copula cum Berta. *Sanch.* L. 8. Cap. 24. N. 8. *La Croix* N. 990.

Dices. Si facta sit Romæ dispensatio, jam prohibitio est sublata, & æquivalenter cessat affinitas, vel consanguinitas; ergo opus non est novâ dispensatione. Ità *Nav. Gobat. Krimer* apud *La Croix* N. 925. Respondet *La Croix*: Dispensatio tantùm respiciebat impedimentum, ante contractum, quod per novam copulam redit, neque dispensatio sustulit consanguinitatem illarum sororum, nec impedit, quò minùs nova possit contrahi affinitas à Cajo; si enim, factâ dispensatione, cognovisset Sejam, aliam Cajæ sororem, certò affinitatem cum Caja contraxisset; ergo & si iterum cognoscat

gnoscat Bertam. Hæc applicari possunt dispensationi factæ, vel faciendæ per Ordinarium. Ità *La Croix* N. 990.

Resp. 8. Si Pontifex, dispensans in gradu prohibito, seu inter consanguineos, vel affines, ponat, ùt ordinariè facit, hanc clausulam: *Dummodo habita non sit copula spe facilioris dispensationis*, tum si eâ intentione habita sit copula, id exprimendum est, saltem si copula & intentio illa exteriùs sit manifestata, ità ut probari possit. *Ratio est*; quia dispensatio est difficilior, soletque rescribi: *Dummodo copula &c.* Si una tantùm pars intentionem illam habuisset, vel eam manifestâsset, an irrita sit dispensatio quando intentio illa cum copula non exprimitur, dubium est. Negat *Aversa*, aliique multi, teste *La Croix* N. 924. eò quòd innocens puniri non debeat ob malitiam alterius, & occulta non subsint humanæ dispositioni. Affirmant alii multi apud *Gobat* N. 625. quia obligatio id exprimendi non est pœna, sed conditio requisita pro informatione Superioris dispensaturi. 586. *Quid, si habita sit copula sub spe facilioris dispensationis?*

Resp. 9. Qui scienter inter gradus prohibitos contraxit Matrimonium, aut ignoranter quidem, sed omissis proclamationibus, irrita est dispensatio, si hoc non exprimat. Item, si Matrimonium, sic scienter contractum, sit consummatum, & hoc taceat. *Ratio est*; quia nefarius ille ausus dispensationem admodum reddit difficilem ex dispositione *Trid.* quod Sess. 24. Cap. 5. *de Reform. Matrim.* sic statuit *Si quis intra gradus prohibitos scienter Matrimonium contrahere præsumpserit, separetur,* 587. *Quid, si matrimonium sit scienter invalidè contractum vel sine proclamationibus?*

& spe dispensationis consequendæ careat, idque in eo multò magis locum habeat, qui non tantùm Matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit. Quodsi ignoranter fecerit, siquidem solennitates requisitas in contrahendo Matrimonio neglexerit, iisdem subjiciatur pœnis: non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facilè experiatur, cujus salubria præcepta temerè contempsit; si verò solennitatibus adhibitis, impedimentum aliquod subfuisse cognoscatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit, tunc faciliùs cum eo, & gratis dispensari poterit. Hæ pœnæ, ut incurrantur, cùm requiratur scientia & præsumptio, excusare aliquando ab iis poterit ignorantia vincibilis secundùm dicta P. 1. N. 222. Quodsi unus bonâ fide ignorans, impedimentum, processisset, existimat *La Croix* N. 499. quòd pœnas *Tridentini* non incurrat; quia *Trid.* præsupponit scientiam & præsumptionem. *Sanch. Perez*, & *Henriquez* apud *La Croix* sub N. 989. tenent, tunc opus non esse exprimere, contractum, & consummatum esse Matrimonium, sed *La Croix* ibidem contradicit, eò quòd obligatio id narrandi non sit pœna, sed conditio requisita pro informatione dispensaturi; pœna autem sit privatio spei dispensationem obtinendi, sique dispensationem Papa neget, non ideo puniatur innocens; sicut si Caja cum Subdiacono bonâ fide, ignorans ejus statum, contraheret, & Papa negaret dispensationem, non puniretur Caja, sed negaretur favor, etsi per accidens in eam redundaret incommodum. Dein *Trid.* loquitur in singulari, mentionem non facit scientiæ in utroque. Cæterùm per gradus prohibitos in-

intelligitur gradus consanguinitatis, & affinitatis, non verò aliud impedimentum etiam publicæ honestatis.

Quid, si petatur secunda dispensatio?

Resp. 10. Qui secundam dispensationem 588.
petit, debet meminisse prioris, si id opus sit, ad impedimentum totum cognoscendum, vel id jus requirat. Constat ex variis Constitutionibus. Hinc 1. Si Petrus, voto castitatis obstrictus, petiit dispensationem ad contrahendum cum una tantùm, petatque dispensationem, ut possit secundam ducere, priore mortuâ, in petitione secunda debet facere mentionem prioris, aliàs erit subreptitia; quia Pontifex non cognoscit, quantam gratiam præstet relaxando iterum votum. 2. Qui obtinuit dispensationem in impedimento uxoricidii, si relapsus idem in crimen petat dispensationem iterum pro secundo Matrimonio, debet prioris dispensationis mentionem facere; quia in tam enormi crimine multò difficiliùs conceditur secunda dispensatio, & Jura exigunt, ejus fieri mentionem L. 3. de Episcopali Audientia, ubi dicitur: *Remissionem veniæ, crimina, nisi semel commissa, non habeant; quia omninò indignus est veniâ, qui clementiâ Principis ad consuetudinem peccandi abutitur.* 3. Si Pontifex dispensarit cum Cajo in voto castitatis sub ea obligatione, ut loco pio singulis mensibus det eleëmosynam, debet in hac dispensationem petens, prioris dispensationis & obligationis meminisse; quia Pontifex non censetur obligationem velle tollere, nisi exprimatur. Econtra, qui dispensationem habuit, ut duceret Titiam cognatam suam, hâc autem mortuâ petat dispensationem, ut ducat aliam cognatam suam, non est opus prioris dispen-

2. In dubio, an impetrata dispensatio sit valida, v. g. an hoc, quod expressisti, vel tacuisti, sit causa finalis, an impulsiva tantùm, præsumitur valida. *Nec refert*, quòd impedimentum videatur esse in possessione: nam contra illam possessionem prævalet dispositio juris, in dubio judicandum esse pro valore actûs, ut nempe potiùs valeat, quàm pereat. Sic habetur Cap. *Abbate. de verborum significatione.* Et L. *Quotiens.* ff. *De rebus dubiis.* Unde si reipsâ non valeret actus, illum validat consensus Superioris tacitus, & Legalis. *La Croix* L 1, N 805.

In dubio standū pro valore actûs.

3. In dubio, an Matrimonium contractum sit validum, censetur validum; quia est causa favorabilis. Cap. *fin. de Sententia, & re judicata.*

4. In dubio juris, an sit impedimentum, si probabile sit non esse, validè contrahitur Matrimonium, & subsistit, etsi Papa postea declaret, adfuisse impedimentum; quia Ecclesia supplevit, & sustulit impedimentum pro eo casu ob errorem communem. Similiter si aliqua Communitas putaret falso, in sua Parochia non esse promulgatum *Trid.* Matrimonia clandestina probabiliter valerent; quia error communis videtur esse sufficiens titulus ad tribuendum jus sic validè contrahendi.

Cum dubio juris non verò facti licet contrahere.

5. In dubio tamen facti v. g. an aliquis sit consanguineus, juxta communiorem invalidè contraheretur, si adesset impedimentum; putat tamen *Carden.* purum dubium facti, ex meris conjecturis probabilibus resultans, invincibile, non obstare Matrimonio contrahendo; quia libertas est in possessione. La Croix n. 41. ait esse sententiam communem.

6. In dubio invincibili an Cajus sit ex legitimo Matrimonio, vel ex adulterio conceptus, si velit illius fortè adulteri neptem ducere, non indiget dispensatione; quia præsumitur legitimus, & Ecclesia tollendo, si ad sit, impedimentum, valorem tribuit Matrimonio V. La Croix hic n. 42. in fine. At, quando præsumptio stat pro impedimento, etsi sit aliquod dubium, non licet contrahere sine dispensatione. Ità communis omnium *Sanch.* & *Krimer* N. 2438. utì, si quis habuisset copulam, & dubium esset, an fuerit sufficiens ad generationem ob semen fortè non susceptum: præsumptio enim est pro copula perfecta, quia ordinariè talis est, etsi stando fieret.

7. Qui contrahit cum dubio vincibili, peccat exponendo Sacramentum periculo nullitatis: hinc tenetur inquirere; si autem, factâ inquisitione, dubium vinci non possit, & sit facti. juxta *Less.* & alios multos adhuc peccat; quia adhuc est periculum nullitatis, juxta *Sporer*, *Gobat*, *Card Krimer* N. 2436. non peccat; quia pro libertate est possessio, monendam tamen dicunt alteram partem, sique postea constaret de impedimento, petendam esse dispensationem. *Dicast.* de Baptismo Disp. 1. N. 209. docet, pro Matrimonio contrahendo satis esse sequi opinionem probabilem, etsi agatur de impedimento per Ecclesiam non dispensabili. Idem docet *Gormaz* de Sacramentis N. 323. *Illsung.* posse licitè contrahi ait Tr. 1. D. 1. N 77. etsi non sit certus valor, quando obligatio procurandi certitudinem esset obnoxia plurimis scrupulis, & gravissimis difficultatibus. Verùm ordinariè illicitè contrahit, qui in dubio facti non habet pro se certitudinem moralem, utì non habet, quando probabile est, adesse impedimentum. Idem

dic

dic de eo, qui habet probabilitatem facti de existentia impedimenti, & nullum prudens motivum de non existentia. *La Croix* N. 40. & 42. 414. 538. 795. & *Analysis* N. 41.

Quæ observanda sint executori dispensatiotionis, cæteraque, quæ huc pertinent, videri possunt in *Neo-Conf. Appendice* à N. 3. Ex quibus hìc quædam repeto, ne desint iis, quibus non est opusculum illud.

CAPUT IV.

De solennitate Matrimonii, ejusdemque invalidi revalidatione.

QUÆSTIO I.

In quo consistat solennitas Matrimonii?

Resp. Consistit in certis adjunctis contractui matrimoniali, quæ etiam forma contractûs, à jure præscripta, dicuntur; est autem solennitas alia substantialis, & intrinseca; alia extrinseca, & accidentalis. Substantialis, & intrinseca contractui est, quæ ad ejus valorem requiritur, ùt sunt respectu Matrimonii, Præsentia Parochi, vel alterius Sacerdotis de ejus licentia, & duorum, vel trium testium, quæ si adsit, dicitur Matrimonium contrahi in facie Ecclesiæ, si desit, dicitur simpliciter clandestinum. Solennitas accidentalis, & extrinseca contractui est, quæ non ad ejus valorem, sed ad licitè contrahendum requiritur, atque 591. *Solennitas duplex.*

 ad

ad impedimentum, si fortè adsit, detegendum præscribitur, uti est trina denuntiatio, seu proclamatio prævia de Matrimonio contrahendo, quæ si desit, Matrimonium dicitur clandestinum secundùm quid. Ad solennitatem accidentalem etiam reducitur benedictio nuptiarum.

QUÆSTIO II.

Qui, & ubi Parochus debeat assistere Matrimonio, & qui testes adesse debeant?

592. *Parochus domicilii.* Resp. 1. Parochus assistens Matrimonio debet esse Parochus, non ratione originis tantùm, sed ratione domicilii, vel quasi-domicilii, sique contrahentes sint ex diversis Parochiis, Parochus alteruter nempe sponsi, vel sponsæ sufficit.

Ratio 1mæ partis est; quia *Trid.* Sess. 24. Cap. 1. *de Reform. Matrim.* exigit præsentiam proprii Paroch[illegible] nomine autem proprii Parochi in materia Sacramenti, & Jurium Parochialium intelligitur Parochus domicilii, vel quasi domicilii ex Cap. *ult. de Paroch.* & Cap. 2. *de Sepulturis in 6.* Unde vagi in ordine ad Matrimonium nullum censentur habere Parochum proprium, etsi non careant Parocho originis.

Ratio 2dæ partis est; quia *Trid.* requirit

593. *Domiciliũ quis hic habeat?* tantùm unius Parochi proprii assistentiam. Qui autem veniant nomine Parochi, dixi suprà N. 562.

Porrò domicilium in loco habet, qui in eo cœpit habitare cum animo perpetuò ibi manendi,

nendi, etsi fortè per horam tantùm in eo habitaverit: Nec obstat, quòd postea mutet voluntatem; quia domicilium semel acquisitum non amittitur, nisi reipsâ corpore alium in locum se transferat: neque voluntas perpetuò alicubi manendi excludit voluntatem conditionatam alio migrandi, si fortè casus, officium oblatum, vel alia promotio aliò vocet; plura tamen ad domicilium pro sacris ordinibus suscipiendis requiruntur secundùm dicta de ordine N. 456. Quasi-domicilium in loco quis habere dicitur, in quo incipit habitare cum animo per majorem anni partem ibi permanendi, etsi nolit ibi manere perpetuò, uti si quis studiorum, famulatûs, negotiorum causâ incipiat habitare in loco cum tali animo. *Nec obstat*, si intra tempus illud ad suos redeat, modò fiat cum animo se referendi ad priorem locum quasi-domicilii. Ex his inferes

1mò. Qui habuit semel domicilium in loco suæ originis, & inde abiit cum animo revertendi, ibique habitandi, etsi pluribus annis abfuerit, potest Matrimonium contrahere coram Parocho originis, & Parocho quasi domicilii; quia retinuit domicilium habitationis in loco originis; non enim amittitur per discessum cum animo revertendi ad locum, & in eo habitandi; si autem diu abfuisset, vel recenter ad aliquem locum venisset, nec satis notus esset, exigendum ab eo foret testimonium, quòd nullo impedimento sit ligatus. vel si id accipi non posset, exigendum de eo esset juramentum. 594. *Corollaria.*

2. Qui duas Parochias æqualiter, vel ferè æqualiter inhabitat, v. g. unam de hyeme, alteram de æstate potest contrahere Matrimo-

 nium

nium coram quolibet Parocho suo, etiam coram eo, apud quem tempore contractûs non habitat. Quodsi habitaret inæqualiter utrobique, v. g. per septem menses ruri, & per quinque in urbe, potest tantùm contrahere coram Parocho rurali; quia jura in utroque loco requirunt æqualitatem saltem moralem habitationis: nemo autem dicet, quòd dies 155. sint moraliter æquales diebus 210. sicut nemo dicet, quòd homo septuagenarius sit moraliter æqualis ætatis cum quinquagenario. *Sed quid*, si cujusdam domus esset partialiter in fundo duarum Parochiarum? Resp. Pertineret ad Parochiam, ex qua esset ingressus in domum; si autem essent duæ portæ, præferenda esset principalior, seu anterior facies domus: quia hæc censetur nobilior. Demum si tota domus esset in fundo unius Parochiæ. & adjuncta secundaria ædificia in fundo alterius, ædificia secundaria sequuntur domum.

Si domus in fundo duarum parochiarum.

595. Resp. 2. Suis validè assistit Parochus. 1mò. Invitus, vi, vel dolo inductus. 2. Ab Episcopo specialiter prohibitus assistere. 3. Parochus putatitius, seu errore communi existimatus Parochus. 4. Excommunicatus suspensus, interdictus, irregularis, publicè denuntiatus, & vitandus schismaticus, degradatus, modò non sit actualiter depositus, & privatus Beneficio Parochiali. 5. Etiam existens extra suam Parochiam. 6. Et necdum Sacerdos. *Prima Pars* est ferè omnium cum *Sanch. Et Ratio est*; quia Parochus non est Minister Matrimonii, sed testis, in quo non requiritur consensus, & intentio, sed tantùm moralis præsentia, ut intelligat, quid agatur ex L 209. *de verb. signif.* Nam tunc testari debet, si requi-

Parochus propriùs validè assistit, quam diu manet Parochus.

requiratur. Pro testamentis quidem statuitur, ut testes non sint fortuiti; sed nihil simile hactenus pro Matrimonio statutum est.

Ratio 2da partis est; tum quia assistentia Parochi non est actus jurisdictionis, etsi quandoque sic vocetur, ut distinguatur ab actu ordinis; tum quia Parochus assistit jure proprio, & Parochiali, quod non amittit per prohibitionem Episcopi, sed manet Parochus, adeoque validè, etsi illicitè, assistit. Quod verum est, etsi Episcopus adderet clausulam irritantem; quia hæc nihil operaretur: neque enim Episcopus, sed Papa solus potest impedimenta dirimentia ponere.

Ratio 3tia partis est; quia si communiter putetur Parochus, etsi non sit, v. g. quia simoniacè obtinuit Parochiam, Ecclesia supplet secundùm dicta suprà N. 47. Idem dicunt multi, etsi esset intrusus, & sine titulo colorato ingressus; quia & tunc bonum commune exigit, ut Ecclesia suppleat; negant tamen id alii quidam.

Ratio 4ta partis est; quia in excommunicato &c. nihil obstat, nisi fortè privatio jurisdictionis, assistentia autem Parochi non est actus jurisdictionis, ùt patet ex eo; quia aliàs invitus non assisteret validè: nemo enim nolens utitur potestate suâ; nec est actus administrationis Beneficii, sed officium testis, in quo plus juxta Trid. non requiritur, quàm ut sit Parochus: hinc & sibi alium potest substituere.

Ratio 5ta partis est; quia Trid. loci mentionem non facit, & assistentia est tantùm actûs testis qualificati: unde validè assisteret sine licentia Parochi loci alieni; non tamen licitè

in

in aliena Parochia, vel Ecclesia; quia celebratio Matrimonii est actus publicus, quem licitè non potest extraneus in alieno loco peragere.

Ratio 6ta partis est; quia Trid. tantùm requirit, ut aliquis sit actu Parochus, qualis potest esse investitus, etsi non sit Sacerdos. *Nec obstat*, quòd dicat Matrimonium non contrahendum esse, nisi coram Parocho, vel alio Sacerdote: nam vox alius non semper est repetitiva, ut sensus sit coram alio Sacerdote, vel Parocho Sacerdote, sed id desumendum est, vel ex materia, vel ex ratione, quæ in utroque reperiatur eadem. Sic dicitur Lucæ 23. de Christo: ducebantur & alii duo nequam cum illo, & tamen nemini potest venire in mentem suspicio de sanctitate Christi; quia causa damnationis ad Crucem non erat eadem. Similiter in præsenti non est eadem ratio, cur alius debeat esse Sacerdos: Nam non Sacerdos non suppleret pro dignitate Pastoris officium, in quo dignitas Pastoralis plus, vel tantùm valet, quantum prærogativa Sacerdotalis. Quòd Trid. in Parocho non requisiverit Sacerdotium, patet ex eo, quod paulò pòst dicat: *Qui sine Parocho, vel Sacerdote &c.* omisso *tò* alio. *Nec obstat* iterum, quòd assistens Matrimonio Parochus debeat benedicere: nam licèt id non possit solenniter in Missa, quod à Sacerdote requiritur, potest tamen benedicere extra illam dicendo, v. g. ego vos Matrimonio jungo in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.

596. *Testis, quivis ratione utens.*

Resp. 3. Testes, qui debent esse tres, vel duo, non debent esse omni exceptione majores; sed possunt esse viri, & mulieres, impuberes,

beres, & puberes, parentes, cognati, excommunicati, infames: alii enim nullo jure requiruntur, ne detur occasio majoribus damnis, & litibus. Requiritur tamen 1mò, ut Parochus, & testes, utantur ratione, sint moraliter præsentes, intelligantque expressionem utriusque contrahentium consensûs, ut possint testari de Matrimonio contracto. 2. Ut intersint non successivè, sed physicè simul. 3. Ut sint saltem duo testes, à Procuratore nomine principalis contrahente, distincti; quia is est simul contrahens etsi nomine alterius. In dubio an Matrimonium sit initum cum Parocho, & testibus non præsumitur sic initum.

QUÆSTIO III.

Quæ requirantur in assistente loco Parochi?

Resp. Requiritur 1mò Sacerdotium, ut expressè exigit Trid. ut nempe pro dignitate suppleatur Parochi præsentia. 2. Expressa, vel tacita licentia ex ratihabitione non de futuro, sed de præsenti; quia à licentia, & consensu præsente actus delegati procedere debet, ratihabitio autem de futuro, quâ licentia daretur, non facit licentiam esse præsentem. 597. *Licentia intimata, & acceptata.*

3. Licentia acceptata, quia concessio licentiæ est quædam donatio, quæ, ut valeat, debet esse acceptata. proinde & signo externo esse debet manifestata, sive illud jam sit silentium æquivalens signo positivo, sive significativum per vocem, aut literas, vel quid aliud, ad ipsum delegatum directum. Quare non sufficit,

quòd

quòd, aliùs casu audiverit à Parocho, quòd licentiam det, v. g. Titio Sacerdoti, isque id illi significet; quia Parochus per hoc delegato suum consensum non intimat. Sufficit tamen, quòd Sacerdos alius per se, vel per Nuntium missum acceptet licentiam.

4. Licentia non debet esse obtenta dolo, versante circa causam finalem, seu motivum principale; quia tunc deficit consensus. Secùs, si esset circa causam tantùm impulsivam. An licentia, metu extorta, sufficiat, decidendum ex dictis de contractibus, an nempe contractus gratuiti metu extorti valeant.

5. Licentia non debet esse subdelegata; quia dans licentiam non ideo facit copiam eam delegandi alteri. Excipe tamen, nisi Parochus alteri generaliter committeret suas vices, v, g dicendo: committo tibi omnes meas vices, vel constituo te in omnibus meum Vicarium, vel committo tibi curam mearum ovium: tunc enim daret licentiam assistendi Matrimoniis, & facultatem eam delegandi alteri, etsi esset substitutus tantùm ad paucos dies; quia delegatus ad universalitatem causarum ex communi sententia potest subdelegare alteri, nisi fiat specialis exceptio. An hæc teneant, si Parochus diceret: committo tibi administrationem Sacramentorum in mea Parochia, dubium est. Negat *Con.* Affirm. *Lugo*, asserens sic declarâsse S. Congr. tum, quia in communi modo loquendi assistens Matrimonio dicitur Minister; tum quia commissio talis censetur comprehendere omnia munera Parochialia, inter quæ est assistere Matrimonio, & contrahentibus benedicere. Consentit *Gobar*, & *Sporer*, si Pastor absit, secùs si adsit.

6. Li-

6. Licentia non debet esse revocata; si tamen revocatio ignoretur communiter, aut non esset intimata per Parochum, aut Nuntium; ab eo missum, validè assisteret, etsi delegatus casu eam intellexisset; quia per easdem causas res nascitur, & dissolvitur; licentia autem assistendi constituta fuit per voluntatem dantis manifestatam, & acceptatam; ergo & solvi per voluntatem manifestatam contrariam debet. Nec obstat, quòd licentia data descendat à voluntate concedentis, adeoque hâc cessante, videatur cessare: nam voluntas concedentis censetur esse conformis juri; hujus autem fictione tam diu censetur durare, quàm diu ejus revocatio non est legitimè intimata. *Ex lege Si fortè 17. de officio Proc.*

7. Licentia assistendi debet ante mortem concedentis executioni dari; quia facultas delegata ad unum actum specialem, & determinatum, re integrâ, exspirat morte concedentis, nisi sit gratia facta secundùm dicta P. 1. N. 211. Si tamen mors communiter ignoraretur, delegatus validè assisteret; quia error communis, & ignorantia sustinet valorem eorum, quæ per delegatum geruntur. *Licentia exspirat morte concedentis.*

8. Non debet delegatus agere contra mentem delegantis, restrictam ad certam circumstantiam vel datam sub conditione: unde si Parochus diceret alteri Sacerdoti: do licentiam Cajum & Titiam jungendi Matrimonio, si adhibitâ diligentiâ deprehendas eos impedimento non ligari; secùs non do licentiam, invalidè assisteret, si sine informatione procederet; quia mens concedentis est restricta.

Notant tamen A. A. communiter, quando datur licentia simpliciter cum conditione, quæ de 598. *Licentia data*

Sub conditione quando, si non servetur conditio, non subsistat

de jure communi inest, ut v. g. præmittat proclamationes, nisi in iis dispensetur, ut priùs inquirat in impedimenta &c. licentiam, & assistentiam valere, etsi ea negligantur; quia quando conditio de jure communi inest eo modo quo apponitur, ejus appositio censetur modus, & monitio, ut servetur forma à jure præscripta, & non irritat actum, nisi foret conditio de jure irritans: utì si diceret, si adfuerint duo testes, junge illos Matrimonio. At verò præmissio proclamationum, & inquisitionis in impedimenta de jure insunt. Econtra quando licentia datur sub conditione, quæ de jure non inest, ordinariè censetur restricta, & inducere novam formam essentialem, nisi ex aliis conjecturis deprehendatur clarè oppositum utì videtur fieri, si Parochus dicat: committo tibi meas vices assistendi Matrimonio Caji cum Titia in mea Parochia: videtur enim Parochia designari ob majorem congruentiam, & Parochia nominari per modum demonstrationis. Item si Cajus, & Titia ab Ordinario licentiam habeant, ut contrahant coram Parocho suo, vel de illius præscitu, & salvis juribus coram alio Sacerdote: clausula enim hæc videtur potiùs præceptiva, ne offendatur Parochus, & suis juribus defraudetur, quàm restringens licentiam: hinc adhuc validè videntur contrahere inscio Parocho Idem dicendum, si Ordinarius daret licentiam, omissis proclamationibus, eâ tamen lege, ut moneantur conjuges, ne consumment Matrimonium ante factas proclamationes: ea enim forma ad instructionem, non verò essentiam licentiæ pertinet, quod vel ex eo patet; quia Sacerdos satisfaciet, si moneat sponsos post contractum Matrimonium: in dubio hæc verba: *dummodo,*

modo, eâ conditione &c. censentur modus, non stricta conditio. Quòd autem delegatus, nisi licentia restringatur, posset validè assistere extra Parochiam delegantis, habet communis; quia Trid. locum non determinat, & assistens tantùm est testis qualificatus. Nec verum est, quòd potestas delegata exerceri nequeat extra territorium delegantis. Ex dictis.

599. *Corollaria.* *Colliges* 1. Si Episcopus det Sacerdoti licentiam assistendi Matrimonio, omissis proclamationibus, cum facultate alium loco suo secundùm conscientiam suam substituendi, Sacerdos autem generali scripto substituat omnes, & singulos, ità ut sponsi possent eligere quemcunque; hi autem eligant v. g. Regularem, videtur Matrimonium non subsistere; quia cùm Episcopus addiderit secundùm conscientiam, videtur eligendum commisisse judicio Sacerdotis: unde Matrimonium saltem dubium est. 2. Si detur licentia adeundi quemcunque Sacerdotem, electio est penes sponsos. 3. Si licentia data est pro Parocho A, & adeant Parochum B. attendendum, an licentia data sit in gratiam petentis; an verò ex speciali causa, movente ad designandum Parochum A, ità ut data aliàs non fuisset: si primum sit, valet, si secundùm, non valet Matrimonium. V.P. 1. N. 235.



QUÆSTIO IV.

Coram quo possint vagi, peregrini, & milites contrahere Matrimonium?

600. *Vagi coram Parocho hospitii.* Resp. 1. Vagi possunt contrahere Matrimonium valide coram Parocho loci, eoque probabiliùs solo, in quo actu hospitantur. *Ratio est;* quia sicut proprius Parochus habentium domicilium, vel quasi domicilium est Parochus loci, in quo illud habent, in ordine ad Sacramenta; sic proprius Parochus vagorum in ordine ad Sacramenta est Parochus loci, in quo actu existunt, seu hospitantur: nam ratione loci ibi sortiuntur forum, seu subjiciuntur. Cujus ratio est; quia illis assignandus est proprius Parochus, aliàs Matrimonium illis esset impossibile; alius autem illis assignari non potest, nisi Parochus loci, ubi hospitantur. Sufficit tamen ad valorem, si unus contrahentium sit vagus; quia Parochus legitimus unius contrahentium est etiam legitimus Parochus alterius contrahentis ob individuam contractûs naturam. Dixi 1. *Probabiliùs:* Nam quòd coram alio, extra cujus Parochiam hospitantur, possint contrahere, docet *Sanch.* & alii multi. Vide *La Croix N.* 747.

Qui sint Vagi? Porrò Vagi sunt, qui actu nec verum, nec quasi domicilium, seu nullibi constantem habitationem habent: unde & vagi sunt, qui post relictum corpore, & animo prius domicilium quærunt habitationem, aut in itinere sunt ad aliud domicilium. Non censetur tamen vagus, qui in eadem urbe ex Parochia A vult transferre domi-

domicilium ad Parochiam B, & interim moratur in Parochia C. *La Croix N.* 746.

Dixi 2. *Possunt contrahere Matrimonium validè:* Nam ut Parochus licitè assistat vagis, requiritur, ut licentiam, re diligenter examinatâ, ab Ordinario obtineat jussu *Trid. Sess.* 24. *Cap.* 7. *de Reform. Matrimonii*, cui si non pareat, peccat mortaliter, nisi specialis causa excuset.

Resp. 2. Peregrini, seu qui alicubi habent domicilium, nec licitè, nec validè possunt contrahere Matrimonium coram Parocho loci, per quem transeunt, vel in quo ad breve tempus subsistunt, aut hospitantur; quia is non est proprius illorum Parochus, cùm nec vagi sint, nec domicilium, nec quasi domicilium ibi, sed alibi habeant. 601. *Non tamen peregrini.*

Resp. 3. Ut intelligatur, coram quo possint milites contrahere validè, & licitè Matrimonium, hæc observanda sunt 1mò. Si miles sit in castris, ejusque legioni præpositus sit Sacerdos pro cura animarum, & administrandis Sacramentis, potest licitè, & validè coram illo contrahere Matrimonium, dum est in castris, & adhuc in locis Episcopo suo subjectis; quia hic est proprius militum istius legionis quasi Parochus, cui se potest subjicere. Posset tamen & coram Parocho loci, in quo existit, contrahere; quia milites, dum castra sequuntur, æquiparantur vagis, etsi alicubi domum, & domicilium animo retineant. Quod procedit, etsi Episcopus mandâsset, ut coram Missionario contraherent milites Matrimonia; quia Episcopus non potest immutare Canones, secundùm quos miles manet vagus, 602. *Milites coram quo?*

donec ex domicilio, vel quasi domicilio sortiatur Parochum.

2. Missionarius Castrensis, si exercitus ducatur in Diœcesin Episcopi, à quo non est constitutus, nec in castris, nec in hybernis assistit validè Matrimonio, nisi ab Episcopo loci, in quo existit, facultatem impetret; quia licentia, concessa à proprio Episcopo, extra hujus Diœcesin se non extendit, nisi tamen hic per concessionem Pontificis facultatem dederit assistendi quocunque loco. Sic in bello superiore Superior castrensium in exercitibus Cæsareanis à Sede Apostolica habebat sibi commissam curam animarum cum amplissimis facultatibus, potestatemque eas communicandi legionum curionibus, & Capellanis tam sæcularibus, quàm religiosis. Et hinc illi, communicatâ sibi facultate Sacramenta administrandi, & assistendi militum Matrimoniis, licitè & validè poterant assistere, & nuptiis benedicere tam in stativis, quàm in expeditionibus in quacunque Diœcesi: unde inspicienda est potestas concessa. Si extendat se etiam ad præsidia, poterit miles contrahere tum coram suo Curione, tum coram Parocho loci; quia Curio non habet facultatem illam privativè; sed cumulativè cum Parocho loci, uti respondit S. Congregatio apud *Schmalzgr. L.* 4. *T.* 3. *N.* 167.

3. Si legio, in qua est miles, Capellanum Castrensem non habet, miles annumeratur vagis, poteftque contrahere coram Parocho loci, in quo existit, non verò coram Capellano alterius legionis; quia hic non est Parochus loci: si autem haberet Capellanum, & is

is abesset, attendendum est, an consuetudo induxerit tacitum consensum.

4. Si miles revertatur ad patriam suam, & ibi ad tempus moretur, potest ducere puellam suæ patriæ coram Parocho quocunque loci, in quo moratur; quia licèt in patria habeat domum, cogiterque obtentâ suâ dimissione in ea habitare, cùm tamen redire debeat ad legionem, ubi Bellidux voluerit, manet Vagus.

5. Si miles certus esset, se mansurum per majorem anni partem in loco, v. g. in arce ad servitium sui Officialis, haberetque animum permanendi, mansioque esset penes ipsum, acquireret quasi-domicilium, & esset subjectus Parocho loci.

6. Si militi promissa esset manumissio, & conventione necdum factâ de summa danda, constitutus in patria solveret partem pecuniæ ad computum cum animo manendi in patria; cessaret esse vagus, esserque virtualiter manumissus. *Nec obstat*, quòd revocari posset; quia etiam filius ex studiis revocari potest, & tamen in loco isto habet quasi domicilium. Cæterùm circa militum conjunctionem observandum Parocho, quod circa vagos, ut nempe, dum vagi sunt, diligenter inquiratur de eorum statu, & non conjungantur, nisi cum licentia Ordinarii, aliàs, uti dixi, illicitè conjunguntur. Vide *La Croix N.* 750.



QUÆSTIO V.

Quæ sint circa denuntiationes Matrimonii contrahendi observanda?

603. *Sub gravi sunt præmittenda.* Resp.: Hæc imò denuntiationes, etsi earum omissio non irritet Matrimonium, sunt tamen per se sub Mortali Matrimonio præmittendæ, etsi jureтur non esse impedimentum; quia exstat præceptum Ecclesiæ de eo, quod, cùm materia sit gravis, graviaque incommoda ex earum omissione sequi facilè possint, obligat sub mortali.

Dixi 1. *Per se:* Tum, quia Ordinarius ex justa causa potest in iis dispensare; cùm Trid. ejus prudentiæ, & judicio hoc relinquat; tum quia in necessitate, ubi dispensatio exspectari non potest, nec differri contractus, Parochus poterit per Epiikiam legem interpretari, tanquam in tali casu non obligantem: uti si Concubinarius in articulo mortis deberet jungi Concubinæ, ut proles legitimentur.

Dixi 2. *Etsi sciretur, non esse impedimentum;* quia lex non cessat, quando est directiva communitatis, etsi in aliquo casu particulari ejus ratio cesset.

Ubi, & à quo? 2. Denuntiationes à proprio contrahentium Parocho, vel alio, ab ipso substituto, tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solennia publicè sunt faciendæ. *Ex Trid. Sess. 24. Cap. 1. de Reform. Matrim.* Si sponsus, & sponsa sint ex diversis Parochiis, in utraque denuntiationes à Parocho loci fieri debent, & Parochus, qui Matrimonio assistet, ab alio habere testimonium, quod factis procla-

clamationibus nullum ſit detectum impedimentum. Si alteruter ſponſus non ità pridem ad aliam Parochiam migraverit, fieri debent proclamationes in illa, in qua diutiùs manſit, ut meliùs detegantur impedimenta; debent autem dies feſti non eſſe immediati; ſed aliquo tempore non feſtivo interpolati.

3. Debent fieri inter Miſſarum ſolennia; quia tunc populus frequentior adeſt: hæc enim ſtatuta ſunt, ut facilius impedimenta detegantur, examinari poſſint, & ne ſi nimis diu proclamationes ab invicem ſeparentur, in oblivionem veniant. Sunt, qui putant poſſe fieri die non feſto, ſi in Choro ſit ſolennitas, & adſit frequens populus; quia finis Trid. adhuc tunc obtinetur; ſed ſpectanda eſt conſuetudo, & liber ritualis Diœceſis.

4. Si poſt factas proclamationes Matrimonium diu differatur, v. g. ultra aliquot menſes, proclamationes repetendæ ſunt; quia interea impedimentum intervenire potuit.

5. Si adſit probabilis opinio Matrimonium poſſe malitioſè impediri, de licentia Ordinarii poteſt factâ unicâ denuntiatione, aut etiam nullâ, procedi ad contractum matrimonialem, ſic permittente Trid. ſed tunc ante Matrimonii conſummationem proclamationes faciendæ ſunt, niſi Ordinarius judicaverit expedire, ut omittantur.

QUÆSTIO VI.

Quæ ſit obligatio ſcientis impedimentum inter ſponſos denuntiatos?

Reſp. 1. Sciens impedimentum inter eos 604.

Obligatio est gravis. tenetur sub mortali, per se loquendo, id denuntiare. *Ratio est*, quia id exigit salus proximi, bonum commune, & reverentia Sacramentis debita. Hinc obligatio illa non est tantùm ex jure Ecclesiastico; sed etiam ex divino, & naturali. Atque hoc procedit, etsi quis solus impedimentum sciret; quia potest impedire illa incommoda: nam quando agitur de peccato vitando, & Matrimonio cum impedimento contrahendo, unius testis depositio admittitur etiam in foro externo. Secùs, ac si agatur de crimine puniendo, vel jure alteri quæsito auferendo, vel Matrimonio dissolvendo. Si intellexit impedimentum, à persona fide digna, potest Prælato dare notitiam, quæ fidem faciat; denuntians tamen non tenetur probare, si non possit; sed superiori incumbit considerare, quid agendum sit. Procedit quoque, etsi impedimentum sciret sub secreto, etiam juramento firmato; modò secretum non sit Sacramentale; quia juxta omnes secreta, etiam sub juramento commissa, manifestanda sunt quando vergunt in præjudicium 3tii, vel damnum publicum, uti hic fit, sive sponsi sint in bona, sive mala fide.

Dixi tamen: *Per se loquendo*: Nam non tenetur 1mò, si conscius impedimenti aliter possit v. g. monendo sponsos Matrimonium impedire; estque hæc præmonitio semper adhibenda, quando impedimentum oritur ex peccato occulto, sic postulante lege charitatis. 2. Si ex denuntiatione sibi grave damnum, aut scandalum probabiliter prævideret eventurum; idque verum est, etsi denuntiatio sibi sub excommunicatione imperaretur. 3. Si prudenter

ter judicaret nihil se profecturum, aut sciret, sponsos impetrâsse dispensationem.

Resp. 2. Sponsi, qui sibi conscii sunt impedimenti, Matrimonium inter eos dirimentis, tenentur vel fateri veritatem Ordinario interroganti etiam cum sua apud ipsum infamia, vel desistere à Matrimonio contrahendo; quia, quando agitur de salute animæ, & de peccatis vitandis, potest superior interrogare, & etiam juramentum exigere à reo, licèt actor nihil probaverit; ergo in casu nostro potest Ordinarius inquirere de impedimento occulto, etsi infamia non præcesserit, adeoque tenentur & sponsi fateri veritatem. Sic & juxta omnes ex Cap. *Nisi cùm pridem* 10 *de renuntiatione;* anhelans ad sacros ordines interrogatus de vitio, quod ipsum incapacem reddit, ab Ordinario, tenetur fateri veritatem: bonum enim commune Religionis prævalet famæ hominis. Nec juvat, quòd Ordinarius agat, ùt Judex, nam licèt Judex nequeat speciatim inquirere, nisi infamia, vel semiplena probatio præcesserit, quando agitur de pœna infligenda; id tamen non tenet, quando agitur de peccato vitando. Non tenerentur tamen fateri impedimentum occultum sponsi, si pro foro conscientiæ impetrâssent dispensationem; quia habet Judex tantùm potestatem interrogandi, ut vitetur peccatum, quod in hoc casu aliunde vitatur. Aliud foret, si curreret fama publica, aut adessent indicia alia sufficientia: tum enim Judex adhuc interrogaret juridicè, modò fama sit probata in judicio.

605. *Tenentur & sponsi sub gravi vel abstinere a contractu, vel fateri veritatem.*

Potest ab iis juramentũ exigi.

Resp. 3. Si ad Parochum deferatur impedimentum, aut ipse aliunde sciat, tenetur dissuadere Matrimonium, sique sponsi non acqui- 606. *An possit Paro-*

chus assistere, si solus scit impedimentum quiescunt, deferre ad Ordinarium, etsi tantùm esset impedimentum impediens v.g. ortum ex Sponsalibus, nec potest assistere Matrimonio, etsi privatâ solùm scientiâ novisset impedimentum, nisi notitia esset tantùm ex Sacramentali Confessione. *Nec obstat*, quòd existens in peccato occulto non possit à Parocho repelli publicè à Sacramento: nam cûm Ecclesia de internis non judicet, non potest ideo repelli à Matrimonio publicè, & impediri in foro externo; potest autem ob impedimentum, si per unum testem probari possit, qualis hìc est Parochus: speciale enim id est Matrimonio, quòd Ecclesia ad id requirens proclamationes, agat per modum Judicis in foro externo, in quo, ubi de peccato vitando agitur, sufficit unus testis. Quodsi Episcopus pronuntiaret pro sponsis, posset Parochus licitè assistere; quia tantùm permitteret attentari contractum, quem sponsi omittere possent. Similiter potest assistere, si in impedimento occulto esset dispensatum pro foro interno, & nullus denuntiaret; secùs, si quis denuntiâsset. Denique, si tantùm unus testis de auditu, aut non juratus testaretur de impedimento, factâ inquisitione privatâ, juxta *La Croix* potest procedi ad nuptias. Vide *Eundem* N. 486.

607. *Quid, si die, nuptiis determinatâ, detegeretur?* *Sed quid*, si convivium nuptiale jam paratum esset, amicique convocati adessent, & detegeretur Pastori impedimentum? Resp. Si extra Confessionem Sacramentalem haberet notitiam, & impedimentum revelari posset sine infamia sponsorum, uti esset impedimentum cognationis naturalis, aut spiritualis, vel affinitatis ex Matrimonio ortum, procedi non posset ad nuptias ante impetratam dispensationem;

nem; si autem impedimentum sine infamia, & gravi perturbatione revelari non posset; suadeat Parochus, ut contrahant non absolutè, sed sub conditione, si Ecclesia dispenset, & adhibeantur verba indifferentia ad Matrimonium de præsenti, & futuro sub conditione, v. g. si Parochus interroget antè instructos de intentione, vultis esse conjuges, illique affirment, intelligendo, ubi dispensatum fuerit: verba enim, ad duo indifferentia, determinantur per intentionem loquentium, nec sic simulant Sacramentum; quia contractus conditionatus Sacramentum non est. *Nec obstat*, quòd præsentes putent, contrahi absolutè: nam quando loco absolutionis sacramentalis datur benedictio pœnitentibus indispositis, non simulatur Sacramentum, etsi homines putent, dari absolutionem, vide suprà N. 33. Præterea monendi sunt tales sponsi, ut abstineant à copula, & eodem toro, sed abeat sponsus negotiorum causâ, vel pro impetranda dispensatione. Denique, si intelligat impedimentum in Confessione Sacramentali, & aliter declinari non possit sine infamia, idem in ea suadeat, vel jubeat, ut ipsi impedimentum revelent. De benedictione nuptiarum videatur Rituale Romanum, vel Diœcesanum.



QUÆS-

QUÆSTIO VII.

Quomodo Matrimonium, invalidè ob impedimentum dirimens contractum, ſit revalidandum?

608. *Quando renovā-dum in facie Eccleſiæ* Reſp. 1. Quando Matrimonium in facie Eccleſiæ eſt contractum, ſed invalidè ob impedimentum dirimens, vel defectum conſenſùs; tum ſi impedimentum, vel defectus conſenſûs lateat, neque periculum ſit, ne erumpat, aut probetur in judicio; ſufficit: ubi impedimentum eſt ſublatum, contrahere clam Paſtore, & teſtibus; ſi verò invalidè contractum ob defectum tunc, vel nunc publicum, aut periculum ſit, ne is fiat publicus, vel probetur in foro externo; Matrimonium renovandum eſt coram Parocho & teſtibus. *1ma pars* eſt communior cum *Sanch.* & aliis, quorum multi eam dicunt moraliter certam, & *Ratio eſt* tum; quia adhuc obtinetur finis Eccleſiæ, neque enim tales conjuges poterunt ſe impunè deſerere, tranſire ad alias nuptias, cùm conſtet, eos in facie Eccleſiæ contraxiſſe, & præſumitur Matrimonium validum: tum quia Lex *Trid.* ad hunc caſum ſe non extendit; ſed tantùm irritat Matrimonia, antea ab Eccleſia prohibita, ex quibus ſequi poterat impune divortium, & tranſitus ad alias nuptias; jure autem antiquo non erat prohibitum clam renovare Matrimonium, in facie Eccleſiæ invalidè contractum, Et hinc Sacra Pœnitentiaria, diſpenſans in impedimento occulto, diſertè mandat, ut Matrimonium renovetur occultè ad vitanda ſcandala. Hæc ſententia eſt

est practicè tuta ; quia probabilis in quæstione juris : quo casu , si opposita vera foret , Ecclesia suppleret defectum. *Nec obstat :* quòd præsentia Parochi , & testium sit forma substantialis contractûs ; nam est tantùm forma substantialis , quando Matrimonium primò contrahitur ; ad casum autem , quo renovatur, Lex *Trid.* se non extendit. Deinde solennitas illa in ordine ad finem , ab Ecclesia intentum, perseverat moraliter, quæ præsumit, consensum esse positum etiam validè , quod non posset , si nec apparenter positus fuisset. *Pars 2da* est communis , & certa : cùm enim tale Matrimonium ad petitionem unius partis dissolvi possit , ac debeat : etiam posito clam consensu posset una pars malitiosè petere dissolutionem , nec cogi ab Ecclesia posset , ut permaneat in Matrimonio, cùm non constet Ecclesiæ de ejus firmitate , sicque sequerentur omnia incommoda , quæ Ecclesia , irritando Matrimonium clandestinum , intendit impedire. Idem probabilius dicendum , si Parochus , vel testes scivissent , subesse impedimentum : quia tunc in facie Ecclesiæ constaret de nullitate contractûs ; uti & , si prudens periculum sit , ne aliquando innotescat : si enim innotesceret , posset una pars , non obstante consensu clam posito , malitiosè resilire : unde si in hoc casu impedimentum sciretur ex Confessione solùm Sacramentali , curandum foret, ut cum venia pœnitentis Matrimonium in facie Ecclesiæ revalidaretur. Tenent quidem aliqui , idem faciendum esse , etsi impedimentum sit occultum , nec periculum , ne innotescat , eò quòd *Clem. VIII. & Urbanus VIII.* ità declaràrint ; at eorum responsa aut loquuntur

tur de casu, quo defectus probari potuit, aut non habent vim legis, cùm Sacra Pœnitentiaria Romæ jubeat clam renovari consensum, si impedimentum sit occultum; Dataria verò, dispensans in impedimento publico, mandet renovari in facie Ecclesiæ.

609. *Si primùm fuerit consensus utriusque invalidus, poni debet utrimque novus.* Resp. 2. Ut Matrimonium, in facie Ecclesiæ contractum invalidè ob defectum consensûs ex utraque parte contrahentium, clam revalidetur, debet ab utraque parte novus poni consensus, signo externo sensibili manifestatus, ùt, si duo fictè contraxissent, vel utriusque consensus fuisset metu gravi injusto extortus. *Ratio est;* quia Matrimonium consistit in contractu humano valido. Si verò fuerit invalidè contractum ex defectu consensûs, ex una parte, aut ob metum injustum uni parti incussum, probabiliter sufficit poni novum consensum ab illa parte, signo sensibili expressum. In praxi tamen, quoad fieri potest, ponendus novus consensus ab utraque parte, isque mutuò manifestandus.

Ratio 1mæ partis, quam tenet *S. Th.* in 4. D. 29. A. 3. Q. 2. ad 2. aliique multi, est; quia alterius consensus moraliter perseverat, & manifestatur constanter, dum alteram partem tractat ùt conjugem; sufficit autem consensus moraliter perseverans, ùt patet in contrahente per Procuratorem.

Ratio 2dæ partis est; quia opposita multorum sententia est probabilis; eò quòd deceptus videatur non consensisse, nisi sub conditione, si & altera pars verè consentiat, adeoque consensus decepti fuerit irritus, & acceptatio corporis non traditi, consensûsque non existentis, proinde error in substantia. Dici qui-

quidem ad hoc potest, consensum decepti fuisse absolutum; qui noluit exercere etiam ex parte sua fornicationem, sed supposuit, alteram partem consentire; acceptationem verò fuisse conditionatam, quæ, posito postea consensu, transierit in absolutam: verùm quia prior sententia certa non est, & Ecclesia consensum supplere non potest, tenenda in praxi est posterior, ne Sacramentum exponatur periculò nullitati Quòd fictè professus in Religione fiat Religiosus ex Cap. 11. *de Regul.* si postea tacitum ponat etiam consensum, ex eo est, quia Ecclesia ejus consensum acceptat.

Resp. 3. Si Matrimonium fuit invalidè contractum ob impedimentum dirimens, ut revalidetur, requiritur quoque novus utriusque consensus. *Ratio est;* quia prior consensus fuit nullus, sive unus, sive neuter scíverit impedimentum, adeoque non perseverat habitualiter: fuit enim contractus inter personas inhabiles: unde, si unus scívit impedimentum, debet comparti manifestare, si possit sine infamia, vel saltem suspicionem movere de valore Matrimonii; aliàs hæc renovabit tantùm priorem consensum, qui nullus est, sicque error erit in substantia. *Nec juvat*, quòd impedimentum ignorans tractet alteram partem, ùt conjugem; quia id facit ex suppositione validi conjugii, non ex intentione contrahendi Matrimonium. Hæc sententia in praxi omninò tenenda est; quia agitur de valore Sacramenti ex defectu consensûs, quem Ecclesia supplere non potest. Unde sententia opposita, non requirens, ut parti ignoranti suspicio moveatur de valore, non est practicè tuta. Imò *La Croix* N. 814. putat, nec sufficere suspi-

610. *Idem est si adfuit impedimentum dirimēs*

ſpicionem movere, eò quòd ignorantiam non tollat: rectiùs tamen contradixit *Pichler* hìc Tit. 17 N. 55. quia, licèt tum non habeatur abſoluta, & formalis notitia de nullitate, habetur tamen æquivalens, ſufficiensque ad ponendum novum conſenſum: nam ideo requiritur notitia, ut ignorantis conſenſus non referatur ad prius Matrimonium, quod putat eſſe validum, ſed ad contrahendum novum; jam verò, ſi habeatur ſuſpicio, conſenſus referri poteſt ad contrahendum de novo ſub conditione nullitatis: cùm enim conditio ſit de præſenti, vel præterito, conſenſus erit abſolutus, dicendo: Volo contrahere, ſi Matrimonium ſit, vel fuit irritum.

611. *Quomodo inſtruendi conjuges pro revalidatione?*

Reſp. 4. Impetratâ diſpenſatione in impedimento, ſi neceſſaria fuit, pro praxi expendendum, an conjuges putatitii invicem ſe ament, & abſit periculum ſcandali, divortii, deſertionis liberorum, an verò vivant in odiis, rixis &c. meritòque timenda ſit ſeparatio, deſertio liberorum, ſcandalum, aliave graviſſima mala; ſi primum ſit, conſcius impedimenti poterit alteri parti candidè dicere: multùm angor; quia Matrimonium inter nos credo eſſe invalidum, rogo te, ut in ſolatium conſcientiæ meæ mecum dènuò contrahas, méque in conjugem ſuſcipias, prout nunc ego te libenter accipio: ſi altera pars annuat, vel dicat, placet, conſentio; Matrimonium eſt revalidatum, ſi impedimentum non ſit publicum, vel notum ſecundùm dicta. Si fortè pars ignara interroget de impedimento, non tenetur illius conſcius, imò non expedit aperire, ſi proveniat ex peccato v. g. copulâ illicitâ? ſed poteſt dicere: non habui, ùt audio, cònſenſum ſuffi-

cien-

cientem, tu in ſolatium meum, & pro bono animæ tuæ acquieſce, & mecum de novo contrahe: verè enim conſenſum ſufficientem non habuit, utpote invalidum. Poteſt quoque ad conſenſum inducere propoſitâ conditione, v. g. dicendo: ſi Matrimonium noſtrum reipſâ fuiſſet invalidum, nunquid novum præſtas conſenſum, vel nunquid contenta es, ut ſimus conjuges? ſic enim percipimus gratiam ſacramentalem, portandi onera noſtra: ecce, ego te in conjugem accipio: ſi pars altera reponat: & ego te, jam habetur conſenſus abſolutus; quia conditio eſt purificata; debet tamen moveri ſuſpicio aliqua de nullitate Matrimonii, ſaltem per ſe loquendo, aliàs putabit, non poſſe de novo contrahi, reſpondebitque fortè, ſaltem in animo: vellem te accipere in conjugem, ſi conjux non eſſes, id quod non ſufficit; quia non eſt conſenſus abſolutus de præſenti. Si autem ſecundum advertatur, timeanturque dicta mala ex revelatione nullitatis Matrimonii, gravis eſt difficultas, putatque *Sanch. Dicaſt.* aliique plures, omitti tunc poſſe revelationem nullitatis, modò obtineatur novus conſenſus ab ignorante, qui cenſeri poſſit poni, & ſatis exprimi per hoc, quod maritali affectu petatur, vel reddatur debitum conjugale; pars verò, conſcia impedimenti jam ſublati, expreſsè conſentiat de novo, ſi non verbo, ſaltem facto, puta, maritali copulâ. *Ratio illorum eſt;* quòd ſententia, negans requiri, ut nota ſit parti utrique nullitas Matrimonii, ſit probabilis, eâque liceat in tali neceſſitate uti, ſalvâ Sacramenti reverentiâ? ſicut licet uti in neceſſitate materiâ dubiâ Baptiſmi. Pro majori cautela ſic etiam res poſſet peragi;

Confessarius, vel alius idoneus, cui pars ignara est addicta, in se suscipiat negotium illud & conjugi, nullitatem ignoranti, proponat quàm necessariæ, & utiles sint gratiæ sacramentales ad sustinenda onera Matrimonii, ad animos conjugum conciliandos, ad vivendum pacificè cum conjuge moroso, & difficili, quæ tamen non conferantur, si Matrimonium fortè sit nullum, uti facilè esse potest ob occultum impedimentum: his præmissis dicat: Matrimonium inivistis in facie Ecclesiæ, ut vos invicem separetis, & cum alia persona contrahatis, nunquam permittetur, non vivitis concordes: fundamentum est dicendi: Matrimonium non esse inter vos debitè contractum. Dic ergo conjugi tuo: si Matrimonium nostrum ex aliqua causa nullum fortè sit, ego re ex nunc in conjugem accipio, nunquid & tu me in conjugem accipis? Si respondeat: accipio, consentio, Matrimonium perficitur. Proderit autem, ut pars, impedimenti conscia, alteri parti, priusquam ad jam dicta procedatur, extraordinaria obsequia, amorem, reverentiam exhibeat: sic enim, animo sensim mitigato, faciliùs consensum obtinebit. Quodsi advertat, partem, impedimenti ignaram, jam bene esse dispositam, faciat, uti paulò antè monui.

612. *Tria observanda.* *Notanda* insuper hic tria sunt. 1*mum*. Curandum, ut existimati conjuges, priusquam novum consensum præstent, sint in statu gratiæ, ne Sacramentum indignè suscipiant: hinc, si prudens sit timor de statu malo, inducendi sunt suaviter ad Sacramentalem Confessionem, aut, si id non ferant circumstantiæ, ad contritionem perfectam.

2dum. Monendi sunt, ut abstineant ab usu Matrimonii, aliisque, quæ extra conjugium non licent, donec novus præstitus sit consensus. Quare, si pars, impedimenti ignara, debitum peteret, ejusdem conscia suaviter se excusare deberet, v. g. dicendo, se modò esse indispositum, nempe intelligendo, indispositione animæ, quæ verè adest.

3tium. Si prævideretur, dispensationem non posse cum fructu executioni dari, sed ex revelatione impedimenti gravia incommoda secutura, & utraque pars, impedimenti ignara, esset in bona fide, relinquendi essent putatitii conjuges in sua inculpabili ignorantia, ne peccatis duntaxat materialibus succedant formalia.

CAPUT V.

De Matrimoniis Hæreticorum tum inter se, tum cum Catholicis.

QUÆSTIO I.

An Matrimonia talia contracta sine præsentia Parochi valeant?

PRænotanda sunt sequentia. *1mum.* Quin 613.
Hæretici ligentur, per se loquendo, Le- *Certa*
gibus Ecclesiæ, extra dubium est: cùm enim *quædam*
& ipsi Ecclesiam per Baptismum sint ingressi, *præmit-*
manent eidem subjecti, nec magis se ejus *tuntur.*
jurisdictione, & imperio possunt eximere, quàm sempiternum Baptismi delere characterem. Quod liquet ex Canone 56. Concilii

Toletani 4. & cum communi confirmat *Suar.* de LL. L. 4. Cap. 19. N. 4. & alii. Hinc intulit *Less. Gobat*, *Zoësius*, *La Croix*, aliique multi lege Tridentini suprà N. 563. relata, quâ irritantur Matrimonia, sine præsentia veri Parochi inita, ubi Tridentinum est promulgatum, astringi Hæreticos, eorumque conjugia, sine præsentia Parochi Catholici contracta, esse irrita.

2. Certum est, valere Matrimonia Hæreticorum coram Magistratu Acatholico contracta in locis, in quibus Concilii Trid. Lex aut nec est promulgata, aut per consuetudinem legitimam abrogata est, ut constat ex dictis sub N. 563. Idem dicendum, si, an lex in aliquo loco sit legitimè promulgata, prudenter dubitetur: habet enim communissima Theologorum & Canonistarum, in dubio, an lex possideat, standum esse pro libertate, & alioquin esset obligatio semper sequendi tutissima, & non liceret sequi inter probabiles probabilissimam.

3. Certum est, valere Matrimonia ab Hæreticis, alio non interveniente impedimento, sine præsentia Parochi contracta in locis Principi Acatholico subjectis, ubi vel non est Parochus, aut Vicarius Catholicus, vel accessus ad eum non est tutus, sed moraliter impossibilis ob gravia incommoda. Habetur ex dictis suprà sub N. 563. & ex responsione Sacræ Congreg. Cardinalium, datâ anno 1632. 27. Martii Episcopo Tricariensi Vicario Apostolico per Belgium. Et *Ratio est*; quia, ubi lex humana in aliqua communitate observari non potest, patitur quandam Epiikiam, ne sit in detrimentum communitatis, cujus bonum pro-

promovere deberet, obligetque ad aliquid in illa communitate impossibile; secùs, si in privato casu lex irritans observari non possit; tum enim illa vim suam retinet quoad illum, sic exigente bono communi, ne homines sibi fingant ejusmodi casus plures, & lex suum robur prorsus amittat, passimque violetur. Dixi: *Patitur quandam Epiikiam*; quia aliqui volunt, Epiikiam tantùm habere locum in casu particulari, comprehenso quidem verbis legis universalibus, excipiendo tamen à mente Legislatoris, nolentis eum lege suâ comprehendere; ubi autem agitur de excipienda communitate, esse legis interpretationem, eamque cessare respectu illius communitatis universim. Sed hoc de modo loquendi est.

Quæstio igitur tantùm est de Matrimoniis Hæreticorum tum inter se, tùm inter personas, Hæreticam unam, alteram Catholicam, extra illos casus. Ad quam

Resp. Matrimonia inter Hæreticos, vel Hæreticam inter & Catholicum, vel contrà, contracta in locis Belgii fœderatorum Ordinum dominio subjectis, valida sunt conformiter Declarationi Sanctæ Sedis Apostolicæ anno 1741. die 4. Novembris emanatæ. Quam subjicio. 614. *Matrimonia in Belgio fœderato inter Hæreticos.*

DECLARATIO.

Sanctissimi Domini Nostri BENEDICTI Papæ XIV. cum instructione super Dubiis, respicientibus Matrimonia in Hollandia, & Belgio contracta, & contrahenda.

 Matri-

615. MAtrimonia, quæ in locis Fœderatorum Ordinum dominio in Belgio subjectis iniri solent, sive inter Hæreticos ex utraque parte, sive inter Hæreticum ex una parte virum, & Catholicam fœminam ex alia parte, aut vice versâ, non servatâ formâ, à S. Concilio Tridentino præscripta, utrùm valida habenda sint nec ne, diu multumque disceptatum est, animis hominum, ac sententiis in diversa distractis. Id quod satis uberem anxietatis, & periculorum sementem per multos annos subministravit; cùm præsertim Episcopi, Parochi, atque illarum Regionum Missionarii nihil certi hac super re haberent, nihil verò inconsultâ Sanctâ Sede, auderent statuere, ac declarare: cùm autem, proximè evolutis annis, in tam ancipiti, gravique causâ Apostolicæ Sedis judicium vehementius exposceretur, urgeretque id inprimis vigilantissimus Episcopus Iprensis dum pro debito officii sui, & suâ erga Beati Petri Cathedram observantiâ de concreditæ sibi Ecclesiæ statu ad Romanum Pontificem referebat, ponendumque omnino tam prolixæ dubitationi finem gravissimis verbis, ac rationibus persuaderet; Clemens XII. id temporis Romanus Pontifex, cùm rei gravitatem, quanti oportebat, æstimaret, Sacræ Congregationi Eminentissimorum Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, in mandatis dedit, ut de tota controversia diligenter more suo cognoscerent. In re itaque tanti momenti volens eadem Sacra Congregatio quàm accuratissimè procedere, commissæ sibi cognitionis initium ab exquisitis aliorum Belgii Episcoporum relationibus, atque sententiis, quas desuper explorari

regit, petendum duxit, eodemque tempore audire voluit præstantes aliquos hujus Almæ Urbis Theologos, quibus injunxit, ut rem totam eâ, quâ decet, maturitate, discuterent, suamque opinionem proferrent. At, dum hæc maximè agerentur, supersedendum per aliquot menses fuit ab istiusmodi causæ expeditione propter viduitatem, quæ incidit Romanæ Ecclesiæ, donec ad Summum Pontificem feliciter evectus Sanctissimus D. N. BENEDICTUS XIV. inter primas regiminis sui curas, causæ hujus cognitionem repeti jussit à memoratâ Sacra Congregatione Concilii, quam voluit coram se haberi, ut auditis Eminentissimorum Patrum sententiis ipse demum, quid hac in re tenendum foret, Supremo suo pronunciaret Oraculo. Cùm igitur Congregatio præfata sub diem 13. Maji currentis anni 1741. coram Sanctitate Sua fuerit habita, idem Sanctissimus D. N. spatio aliquo temporis ad rem secum expendendam accepto, hanc nuper declarationem, & instructionem exarari præcepit, quâ veluti certâ regulâ, ac formâ omnes Belgii Antistites, Parochi, earumque Regionum Missionarii, & Vicarii Apostolici deinceps in hujusmodi negotiis uti debeant.

Primò scilicet, quod attinet ad Matrimonia ab Hæreticis inter se in locis Fœderatorum Ordinum dominio subjectis celebrata, non servatâ formâ, per Tridentinum præscriptâ, licèt Sanctitas Sua non ignoret, aliàs in casibus quibusdam particularibus, & attentis tunc expositis circumstantiis Sacram Congregationem Concilii pro eorum invaliditate respondisse; æquè tamen compertum habens, 616. *Matrimonia inter Hæreticos Belgii Fœderati.*

 nihil

nihil adhuc generatim, & universè super ejusmodi Matrimoniis fuisse ab Apostolica Sede definitum, & alioquin oportere omnino ad consulendum universis Fidelibus, in iis locis degentibus, & plura avertenda gravissima incommoda, quid generaliter de hisce Matrimoniis sentiendum sit, declarare; negotio maturè perpenso, omnibusque rationum momentis hinc inde sedulò libratis, declaravit, statuitque, Matrimonia in dictis Fœderatis Belgii Provinciis inter Hæreticos usque modò contracta, quæque imposterum contrahentur, etiamsi forma, à Tridentino præscripta, non fuerit in illis celebrandis servata, *Dummodo aliud non obstiterit Canonicum impedimentum*, pro validis habenda esse, adeoque, si contingat, utrumque conjugem ad Ecclesiæ Catholicæ sinum se recipere, eodem, quo antea, conjugali vinculo ipsos omninò teneri, etiamsi mutuus consensus coram Parocho Catholico ab eis non renovetur; sin autem unus tantùm ex conjugibus, sive masculus, sive fœmina convertatur, neutrum posse, quamdiu alter superstes erit, ad alias nuptias transire.

617. *Matrimonia inter personas unam Catholicam, alteram Acatholicam.* Quòd verò spectat ad ea conjugia, quæ pariter in iisdem Belgii Provinciis absque forma, à Tridentino statuta, contrahuntur à Catholicis cum Hæreticis, sive Catholicus vir hæreticam fœminam in Matrimonium ducat, sive Catholica fœmina hæretico viro nubat, dolens imprimis quàm maximè Sanctitas sua, eos esse inter Catholicos, qui insano amore turpiter dementati ab hisce detestabilibus connubiis, quæ S. Mater Ecclesia perpetuò damnavit, atque interdixit, ex animo non abhorrent, &

prorsus

prorſus ſibi abſtinendum non ducunt, laudantque magnopere zelum illorum Antiſtitum, qui ſeverioribus propoſitis ſpiritualibus pœnis Catholicos coercere ſtudent, ne ſacrilego hoc vinculo ſeſe Hæreticis conjungant, Epiſcopos omnes, Vicarios Apoſtolicos, Parochos, Miſſionarios, & alios quoſcunque Dei, & Eccleſiæ fideles Miniſtros, in iis partibus degentes, feriò, graviterque hortatur, & monet, ut Catholicos utriusque ſexûs ab hujusmodi nuptiis in propriarum animarum perniciem ineundis, quantùm poſſint, abſterreant, easdem nuptias omni meliori modo intervertere, atque efficaciter impedire ſatagant. At, ſi fortè aliquod hujus generis Matrimonium, Tridentini formâ non ſervatâ, ibidem contractum jam ſit, aut impoſterum (quod Deus avertat) contrahi contingat, declarat Sanctitas ſua, Matrimonium hujusmodi, *alio non concurrente Canonico impedimento*, validum habendum eſſe, & neutrum ex conjugibus, donec alter eorum ſupervixerit, ullatenus poſſe ſub obtentu dictæ formæ non ſervatæ novum Matrimonium inire; id verò debere ſibi potiſſimum in animum inducere conjugem Catholicum ſive virum, ſive fœminam, ut pro graviſſimo ſcelere, quod admiſit, pœnitentiam agat, ac veniam à Deo precetur, conetur que pro viribus alterum conjugem à vera fide deerrantem ad gremium Catholicæ Eccleſiæ pertrahere, ejusque animam lucrari, quod porrò ad veniam de patrato crimine impetrandam opportuniſſimum foret, ſciens de cætero, ùt mox dictum eſt, ſe iſtius Matrimonii vinculo perpetuo ligatum iri.

Ad hæc declarat Sanctitas ſua, ut, quidquid 618.

Matrimonia in urbibus conterminis inter personas Fœderatorum copiis addictas hactenus sancitum, dictumque est de Matrimoniis, sive ab Hæreticis inter se, sive inter Catholicos, & Hæreticos initis in locis Fœderatorum Ordinum dominio in Belgio subjectis, sancitum, dictumque intelligatur etiam de similibus Matrimoniis, extra fines dominii eorundem Fœderatorum Ordinum contractis ab iis, qui addicti sunt legionibus, seu militaribus copiis, quæ ab iisdem Fœdoratis Ordinibus transmitti solent ad custodiendas, muniendasque arces conterminas, vulgò dictas di Barriera; ità quidem, ut Matrimonia ibi præter Tridentini formam, sive inter Hæreticos utrimque, sive inter Catholicos, & Hæreticos inita valorem suum obtineant, dummodo uterque conjux ad easdem copias, sive legiones pertineat; & hanc declarationem vult Sanctitas sua complecti etiam civitatem Mosæ Trajectensis, à Republica Fœderatorum Ordinum, quamvis non jure dominii, sed tantùm oppignorationis, ùt ajunt, nomine possessam.

619. *Alia dubia resolvenda sunt secundùm jus commune.* Tandem circa conjugia, quæ contrahuntur vel in regionibus Principum Catholicorum ab iis, qui in Provinciis Fœderatis domicilium habent, vel in fœderatis provinciis ab habentibus domicilium in regionibus Principum Catholicorum, nihil Sanctitas sua de novo decernendum, aut declarandum esse duxit, volens, ut de iis, juxta Canonica juris communis principia, probatasque in similibus casibus aliàs editas à sacra Congregatione Concilii resolutiones, ubi disputatio continget, decidatur; & ità declaravit, statuitque, ac ab omnibus imposterum observari præcepit.

Die 4. Novembris 1741.

SY-

SYNOPSIS.

Declarationis Pontificis, & Argumentorum, quæ pro decisione controversiæ produxerunt. Theologi Romani, Reverendissimus D. Besozzi Ordinis Cisterc. Abbas S. Crucis, postea Cardinalis, P. Thomas Sergius S. Officii Consultor, P. P. Dominicus Turano, & Ægidius Maria Giulii Societatis JESU, à sacra Congregatione ex mandato S. M. Clementis XII. Papæ deputati.

Membrum 1mum Declarationis.

620. *Matrimonia inter conjuges Hæreticos valida in Belgio.*

Matrimonia ab Hæreticis inter se in locis Fœderatorum Ordinum dominio in Belgio subjectis, non servatâ formâ à Tridentino Concilio præscripta, usque modo contracta, ac deinceps contrahenda, dummodo aliud non obstiterit Canonicum impedimentum, pro validis habenda sunt.

621. *Exemptio à lege Tridentini argumentum primum*

Argumentum 1mum. Concilium Tridentinum suâ lege, irritante Matrimonia, sine præsentia veri Parochi contracta, Hæreticorum Respublicas, & communitates seu tunc existentes, seu futuras Principi, vel Magistratui Acatholico subjectas censendum est non comprehendisse.

Probatur 1. Nam verba legis restringenda sunt juxta Theologos 1. Quando alioquin sequitur absurdum: hoc enim non censetur voluisse Legislator. 2. Quando se extendunt ultra rationem legis: hæc enim unica movet voluntatem Legislatoris, adeoque ubi ea cessat, deficit Legislatoris voluntas, legeque limitatâ, verba quoque limitanda sunt. 3. Quando cessat

cessat materia legis, ùt habet communis sententia Theol. cum *Suar.* de legibus L. 6. Cap. 5. Jam verò hæc omnia hìc locum habent: imprimis enim sequerentur absurda, nempe infinita quasi adulterina conjugia, maxima legitimarum successionum, ac hæreditatum confusio, dubiaque, & anxietates conscientiæ de valore Matrimonii absque numero, quæ haud dubiè absurda sunt, quæque Concilium & prævidit, & prudenter velle non potuit: & hinc Episcopi non pauci, cùm non parvo numero Theologorum in Concilio restiterunt primùm aliorum intentioni decretum irritans concinnandi, estque dein mitigatum, ut mox ex Pallavicino audiemus. Dein respectu eorundem Hæreticorum cessat ratio principalis unica decreti, quæ fuit, ut mala, ex Clandestinis Matrimoniis nata sequi, evitarentur: His autem apud Hæreticos illos satis cautum est per præsentiam Magistratûs, vel ministelli, & testium. *Nec obstet*, quòd apud Catholicos ea non sufficiat, sed ad valorem actûs requiratur præsentia Parochi: nam Concilium, prævidens recipiendum facilè à Catholicis suum decretum, exigit eam tum in reverentiam Sacramenti, tum ut nuptiis benediceretur, & impedimenta Matrimonii deinceps cum aliis constare possent Parochis, quæ ab Hæreticis exspectare non poterat. Denique cessat materia legis, hæc enim versabatur circa Matrimonia occulta ità, ut in foro externo probari non possent; Matrimonia autem Hæreticorum ità occulta non sunt, cùm contrahantur coram Magistratu, vel aliis testibus. Confirmatur: Legislator non censetur id suâ lege comprehendere, quod si ei propositum fuisset, verisimi-

similiter non fuisset comprehensurus; atqui si Concilio fuisset propositum, an suâ lege velit comprehendere communitates, in quibus tot mala essent inde secutura, verisimiliter eas non fuisset comprehensurum.

Probatur 2. Concilium voluit, quàm minimè potuit, libertatem Matrimonii suo decreto restringere, voluit consulere bono communi, tantùmque mala, ex Matrimoniis clandestinis oriri solita, avertere; atqui, si eo comprehendisset communitates hæreticas, Principi, vel regimini Acatholico subjectas, ista non obtinuisset; sed occasionem dedisset majorum, & plurium malorum, quæ haud dubiè prævidebat; ergo illas communitates suo decreto non comprehendit. Minor patet ex jam dictis, major ostenditur: nam, ùt testatur Pallavicinus in historia *Trid. L.* 22. *Cap.* 4. & *L.* 23. *Cap.* 3. & 9. P.P. Concilii decretum conceperant, quo irritarentur Matrimonia liberorum sine consensu parentum, & aliorum etiam sine Parocho, vel alio Sacerdote ab ipso deputato, & duobus, vel tribus testibus, fide dignis contrahenda; cùm autem obmoveretur, sic nimiùm restringi libertatem Matrimonii, remediumque concupiscentiæ, à Deo concessum; primam decreti partem totam, & secundæ verba: *Fide dignis*, expunxerunt, præceperuntque, ut decretum suum in unaquaque Parochia sæpiùs publicaretur, roburque habere noluerunt, nisi post 30. dies, à prima die publicationis, in eadem Parochia factæ, numerandos: proinde vim non haberet in Parochiis, in quibus publicatum non esset; idque eam potissimùm ob causam, ùt refert Pallavicinus L. 22. Cap. 8. & 10. ne ad connubia celebran-

lebranda inepti evaderent Hæretici in Anglia, Dania &c. à fide Catholica jam prolapsi, quos prævidebant decretum non recepturos, nec ad id recipiendum cogi posse invitos, utpote Principi Acatholico subjectos. Hæc autem ratio pariter facit pro aliis Hæreticorum communitatibus, qui in provinciam aliquam, in qua, uti in Provinciis Belgii Fœderati factum esse, satis luculenter ostendit P. Giulii in sua disceptatione à Pag. 216. lex Tridentini jam ante publicata fuit, postea invaserunt, eamque ùt suam absolutè possident. Igitur censendum, & has esse exceptas; tum quia, ubi est eadem ratio, eadem debet esse legis dispositio; tum quia aliàs non obtinuisset Concilium, quod intendebat, id est, non prospexisset libertati Matrimonii, remediumque concupiscentiæ à Deo concessum, sustulisset Hæreticis pene omnibus, concubinatus fornicarios innumeros, confusionem successionum, & hæreditatum non evitâsset, vel Matrimonia innumera dubii valoris reliquisset eorum, qui prævidebantur non recepturi legem, ùt considerandum proponebat P. Jacobus Laynez Societatis JESU Generalis.

Probatur 3. Lex non debet esse nimis ardua, & communitati observatu moraliter impossibilis: atqui talis fuisset lex Tridentini, si hæreticas communitates, Principi Heterodoxo subjectas, comprehendisset; ergo. Major ab omnibus admittitur. Minor probatur: nam, ut Hæretici Matrimonium validè contraherent, necesse fuisset adire Parochum Catholicum; hunc autem si adivissent, eorum Principes, vel Magistratus gravissimè in eos, tanquam legum suarum violatores, animadvertissent.

Quare

Quare debuissent vel Ecclesiæ Catholicæ se aggregare, aut perpetuò carere jure ad Matrimonium, remedioque concupiscentiæ. Primum fuisset plerisque difficillimum, & moraliter impossibile: Plerique enim rustici, aliique plebeji Hæretici tantùm materiales, ex libris se juvare non possunt, instructorem non habent, ab ætate tenera imbuti erroribus, persuasique sibi in sua religione aditum ad salutem non esse interclusum, sique aliqui ad Ecclesiam se referant, privantur suis possessionibus. Alterum quoque est onus gravissimum, faceretque illos deterioris conditionis, quàm sint Gentiles, & Judæi: his enim Christus, etsi contractum matrimonialem elevaverit ad rationem Sacramenti; cujus isti non sunt capaces, reliquit tamen Matrimónium validum in ratione contractûs, ne remedio concupiscentiæ privarentur, idque, licèt prævideret Judæorum duritiem, & contra se rebellionem. Possunt quidem, & tenentur Hæretici agnitâ veritate se referre ad Ecclesiam, sicque gaudere jure ad validum Matrimonium. At possunt, & tenentur etiam ad id Judæi, & tamen, si id non faciant, Christus eos non voluit esse destitutos jure ad Matrimonium, remedioque concupiscentiæ. Possent vagi alicubi domicilium collocare, & habere proprium Parochum: & nihilominus, si id non faciant, validè contrahunt coram Parocho hospitii, ne priventur jure ad Matrimonium. Possunt, qui in locis habitant, ubi, vel non est Parochus, vel non est tutus ad eum accessus, aliò se conferre: & tamen, si id negligant, validè contrahunt sine Parocho. Si pro his locum habet interpretatio Tridentini, cur non pro communi-

munitatibus Hæreticorum, regimini Acatholico subjectis. Hoc est præcipuum argumentum, quo moti omnes Theologi deputati steterunt pro valore Matrimoniorum in fœderato Belgio ab Hæreticis sine vero Parocho contractorum.

622. *2. Consuetudo præscripta.* *Argumentum 2dum* à duobus petebatur ex consuetudine, per quam lex promulgata, & aliquando recepta, cessat vel tota, vel quoad aliquam communitatem, si adsint hæ conditiones: 1ma. Si consuetudo sit rationabilis. 2da. Si sit in majore parte communitatis legitimo tempore continuata. 3. Si assensu Superioris personali, vel saltem legali munita. Has autem conditiones omnes contendebant convenire Hæreticorum in Belgio fœderato contrahendi Matrimonia consuetudini. Ac primam quidem; quia, ut consuetudo sit rationabilis, satis est, quòd non improbetur expressè à jure, nec sit iniqua, nisi ex eo, quòd adversetur legi, in cujus destructionem tendit. 2dam verò, quia jam est ultra 40. annos continuata sine contradictione Pontificis: hic enim sciens Matrimonia Hæreticorum in Belgio fœderato ab animarum curatoribus censeri valida, ab Anno 1671. non contradixit. 3tiam denique, quia Pontifex non contradicendo censetur tacitè consensisse, & acquievisse legi, statuenti præscriptionem contra legem, si consuetudo sit continuata per decem, ùt volunt *Less. Lugo*, *Haun.* & alii, vel saltem per 40. annos, si lex Canonica sit.

Verùm hoc argumentum aliis non probatur imò; quia non videtur præsumendus Pontificis consensus, ut contra universalem Ecclesiæ legem Hæreticorum consuetudo, orta

ex eorum malitia, præscribat. 2. Consuetudo illa non est rationabilis; ut enim rationabilis sit 1mò, non debet repugnare religioni, & legi divinæ; Consuetudines autem Hæreticorum, tendentes contra leges Ecclesiæ, repugnant religioni, & legi divinæ: procedunt enim ex mero potestatis clavium, & jurisdictionis Ecclesiasticæ contemptu, ac odio in Ecclesiæ Romanæ Caput, quod Anti Christum calumniantur, ex quo & orthodoxæ religioni, & legi divinæ eas repugnare nemo non videt; id quod præcipuè habet consuetudo contrahendi Matrimonia contra præscriptum Ecclesiæ. Hæc enim eò tendit, ut astruat, & moribus confirmet hæresin Calvini L. 4. Instit. Cap. 19. & Lutheri L. de captivitate Babylonica, cum pertinacia docentium, non potuisse Fideles impedimentis Matrimonii astringi ab Ecclesia. 2. Ut consuetudo sit rationabilis, non debet improbari à jure; atqui à Jure Canonico improbatur consuetudo illa Hæreticorum: nam *Cap. cùm inter* 5. *de consuetud.* improbatur omnis consuetudo, per quam disrumpitur nervus Ecclesiasticæ disciplinæ; nulla autem eum disrumpit magìs. quàm quæ negat potestatem Ecclesiæ ferendi leges, quibus Ecclesiastica disciplina innititur. *Nec juvat*, quòd multi Hæretici materiales bonâ fide procedant: nam consuetudo procedit ex contemptu potestatis Ecclesiæ, & ad hæresin stabiliendam moribus introducta est, adeoque irrationabilis manet, quo casu non præsumitur consensus Pontificis in eam: ùt enim mala fides non obest præscriptioni contra legem, si consuetudo sit rationabilis; sic nec juvat bona fides, si irrationabilis sit: alioquin dicendum

foret, Hæreticos nullis Ecclesiæ legibus obligari. Vide *Nav.* Conf. 1. de Constit. N. 24. *Laym.* L. 1. Tr. 4. Cap. 3. N. 3.

623. *3. Extincta Parochia.* *Argumentum 3tium.* In Belgii Provinciis fœderatis, in quibus olim publicatum fuit Tridentini decretum, jam aliæ sunt communitates, aliæ quasi Parochiæ, prioribus extinctis: Respublica enim, seu Communitas habet suam formam, ac unitatem à legibus, manetque, quamdiu iis devincta unum corpus efficit, unitatemque conservat; at verò, ubi vinculum, quo partes colligabantur, disrumpitur, ubi perit legum forma, quæ quasi anima priscam alebat communitatem, ubi antiqua disrumpitur species regiminis, quo à cæteris discernebatur, & populos, & Respublicas interire dicimus; jam verò in Fœderatis Belgii Provinciis mutatæ sunt leges, disruptum priùs Regiminis Hispanici vinculum, destructa Orthodoxa Fides, decolorati mores, devastata avita Religionis disciplina, ac proinde forma tam sacræ, quàm profanæ Reipublicæ, quæ olim in iis vigebat, interiit, & nunc non existit Communitas, & Parochia, in qua olim Lex Tridentini promulgata fuit. Et quamvis Hæretici in iis Provinciis, nempe in Hollandia, Zelandia, Transilvania, Frisia, Grœningia, Ultrajectina ditione &c. spectatâ juridicâ, & civili verborum significatione subsint Parochiis, in quibus Tridentinum promulgatum fuit; quia ex juris præscripto illis subesse deberent; in naturali tamen, & vulgari significatione, modoque loquendi, in quo verba legis, nisi aliud colligatur ex ipsa, sunt accipienda, sine extensione ad significationem civilem, seu legalem, non censentur pertinere ad ullas Parochias, quas nunquam agnoverunt, nec

nec modò agnoſcunt, & quarum nullum, nec materiale, nec formale veſtigium ſupereſt, cùm alii ſint populi, ac Magiſtratus; aliæ leges, ac ritus, alia Religionis diſciplina.

MEMBRUM II.

Matrimonia quoque, in iisdem Belgii Provinciis ſine forma Tridentini contracta, vel contrahenda ab Hæreticis cum Catholicis, nullo alio impedimento interveniente, etſi illicita, & impedienda ſint, valida tamen habenda ſunt. 624.

Matrimonia mixta in Belgio Fœderato.

Hoc ante declarationem Pontificis auſi non ſunt aſſerere tres Theologi deputati de Matrimoniis in locis, ubi acceſſus facilis foret ad Parochum Catholicum, vel Miſſionarium. Duo primi exiſtimabant, partem Catholicam, utpote Legi Tridentini obſtrictam, non eſſe habilem; tertius ajebat, ſe ad id aſſerendum ſolido fundamento deſtitui; ſolus *P. Giulii*, etſi in iis Provinciis ſint Parochi, vel vice-Parochi Catholici, & haud adeò difficilis ad eos acceſſus, nec deſint ibi viri, mulieresque Catholicæ, à quibus invicem conjugia celebrari poſſint, ea Matrimonia valere contendit, argumentis, ùt ſcribit, compulſus, & quaſi invitus.

Argumentum ejus primum ex recepto, notoque juris principio ad textum in Legem: *Si communem. ff. Quomodo ſervitus amittatur*, deſumptum, hoc erat: In individuis contractibus jus, & privilegium uni collatum, etiam alteri contrahentium convenit: ùt, ſi unus contrahentium ſit à lege communi exemptus, vel diſpenſatus, exemptio, vel diſpenſatio etiam al- 625.

Argumentum ex jure.

 teri

teri convenit. Hinc dicitur : *In individuis retinet quis per socium , quod per se non potest.* In exemplis 1. Si quis abeat ex loco, ubi viget Tridentinum, in locum, ubi non viget, v.g. Hinc Treveris in Angliam, ibique contrahat cum indigena Matrimonium clandestinum , validè contrahit. 2. Si in eadem urbe essent duæ Parochiæ, & in Parochia A Tridentinum esset publicatum ; non verò in Parochia B, abiens ex Parochia A validè contraheret in Parochia B cum ejus incola, sine præsentia Parochi. 3. Si sponsus sit vagus , sponsa non vaga , validè contrahit cum sponso vago in Parochia coram Parocho loci, in quo vagus est, etsi neutrius is in rigore sit Parochus proprius. Pars enim exempta contractûs socium facit exemptionis participem , ne contractus claudicet. Et idem est in aliis contractibus. Id quod, teste *Gobat*, in Theologia experimentali, à nemine in dubium vocatur, & tenet, sive Hæretici communitatem separatam faciant, sive ità permixti Catholicis vivant, ut quoad locum communitas Hæretica à Catholica discerni non possit , modò tamen contractus fiat in communitate Hæretica , aut saltem in loco , in quo communitas exempta à Lege Tridentini censetur : nam nihilominus communitatem diversam constituunt, quia hujus forma non sunt loca, sed leges ; sic Judæi dispersim in civitate Catholica viventes diversam faciunt communitatem. Cæterùm nec obligatio Legis Tridentini , nec exemptio ab illa est personalis , sed locum , vel communitatem afficit ; secùs est de obligatione voti, vel dispensatio ne in eo. Hinc voto ligatus non participat facultatem contrahendi à dispensato in voto.

626. *Argumentum 2dum*, petitum à consuetudine,

ne, sic instruitur: Omnis consuetudo, tendens contra legem humanam, etiam Canonicam, eam abrogat, si hæ conditiones adsint. 1*ma.* Si sit à tota communitate, vel majore hujus parte approbata. 2*da.* Si sit rationabilis. 3*tia.* Si legitimo tempore sit continuata. 4*ta.* Si sit firmata consensu Legislatoris. Hæ autem conditiones conveniunt omnes consuetudini Catholicorum contrahendi Matrimonium cum Hæreticis in Belgio Fœderato: nam 1. Est à majore parte communitatis approbata: ad hoc enim sufficit, quòd Matrimonia, sic successivè inita, non sint reputata irrita, etsi lex non ab omnibus sit violata, utì habet communis cum *Suar.* de Legibus L. 7. Cap. 12. N. 4. & 5. sic enim adest consensus communitatis; atqui ejusmodi Matrimonia à plerisque reputata sunt valida, utì constat experientiâ. 2. Consuetudo illa rationabilis est: nam, quamvis in requisitis ad hoc non omnes consentiant; nemo tamen est, qui rationabilem neget consuetudinem, si nec juri naturali, nec divino repugnet, nec ab humano jure nominatim improbetur, nec ortum ducat ex Legislatoris contemptu, nec aliam turpitudinem, vel difformitatem in se contineat, nisi, quod legi adversetur, in cujus destructionem tendit. Qua de re videri potest *Suar. de Legibus L. 7. Cap. 6. toto. Laym. L. 1. Tr. 4. Cap. 24. N. 4.* & alii; his autem dicta consuetudo munitur: nam contractus illi matrimoniales ex suis intrinsecis non repugnant legi naturali, nec divinæ, nec textu aliquo juris producibili nominatim improbantur, nec ortum ducunt ex hæresi, vel contemptu Pontificis; sed vel ex studio se, suosque Parochos Hæreticis occultandi, vel ex dura legibus illorum parendi neces-

A consuetudine.

necessitate, vel ex voluntario desiderio se moribus patriæ conformandi. Cæterùm Catholici illi reverentur Pontificem, tanquam Vicarium Christi in terris. 3. Consuetudo illa legitimo tempore est continuata: nam ad id sufficere quadraginta annos nemo inficiatur; jam verò continuatam modò centum, & fortè amplius annis certum est. 4. Est firmata consensu Legislatoris, nempe Pontificis: cùm enim non requiratur consensus personalis novus, sed sufficiat legalis in jure expressus capite finali *de Consuetudine*, & *L. Quibus. ff. de Legibus*, & *lege finali Cod. Quæ sit longa Consuetudo*: lapso tempore à jure requisito, is adest, si Papa non contradixerit legitimè, id quod hactenus non fecit: nam, quamvis Sacra Concilii Congregatio sæpius, nomine Pontificis, talia Matrimonia, in Belgio Fœderato contracta, rescripserit esse irrita; id tamen ad consuetudinem, jam antè præscriptam, uti hæc fuit, teste *Svvanino*, ante resolutiones datas, abolendam non sufficit, sed requiritur actus publicus, & manifestus, ità ut hominum, qui eâ consuetudine utuntur, nequeat latere societatem: per actum enim Legislatoris occultum consuetudo infringi non potest; imò videtur requiri, ut actus Legislatoris contrarius sit juridicè manifestus; quia, qui sunt in possessione consuetudinis, non tenentur illico credere rumori de lata contra consuetudinem Legislatoris sententia: unde, ut Sacræ Congregationis resolutiones consuetudinem, in Fœderato Belgio jam præscriptam, abolerent, debebant toti istic communitati debito modo manifestari, & non tantùm uni, alterive interroganti, vel cujus intererat, exhiberi, ùt docet

docet *Laym.* L. 1. Tr. 4. Cap. 24. N. 14. *Engel* Tit. de Consuetudine N. 20. & alii; sed requiritur nova lex, eaque promulgata; tantum autem abest, ut lex hæc unquam emanârit, ut Sacra Congreg. generatim interrogata 1681. an contracta in Fœderati Belgii Provinciis coram Magistratu Matrimonia habenda sint valida, mentem suam aperire, & distinctè respondere noluerit.

Argumentum 3tium subministravit autho- *Ab au-*
ritas Doctorum, quorum multi probabiliter *thorita-*
hactenus docuerunt generatim, in mixtæ Re- *te.*
ligionis urbibus valere Matrimonia ab Hæreticis sine legitimo Pastore celebrata; in dubio autem Juris Ecclesiastici de eorum valore, si sententia probabilis stet pro eo, censenda sunt valida; quia tunc Ecclesia supplet defectum, si quis adsit.

MEMBRUM III.

Valida etiam habenda sunt Matrimonia, ex- 627.
tra fines dominii eorundem Fœderatorum Ordi- *Matri-*
num absque Concilii Tridentini forma contra- *monium*
cta, & contrahenda ab hæreticis personis, aut militis
unâ Hæreticâ, alterâ Catholicâ, quæ addictæ extra
sunt legionibus, seu militaribus copiis, trans- *fines Fœ-*
mitti solitis à Fœderatis Ordinibus ad custodi- *derato-*
endas, muniendasque arces, vulgò dictas di *rum.*
Barriera, *modò utraque pars contrahentium, etsi nomen militiæ non dederit, uti non dant mulieres, ad easdem legiones pertineat, nullumque aliud obstet impedimentum.*

Argumentum. Legiones nec sunt mercede 628.
à Cæsare conductæ, nec tanquam hospites obi- *Cense-*
ter in ejus urbibus peregrinantur; sed jure suo, *tur esse*

in provinciis. atque ex pacto, cum Cæsare inito, stabilem quandam sedem, certumque ibi domicilium habent ad tuendas provincias, Fœderatorum dominio subjectas. Quare censentur pars Reip. Hollandicæ, quæ ad illas urbes usque se extendit, in quibus præsidiarias cohortes constituendi jus obtinet ad consulendum finitimæ suæ ditionis securitati, sicut & olim in more positum fuit: quapropter, si in Hollandia prædicta Matrimonia valent sine forma Tridentini contracta, & in memoratis urbibus valida censenda sunt, sive utraque contrahentium pars sit hæretica, sive una hæretica, altera Catholica: cùm tota legio pars Reip. Hollandicæ censeatur, iisdem, atque in Hollandia, juribus gaudeat. Hinc à regula generali, quâ dicitur firmitas, ac robur contractuum pendere à legibus, in loco, ubi ineuntur, vigentibus milites illi præsidiarii excipiuntur, & eorum contractus inter se legibus Hollandiæ, cujus pars sunt, regulantur. Ratio autem hæc locum non habet, si contrahentium pars una ad legiones non pertineat: tam parum enim potest miles legionis Hollandicæ in loco, Tridentini lege obstricto, validè contrahere sine præsentia Parochi cum fœmina indigena ejus loci, quàm possit in eodem loco veniens ex Hollandia, mox illuc reversurus, cum ea contrahere. *Nec juvat hic*, quòd in individuis conventionibus exemptio à lege, uni concessa, fiat communis socio: nam exemptio Fœderatorum à Tridentino, cùm sit localis, eorum fines non transgreditur, intra quos per fictionem præsidiarii milites adhuc esse censentur: hæc autem fictio locum habet, si utraque contrahentium pars ad eandem legionem pertineat,

neat., non verò, si una duntaxat. Declaratur in simili: si Cæsar certam formam in emptionibus præscriberet servandam in urbibus suis, in quibus præsidium habent Hollandi, forma illa servanda esset à milite præsidiario, contractum emptionis perficiente cum cive in ejusmodi urbe; secùs verò, si cum alio milite subsidiario eum iniret. Hic enim contractus more patriæ, cujus legibus vivunt, celebrari posset, non secùs, ac si in patria peragetur, quibus quia non vivit civis, & persona quæcunque ad legionem non pertinens, non censetur esse in Hollandia. Ità *P. Ægidius Giulii. Besozzi, & P. Durano* censuerunt, Matrimonia prædicta valere, eò quòd legiones illæ communitatem constituant Hæreticorum, hanc autem esse exemptam à lege Tridentini, loco se materialiter habente; primus tamen tenuit, valere Matrimonium, etsi una tantùm pars ad legionem pertineat. *P. Durando* verò existimavit, si pars ad eam non pertinens non sit exempta per consuetudinem à lege Tridentini, non valere, eò quòd ad contractum mutuum utraque pars debeat esse habilis; inhabilis autem sit non pertinens ad legionem, utpote ligata lege Trid. non secùs, ac si voto ligata esset.

Si dicas. Non satis apparet, quomodo salva stet cum præmissa declaratione authoritas Sacræ Congregationis, non rarò firmata authoritate Pontificis: nam sæpe consulta de Matrimoniis etiam in Belgio Fœderato sine Parocho contractis, vel pronuntiavit, vel insinuavit esse invalida. Respondetur ex resolutionibus S.Cong. unica fuit generalis, reliquæ merè particulares. Generalis anno 1603. vel, 629. *Non obstant resolutiones Cardinaliũ contraria.*

ùt alii volunt, 1605. data ad Episcopum Tricariensem, per Belgium Vicarium Apostolicum, declaravit quidem universim Matrimonia Hæreticorum istic esse invalida; sed emanavit, antequam Rex Hispaniæ, nomen Reip. liberæ, & jus illis provinciis permiserit, eoque tempore, quo exturbabat undique hæreticos Ministros, nec religio præter Catholicam impunè publicè vigebat, & quo Rex omnem dabat operam, ut decreta Tridentini servarentur, proinde spe observationis eorum nondum exclusâ. Quare sapienter responsum est, Matrimonia, in illis provinciis celebrata, absque forma, à Tridentino præscripta, esse irrita: verùm ubi illis provinciis vivere suis legibus permissum est, & spes observationis Tridentini evanuit, S. Congregatio generaliter interrogata Anno 1681. vel 1683. mentem suam aperire supersedit, hoc contenta responso: *Si esset respondendum, esset respondendum negativè.* Quod responsum, an missum sit ex urbe, non satis constat. Alio silentii genere usus est Clemens XI. respondens ad istam quæstionem Archi Episcopo Coloniensi, nempe, *quòd gravibus de causis nihil adhuc generatim de illis, ac universim statuendum, æstimatum fuerit.* Quare, quòd ante generatim responsum fuit sub Clemente VIII. ad posteriora tempora non pertinere existimavit. Ex quibus patet, responsum generale Card. non pugnare cum declaratione Pontificis moderni, salvamque stare S. Congreg. authoritatem. Sed nec officiunt resolutiones particulares: hæ enim datæ sunt conformiter interrogationibus, lege Tridentini spectatâ secundùm se, non attentâ mente ejus, suâ lege non compre-
hen-

hendendi communitates hæreticas. Nec solent cum tanta circumspectione fieri, nec vim legis habent, uti resolutiones generales, munitæ authoritate Pontificis.

MEMBRUM IV.

Si habentes domicilium in provinciis fœderatis Matrimonia sine forma Tridentini in regionibus, Principum Catholicorum jurisdictioni subjectis, vel in horum regionibus habentes domicilium in provinciis fœderatis contrahant, an firma sint Matrimonia, decidendum juxta Canonica juris communis principia, & probatas alias editas in similibus casibus à S. *Congreg. Trid. resolutiones.* 630.

Quid, si de fœderatis provinciis alibi contrahant &c.

Hinc 1mò, si persona, seu hæretica, seu Catholica ex loco, Tridentini lege etiam ligato, se conferat in Hollandiam, validè contrahet sine forma Tridentini cum istic indigena Acatholicâ; quia contractus regulantur legibus loci, & consuetudinibus ex *Cap. Finali de foro competente: Et Cap. Si fund. 6. ff. de evictione,* & persona, exempta à lege communi, exemptionis participem facit socium ex *L. Si communem* citata. 631.

Corollaria.

2. Si pars Acatholica in fœderatas provincias descendat, ibique domicilium, vel quasi-domicilium figat, & contrahat ibi cum persona Catholica, validè agit absque forma Trid. si aliud non obstet; quia jam est incola loci, & derivat suum jus in socium contractûs: secùs dicendum, si, nec quasi-domicilium ibidem figat: tum enim, cùm non gaudeat privilegio loci in ordine ad Matrimonium contrahendum, non potest illius participem facere

tholicum inducere, ut secum coram Parocho contrahat. Ità *P. Thenhaven in Nucleo* pap. 590. Id quod nunc post declarationem Papæ relatè ad alias regiones magìs roboratur.

QUÆSTIO II.

An Matrimonia inter Hæreticos cum alio impedimento Ecclesiastico, ùt cognationis, affinitatis, publicæ honestatis contracta sint valida habenda?

Resp. Quamvis magni nominis Authores multi libris editis propugnent sententiam affirmativam, dicendum tamen nunc videtur ejusmodi Matrimonia esse invalida: nam 1mò Benedictus XIV. Papa in sua declaratione, jam relata, decidit quidem valida habenda esse Matrimonia Hæreticornm, in locis Belgii fœderatorum Ordinum dominio subjectis contracta absque forma, à Concilio Tridentino præscripta; ast signanter addit: ***Dummodo aliud non obstiterit impedimentum Canonicum***, ***alio non interveniente impedimento Canonico.*** Quâ exceptione sat clarè videtur exprimere Matrimonia, cum alio impedimento Canonico ab Hæreticis contracta, invalida esse: quando enim ex duobus unum affirmatur, & alterum excipitur, hoc æquivalenter negatur & contra. Utì si dicam: omnes tenentur die Dominico interesse Sacrificio Missæ, excipe, nisi gravi infirmitate impediantur; nego hos teneri. Si dicam: præceptum purè humanum non obligat cum gravi incommodo, nisi transgressio cedat in præjudicium v. g. religionis; affirmo in hoc casu obligare cum gravi etiam incommodo. Idem est in aliis. 632. *Vera sententia negativa.*

2.

2. Non est eadem ratio eximendi Hæreticos à jure antiquo, statuente ista impedimenta Matrimonii, quæ est pro exemptione à lege Tridentini: non enim æquè per illud, atque per hanc arctatur libertas Matrimonii; cùm præteritis consanguineis, affinibus &c. possint facilè jungi aliis.

3. Neque iis suffragatur consuetudo contraria: nam credibile non est, quòd illi accesserit voluntas conditoris juris antiqui, aut voluntas Pontificis postmodùm; cùm consuetudo illa orta, & continuata sit ex contemptu Pontificis, & legum Ecclesiasticarum, & adhuc continuetur ex pertinacia à multis. Quòd autem Plebeji, Hæretici solùm materiales, simul patiantur, per accidens est, nec ideo indulgendum rebellium pertinaciæ; alioquìn dicendum foret, Hæreticos hodiedum nec in actu primo ulla teneri lege Ecclesiasticâ, nullas censuras, nullas irregularitates incurrere, quæ quàm absurda sint, nemo non videt. Proinde cùm leges illæ de non contrahendo Matrimonio cum consanguineis, affinibus, & quasi-affinibus ex sponsalibus sint faciles observatu, non sunt magìs benignitate Ecclesiæ digni, si eas non servent, quàm si violent alias.

4. Inter facultates, quas Papa Nuntiis Apostolicis per Belgium & Germaniam concedere solet speciales, est facultas dispensandi in gradu tertio, & quarto simplici, & mixto tantùm cum pauperibus in ordine ad Matrimonium contrahendum, in contracto verò cum Hæreticis conversis etiam in 2do simplici & mixto, dummodo nullo modo attingatur gradus primus, & in his casibus prolem susceptam declarandi legitimam; unde colligitur Matrimonia, ab Hæreticis contracta,

tracta, cum consanguineis, & affinibus in gradu prohibito, ex mente Pontificis esse nulla, & proles esse illegitimas. *Quare* non juvat 1mò, quòd proles Hæreticorum in Germania censeantur legitimæ: nam multi civiliter censentur legitimi, qui verè legitimi non sunt. *Nec 2dò*, quòd Magistratus Ecclesiasticus toleret talia Matrimonia: nam multa ad graviora mala evitanda tolerantur, quæ non approbantur. *Nec 3tiò*, quòd conversi Hæreticorum filii admittantur ad sacros Ordines sine dispensatione in irregularitate, orta ex nativitate illegitima: nam ut taceam, à multis petitam esse dispensationem; si Ecclesia non dispenset explicitè, ob majora mala evitanda, pacemque conservandam implicitè, & tacitè dispensat admittendo ad Ordines: vult enim actum validum & licitum. Et siquidem Romæ ad hos admittantur, dispensat tacitè Pontifex: si autem in Germania admittant Episcopi, Pontifex, sciens istam praxin vigere, consentit, & tacitè dispensat. *La Croix* L. 1. N. 801. L. 7. N. 148. & 161. *Nec juvat 4tò*, quòd multi Hæretici ignorent inculpabiliter, leges illas irritantes: nam licèt ignorantia illa excuset à peccato; non eximit tamen à legibus irritantibus: sicut non eximitur Catholicus, qui cum ignorantia invincibili ducit suam consanguineam in gradu prohibito. *Nec 5tò*, quòd leges illæ dent occasionem fornicationibus, incestibus, successionibus illegitimis: nam hæc in exiguo sunt numero, & facilè vitari possunt, debentque Hæretici ea imputare suæ malitiæ, qui Papam calumniantur, vocant Anti-Christum, negant ei potestatem statuendi impedimenta, leges Ecclesiæ contemnunt, ex quibus per accidens ea mala sequuntur, uti ex aliis legibus consequentia. Nec novum est, parentibus

in filiis negari beneficia: uti dum filiis, ortis ex parentibus infamibus, negatur aditus ad dignitates &c. Aliud est de lege Tridentini, irritante Matrimonia sine Parocho contracta: si enim hâc inclusi fuissent, omnia illorum Matrimonia fuissent irrita, remediumque incontinentiæ fuisset illis universaliter sublatum, quæ lex nimis ardua foret, ùt suprà vidimus.

QUÆSTIO III.

An valeant Matrimonia Hæreticorum, qui contrahunt cum intentione illud dissolvendi, si altera pars fidem conjugalem violet?

Resp. Si Hæretici sic contrahant cum intentione Matrimonium dissolvendi in casibus, inter illos permissis, illisque alligent voluntatem suam tanquam conditioni, sine qua non, Matrimonium est irritum; ordinariè tamen, quando non constat, sic restrictam fuisse intentionem, eorum Matrimonia, nisi aliud obstiterit, censenda sunt valida.

633. *Expendendũ, quæ intentio prævaleat.*

Ratio 1ma partis est; quia intentio illa repugnat substantiæ Matrimonii, quod debet esse perpetuum, & indissolubile. Quare, si mulier Catholica cum requisita intentione nubat viro Acatholico, qui suam intentionem alligavit alicui eventui de futuro, tanquam conditioni, sine qua vult non perseverare in Matrimonio, invalidus erit Matrimonii contractus, utpote mutuus, qui claudicare non potest.

Ratio 2da partis est; quia, nisi constet de intentione contraria prævalente, censetur velle con-

contrahere Matrimonium, sicut Christus instituit, & mandavit. Quare & ordinariè Hæretici contrahendo suscipiunt Sacramentum, etsi hoc Matrimonio abnegent; & in dubio, an Hæretici habuerint intentionem contrahendi indissolubiliter, præsumuntur eam habuisse, & separare se ab invicem non debent. Vide *La Croix L. 6. P. 3. N. 250. & 411.* Vide dicta N. 21.

QUÆSTIO IV.

An valeat Matrimonium inter personam hæreticam, & Catholicam initum cum pacto, ut pars prolium educetur Acatholicè?

Resp. Etsi hoc pactum impium sit, & invalidum, valet tamen Matrimonium cum eo initum, si cætera adsint. Est communis sententia contra Franciscum Schmier de Sponsalibus, & Matrimonio Cap. 5. N. 57. & P. Schmalzgrueber hic Tit. 6. N. 150. ubi ait: *Si hæc conditio adjiciatur contractui matrimoniali; tanquam repugnans bono prolis vitiat contractum, & irritum reddit.* Ratio communis sententiæ est; quia licèt conditio, bono naturali prolis repugnans, ac eò tendens, ut prolis generatio impediatur, & educatio positivè evitetur, adjecta, irritum reddat Matrimonium, non tamen irritat conditio, repugnans bono spirituali prolis; aliàs nullum esse Matrimonium, initum inter personas hæretica sub ea conditione, ut proles in sua secta educentur, vel ut imbuantur arte Magicâ, aut 654. *Juxta communem valet.*

ram esse, plures verò, viarum gnari, id negarent, latronibus infestam affirmantes; nemo non intelligeret, viam ad dexteram securiorem, & amplectendam esse, ità in præsenti casu pars Acatholica facilè intelliget, securam, imò securissimam esse viam ad salutem in religione Catholica. Atque ità periculum non erit peccandi contra conscientiam, præsertim, si parentem Catholicum audire, & instructionem admittere non recuset.

Hinc, in sensu universali acceptæ, non subsistunt hæ assertiones:

I. Parentes jure naturæ tenentur prolibus à teneris annis imprimere eam religionem, quam ipsi bonâ fide, etsi erroneâ, tenent, sic, ut juri naturæ repugnent, qui proles ad religionem à sua diversam, educant, & pacta eatenus facta sint impia.

II. Proles tenentur jure naturæ eam religionem a parentibus discere, quam docentur.

III. Quoad religionem idem jus competit matri, quod patri.

Probatur Conclusio 1mò à priori: nam, ut de aliis Infidelibus taceam, parentes hæretici in Germania, aliisque Europæ partibus passim agnoscunt, & fatentur viam ad salutem æternam in religione Catholica esse securam, imò securiorem esse, multi ignorare nequeunt, uti ostensum est, & magìs patebit ex dicendis; ergo quamvis bonâ fide teneant, suam religionem quoque salvificam esse, non tamen tenentur prolibus à teneris annis eam imprimere, nec, si eas curent imbui religione Catholicâ, repugnant juri naturæ, nec pacta eatenus facta sunt impia. Ants constat experientiâ; consequentia quoque patet; quia nullum redundat inde in proles de-

trimentum, sed optimè parentes & prolium saluti, & suæ conscientiæ consulunt. Falsa itaque est assertio 1ma, illimitatè sumpta.

2. Sic falsa quoque est assertio II. in sensu universali, utì accipi debet, accepta: nam inprimis proles ante usum rationis, quia obligationis adhuc incapaces, non tenentur discere religionem, quam à parentibus docentur. Deinde nec omnes jam adeptæ usum rationis: si enim audiant religionem Catholicam esse antiquiorem, atque securiorem, & ad hanc à Deo moveantur, licitè petunt eâ instrui, & instructæ, absque læsione juris naturæ possunt, imò tenentur à parentum religione recedere, etsi adhuc erroneè putarent, illam quoque salvificam esse: cuique enim licitum est inire securiorem salutis viam, imò ad id jus naturæ obligat.

3. Nec vera est in sensu universali assertio III. cûm enim proles sint in patria potestate patris, & huic potius incumbat obligatio, quàm matri prolium bono, & saluti prospicere, si hic etsi Acatholicus velit eas imbui religione Catholicâ, quia securâ, aut etiam securiore, ut illis pateat aditus ad dignitates, beneficiaque Ecclesiastica, & status religiosos, nemo dicet, matri competere jus id impediendi, cùm hoc cedat in maximum spirituale emolumentum prolium.

Confirmatur. Assertionibus illis firmantur parentes hæretici, ut suis erroribus tenaciùs inhæreant, iisque proles suas imbuant; ergo assertiones illæ non subsistunt. Côa patet: Ant. probatur: nam facilè fiat, ut, aut amore libertatis, vel temporalis utilitatis, aut respectu humano ducti, sibi blandiantur, se bonâ fide procedere, dum re ipsâ laborant culpabiliter erroneâ: Primò enim audiunt, vel vident non pauci in religione Catho-

lica

lica constantem esse fidei doctrinæ, sacrorumque rituum uniformitatem, in sua verò difformitatem, & inconstantiam perpetuam. 2dò. Multi sciunt religionem suam post multa à tempore Apostolorum sæcula recens introductam ab hominibus notoriè impiis, ità, ut Antesignanorum suorum eos pudeat, velintque appellari Evangelici, Reformati; Catholicam verò religionem esse antiquissimam. 3tió. Plerique non ignorant, in religione Catholica constanter fuisse Sanctos, miraculis & spiritu Prophetico claros; in sua verò ne vel unum à se monstrari posse. 4tò. Vident in Ecclesia Catholica viros, in Sacra Scriptura, SS. Patribus, Historiâ Ecclesiasticâ, Sacrâque Theologiâ versatissimos, constanter perseverare in religione Catholica, arctam tenere in cœlum viam, tum in sæculo, tum maximè in claustris, in quibus vivunt voto paupertatis, castitatis, & obedientiæ perpetuæ obstricti, ut Christum propinquiùs imitentur, seque securiores reddant de salute æterna, quod non facerent, nisi convicti essent solam religionem Catholicam esse salvificam, & angustam esse ad cœlum viam; in suaècontra religione vident laxari frœna libertati, latam teneri ad salutem viam, contrà, ac Christus docuit, & suo exemplo monstravit. Præterea non ignorant, in religione Catholica plures esse viros Apostolicos, indefessos animarum zelatores, qui nullum omittunt laborem, ut populos imbuant doctrinâ Christi, fideque Catholicâ, in ea conservent, Sacramentis reficiant, roborent, sanctificent, qui vitam pro salute animarum manifestis exponunt mortis periculis, imò non rarò profundunt. Quòd quis credat, eos esse facturos, nisi tanquam indubitatum tenerent, non esse spem sa-

 lutis

lutis, nisi in religione Catholica. Non ignorant quoque, suos ministellos curare cuticulam, latâ incedere viâ, animarum salutem negligere, ubi periculum sibi imminere conspiciunt, ex quo facilè est colligere, eos non duci spiritu Christi, sed mundi, & erroneo: unde & apud ipsos vilescunt & laudantur curatores animarum Catholici. 5tò. Experiuntur, & fatentur, aquam, à Sacerdotibus Catholicis benedictam, aliaque Sacramentalia miros operari effectus, ideoque ea expetunt, conquerentes, suos ministros talia præstare non posse, vident & alia signa, quibus excitatur in illis religionis Catholicæ æstimatio, suspicioque de suæ religionis falsitate, præsertim, cùm iis non desit lumen supernum, divinaque inspiratio, quâ, visis, auditisque tot signis, monentur, & moventur ad inquirendam veritatem, quod, si negligant, corruit eorum bona fides. Nihilominus erunt, qui, aut respectu humano, vel metu amittendi temporalia retracti, nixi inerti suâ, quam docentur, in Christi merita & satisfactiones fiduciâ, sibi blandiantur, posse se tutò permanere in religione, quam à suis parentibus acceperunt, se convenire in substantialibus religionis articulis cum Catholicis. Unde patet, quàm periculosa sit bona fides, hæreticis in materia religionis concessa, cùm insuper multi inepti sint, ut inter bonam, malamque fidem, inter ignorantiam culpabilem, & inculpabilem discernant, nec intelligant, quæ requiratur inquirendi diligentia, ut post eam adhibitam, culpâ vacet ignorantia: hinc pergent opinione, suâ erroneâ persuasione, prudenti, cæco modo, cæci cæcos ducent, & simul in foveam cadent.

Probatur Conclusio 2. à posteriori, 1mò. Si paren-

parentes tenerentur jure naturæ à teneris imprimere eam religionem prolibus, quam bonâ fide, etsi erroneâ, tenent, pactumque in contrarium esset impium; ergo si sponsus Catholicus cum sponsa, bonâ fide Acatholica initurus Matrimonium paciscatur, ut omnes proles Catholicè educentur, pactum erit impium, & quidem ex parte utriusque, ex parte sponsi, quia exigeret à sponsa, quòd sine gravi peccato facere non potest, scilicet, ut proles educet, vel educari permittat ad religionem Catholicam, à sua, quam bonâ fide tenet, diversam; ex parte verò sponsæ; quia ad id se obligaret; imò Ecclesia justis de causis permittens Matrimonium inter personas, Catholicam unam, Acatholicam alteram, non poterit licitè exigere pactum, ut proles omnes imbuantur religione Catholicâ, nec Pastor assistens tali Matrimonio pactum ejusmodi disuadere sine gravi culpa.

2. Si proles tenentur discere religionem, quam à parentibus docentur; ergo proles natæ ex parentibus ex una parte Catholicæ, ex altera parte Acatholicæ religionis, tenebuntur discere utramque, adeoque assentiri simul contradictoriis, v. g. Christum esse, & non esse verè, & realiter præsentem, & adorandum in Eucharistia; dari, & non dari purgatorium; Imagines Christi, & Sanctorum esse, & non esse venerandas &c.

3. Si idem competit jus utrique parenti quoad religionem prolium; ergo si pater Catholicus, & mater Acatholica proles susceperint; peccabit pater instruendo eas religione Catholicâ; quia violabit jus matris, quod habet, ut instruantur suâ religione Acatholicâ,

câ, quam bonâ fide tenet, inducetque proles ad non obediendum matri in materia gravi. Similiter peccabit & mater imbuendo eas religione Acatholicâ; quia violabit jus patris, quod habet, ut imbuantur religione Catholicâ, inducetque proles ad non obediendum patri in materia gravi, aut dicendum, quòd pater possit licitè dimidiam in religione Catholica, & mater alteram dimidiam partem prolium educare in religione Acatholica: sic enim prætenso juri utriusque, quoad potest, satisfiet, id quod nemo dicet. Item si pater Judæus convertatur ad fidem Catholicam, matre Judæa permanente in sua secta, quam bonâ fide tenet, poterit pater jure naturæ proles, deliberationi necdum maturas, ad se attrahere, & dein imbuere religione Catholicâ, poterit & mater eas secum retinere, & imbuere suis erroribus, aut an proles iterum sunt dividendæ? Juxta Jus Canonicum L. 3. Tit. 33. Cap. 2. proles tradendæ sunt patri, educandæ ad religionem Catholicam in favorem maximæ fidei Christianæ, ne mater eas inducat ad infidelitatis errorem. Ob hanc rationem matri, ad religionem conversæ, proles assignandæ essent: licèt enim juxta Jus Civile liberi sint in patria potestate patris, non matris; favor tamen religionis, & bonum spirituale animarum prævalet dispositioni Juris Civilis, standumque Jure Canonico. *Pichler*, & alii communiter.



QUÆS-

QUÆSTIO V.

An Matrimonium personæ Catholicæ cum Hæretica, sine tali pacto initum, sit aliquando licitum?

Resp. Tale Matrimonium est jure naturæ re- 635.
gulariter illicitum; tum quia bono Matrimonii *Regula-*
adversatur, tum quia tam Catholicam conju- *riter est*
gem, quàm nasciturам sobolem in periculum *jure na-*
inevitabile æternæ ruinæ conjicit. Ac primò *turæ illi-*
quidem adversatur bono Matrimonii, nempe *citum.*
paci, & honestæ educationi prolium: Quomodo enim congruere charitas poterit, si discrepat fides, inquit S. Ambr. L. 2. de Abraham. Cap. 9. Quomodo quies, & tranquillitas inter Catholicam, & Hæreticum conjugem consistere potest? cùm ferè necesse sit, inter eos lites, jurgia, & altercationes de fide, religione, jejuniis, cibis vetitis, festis diebus, veneratione Sanctorum, & cultu Imaginum suboriri, nec terminari posse sine aliquo odio, vel malevolentia mutua? Quæ erit educatio prolium, dum semper adest exemplum parentis hæretici? quàm constantes, firmæque erunt in Deo fideliter colendo tenellæ illæ, quæ instar plantulæ quovis vento vertuntur? Quomodo poterunt in religiosa legum Ecclesiasticarum observantia educari, atque adolescere? quas vident ab hæretico patre, aut ab hæretica matre semper sperni? quomodo Christi, Sanctorumque Imaginibus honorem deferent, dum audiunt ab altero parente eum Idololatriæ damnari? An non timendum, ne in tanta inter parentes in rebus fidei discordia fluctuantes, omnem tandem ex-

uant religionem, aut parentis hæretici religionem æquiparantes Catholicæ, ad eam deflectant, quæ magìs favet damnosæ libertati, imò in Deismum turpiter prolabantur?

2. Conjicit tam parentes, quàm nasciturus proles in evidens periculum æternæ ruinæ; quia Catholica pars deflectet ad mores Acatholicæ, aut pax non erit, nullaque prolium nisi in interitum educatio. Atque hæc sunt, ob quæ Ecclesia graviter prohibuit ejusmodi conjugia, ùt patet ex Conciliis, generali Calcedonensi Act. 15. Can. 14, Carthaginensi 3. Can. 12. Eliberitano Can. 11. 16. & 17. Agatensi Can. 67. & Theologi uno ore omnes ea Matrimonia damnant velut nefaria. Quare nunquam sunt licita, nisi in raro aliquo casu cessarent illorum malorum pericula, & Pontifex dispensaret in lege Ecclesiastica, cujus est judicare, an hìc & nunc cesset jus naturale; sintque causæ in lege Ecclesiæ dispensandi, aut certè alicubi legitima consuetudo obtineat, ut tunc opus non sit dispensatione Pontificis. Cæterùm putat *Gobat*, *Scrarius*, & *Lezana* inter vulgares infimæ notæ homines vix contingere posse, ut illa pericula cessent. Vide *La Croix* L. 2. N. 95.

QUÆSTIO ultima.

An Parochus Catholicus possit licitè assistere Matrimonio inter personas, Catholicam unam, alteram Hæreticam contrahendo?

636. *Per se loquendo* Resp. Seclusâ speciali prohibitione Ecclesiæ, in Germania potest assistere non tantùm validè, sed etiam licitè in sua parochia habitantibus, quando

de ex justa causa licet.

quando impedire non potest. Ità *La Croix L.* 2. *N.* 99. *Gobat*, & alii : nam est verus eorum Parochus, nec eorum peccato cooperatur, nisi materialiter, cùm conjuges, si vellent, possent honestè contrahere, etsi suâ culpâ inhoneste contrahant. Deinde si non assistat, contrahent coram Ministello hæretico, qui eos hortabitur, & intendet obligare ad proles acatholicè educandas : constat enim experientiâ, quòd tales, si repulsam patiantur, confugiant ad Ministellos hæreticos, & ab illis seducantur. Tenet *Lugo* de Fide Disp. 14. n. 168. talibus conjugibus posse benedicere Parochum, & aspergere illos aquâ benedictâ ; eò quòd pars Catholica non ideo sit privanda jure suo ad benedictionem, quæ tantùm est deprecatoria.


637. *Quid, si utraque pars esset Acatholica?*

Majus dubium est, an id liceat, si ambo sint Hæretici. Putat *P. La Croix* loc. cit. posse licitè assistere ex justa causa, non posse tamen benedicere : indigni enim sunt benedictione Ecclesiæ, qui ejus ritus contemnunt. Ob eandem causam non licet puerperæ acatholicæ Ecclesiasticam impertire benedictionem purificationis, nec defuncto Hæretico cæremonias adhibere sepulturæ. Dixi : *Seclusâ speciali prohibitione.* Hæc enim si alicubi vigeat, ei obtemperandum est, etsi pars Acatholica promitteret, amplexuram se esse Fidem Catholicam : nam promissio ejusmodi sæpe fallit, & gravia ex talibus Matrimoniis, ùt jam audivimus, consequi solent mala, adeoque tota ratio prohibendi perseverat. *Nec juvat*, quòd fortè sponsa sit imprægnata,& infamanda, nam infamiam sibi imputare debet.

In praxi circa prædicta hæc observanda sunt Parocho. 1mò : Si persona Catholica cum

Aca-

Acatholica meditetur Matrimonium, illam propositis incommodis, & periculis jam relatis, seriò, & graviter deterreat; sique sponsalia fortè jam sint contracta, adhortetur ut iis obnuntiet: est enim causa sufficiens, suntque plerumque invalida, uti dictum n. 465. 2dò. Si pars Acatholica promittat, libertatem religionis, liberis nascituris concedendam fore, aut suam etiam conversionem ad fidem Catholicam, non fidat; quia fallax est, quod amor extorquet, diceque postmodum, se non posse agere contra suam conscientiam, ut frequenter factum esse, certa docet experientia. Quare 3. ante actualem conversionem, si qua ratione impium contractum impedire possit, illis non annuat. 4. Si pars Catholica obedire recuset, ostendatur illi, esse se incapacem absolutionis, & non posse cum Acatholica contrahere sine manifesto periculo æternæ damnationis. 5. Si quæ Catholica cum Acatholica jam contraxerit, exhortanda est; ut impediat periculum perversionis in se, & prolibus, coneturque conjugem adducere ad veram religionem exemplo inculpatæ vitæ, suavitate, cum ea agendi, verbis per se, & per alios.



CAPUT

CAPUT Ultimum.

De Usu Matrimonii, & debito conjugali.

QUÆSTIO I.

Ex quo fine liceat usus Matrimonii?

Nota: Usus Matrimonii, quo nomine hìc venit copula carnalis conjugum, fieri potest 1mò ad prolem generandam, eamque pie ad cultum Dei educandam. Hic finis Matrimonii primarius est. 2. Ut vitetur incontinentiæ peccatum in altero conjuge. 3. Ut vincatur incontinentia propria. Hi fines sunt secundarii. 4. Ut servetur fides conjugii, & obligationi susceptæ satisfiat. 5. Ob sanitatem. 6. Voluptatis causâ. Hi duò postremi sunt fines extrinseci; reliqui intrinseci. Hoc notato. 638. *Fines Matrimonii.*

Resp. 1. Licet usus Matrimonii. 1mo Ordinatus ad prolem honeste suscipiendam, pieque ad cultum Dei educandam: est enim usus ille actus religionis, & de se meritorius: si autem ordinetur quidem ad generationem prolis, attamen pro proprio commodo v. g. ut habeatur Successor, & Propagator familiæ, nec saltem virtualiter ad honorem Dei referatur, juxta *S. Th. Sanch.* & alios peccatum veniale erit, eò quòd, sistendo in bono creato, agatur contra finem Sacramenti, quod ad suum honorem Deus instituit; fatentur tamen illi A. A. virtualiter eò referri, si conjuges primò ob illum finem contraxerint, & in actuali 639. *Ob quos fines liceat ejus usus?*

li Matrimonii usu non habeant intentionem contrariam, etsi inquit Sanch. prioris intentionis memores non forent. 2dò. Licet, si ordinatur ad vitandum in altero conjuge incontinentiæ peccatum; quia is est actus tum charitatis, tum justitiæ: quamvis enim in statu innocentiæ Matrimonium tantùm fuerit ordinatum in officium naturæ, seu ad propagandum genus humanum, in statu tamen naturæ lapsæ, atque in lege nova ordinatum quoque est in remedium concupiscentiæ; conjuges autem habent jus utendi Matrimonio eo etiam fine, ad quem, licet secundarium, à Deo institutum est, dummodo finis primarius positive non excludatur. 3tiò. Licet quoque, si ordinetur ad vitandum incontinentiæ propriæ peccatum, uti habet sententia communis: nam 1mò Apostolus 1. ad Corinthios Cap. 7. Sciens eorum incontinentiam, ait: *Propter fornicationem*, nempe vitandam, *unusquisque suam uxorem habeat ... revertimini in idipsum*, id est ad usum Matrimonii, *ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram; hoc autem dico secundùm indulgentiam, non secundùm imperium ... Qui se non continent, nubant.* Unde docet S. Th. in Supplem. Q. 42. a. 2. in O. Matrimonium post peccatum etiam esse institutum, secundùm quod est remedium contra vulnus peccati. Q. 54. a. 3. in O. ejus finem secundarium esse repressionem concupiscentiæ. Q. 51. a. 3. ait: *Quamvis senes non habeant sufficientem caliditatem ad generandum; habent tamen sufficientem caliditatem ad carnalem copulam, & ideo conceditur illis Matrimonium secundùm quod est remedium concupiscentiæ, quamvis eis non competat,*

petat, secundùm quod est officium naturæ. Ubi Apostolus, & Doctor Angelicus, loquitur universaliter sine distinctione inter propriæ, & alterius concupiscentiæ remedium. Putant quidem aliqui apud La Croix, nixi authoritate Ss. Augustini, Gregorii, Anselmi &c. esse inordinationem venialem uti Matrimonio, ad frœnandam concupiscentiam propriam, eò quod alia sint ad id media. At merito contradicit communissima. 1mò; quia non est inordinatum uti medio ex fine, ad quem à Deo est institutum, & quod hortatur Apostolus. 2dò. Quia finis ille honestus est, ex quo operari inordinàtum non est. Neque enim tenemur semper operari ex fine honestissimo, modò hic positive non excludatur, uti hic non fit. 3tiò. Inordinatum non est uti Matrimonio ad avertandam in altero conjuge incontinentiam; ergo nec est inordinatum eo uti ad avertendam incontinentiam propriam, quia charitas, Regula omnium virtutum, magis respicit subjectum proprium, quàm alienum; præsertim, quando de bono animæ agitur. Nec obstat 1mo, quod alia sint media ad domandam concupiscentiam idonea: nam & alia sunt alteri conjugi; & tamen licitè illi usus Matrimonii eum in finem conceditur; dein alia media eò necessaria non raró sunt difficilia, incertæque victoriæ, nec ea adhibere est cujuslibet; si ergo nihilominus licet uni, petenti eum in finem, reddere debitum, cur alteri id petere non licebit? Nec obstat Authoritas P.P. nam volunt tantùm, esse inordinatum, si usus Matrimonii adhibeatur solius voluptatis, & concupiscentiæ explendæ causâ; excluso fine primario. Et sic etiam intelligendus est S. August. dum dicit, usum

usum Matrimonii ad solos Gignendos liberos adhibendum esse. Quod nisi verum esset, non liceret eum adhibere ad vitandum in altero conjuge incontinentiæ peccatum, nec ad respondendum juri debitum petentis, id quod nemo dicet. 4tò Licet usus Matrimonii ad satisfaciendum suæ obligationi, & juri alterius conjugis, eum petentis: hic enim est actus Justitiæ, virtualiter tendens in finem Matrimonii primarium. 5tò. Si ordinetur ad corporis sanitatem S. Th. Q. 49. a. 5. ad 4. Et quidam alii dicunt, esse veniale peccatum, eò quod omittatur finis primarius, fiatque ob finem extrinsecum; verùm quamvis id dici possit, si in sola sanitate præcise sistatur; si tamen sanitas referatur ad finem honestum, & virtualiter saltem ad finem conjugii primarium, omni culpâ vacare potest: hic autem refertur ad eum finem; quia sanitas confert ad generationem; ergo & ad hanc confert, quod confert ad sanitatem. Neque tenemur semper operari ad finem à Legislatore intentum, sed sufficit, si operemur ex fine honesto, vel actus noster referatur ad illum, & relatio ad finem, intentum à lege non excludatur. 6tò. Illicitus est usus Matrimonii ob solam voluptatem, seu in ea sistendo, uti constat ex damnata ab Innoc. XI. Ordin. 9na per se tamen est veniale tantùm. V. Anal. N. 93.



QUÆS-

QUÆSTIO II.

Quid, & quale sit debitum conjugale?

Resp. Si spectetur objectivè, est carnalis conjugum copula, de se apta ad generationem prolis, ex obligatione justitiæ, per se loquendo, gravi, conjugi, eam rationabiliter petenti præstanda. Si verò consideretur formaliter, est obligatio gravis justitiæ ad tunc eam præstandam. Dixi 1mò. *De se apta ad generationem prolis*: nam quamvis per accidens v. g. ob sterilitatem, vel senium conjugum non sequatur generatio, non ideo cessat obligatio, jusque ad eam, uti dictum supra N. 558. 5. 4. Dixi 2dò. *Ex obligatione justitiæ*; quia debetur ex contractu utrimque oneroso; quo jus mutuum transfertur in corpora in ordine ad generationem prolis, dicente Apostolo 1. ad Cor. 7. *Uxori vir debitum reddat, similiter autem & uxor viro.* Rationem subjungit: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir, & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Nempe in Ordine ad generationem prolis, & humani generis propagationem; cujus conjuges ex Dei ordinatione sunt unum Principium; & hinc dicuntur una caro, duo in carne una. Dixi 3tiò. *Per se loquendo gravi*: etsi enim sit peccatum mortiferum, utpote in materia gravi, conjugi seriò, & instanter petenti negare sine justa causa debitum; quia tunc censetur velle uti jure suo; si tamen amicè solùm, & benevolè, quod ex circumstantiis, & modo petendi colligendum est,

640. *Debitum grave justitiæ.*

petat, id abnuere, secluso scandalo, & periculo incontinentiæ, culpâ vacare potest, præsertim si addatur causa aliqua. Imò grave non videtur petenti frequenter semel, aut iterum negare, aut ex aliqua causa exiguo tempore, vel de die in noctem differre. Dixi 4. *Rationabiliter petenti*: Nam conjuges non obligarunt se ad annuendum petitioni irrationabili: Unde, si conjuges in Confessione accusent se de negatione debiti, examinandi sunt de causa, ob quam negarint, imò etiam, si discordes vivant, recte interrogantur, an obligationi suæ satisfecerint; vel negarint debitum; quia ex aversione id facilè contingit.

QUÆSTIO III.

Ex quibus causis negari possit, aut debeat debitum conjugale conjugi, id postulanti, quando dubium non est de valore Matrimonii contracti?

Causæ illæ variæ esse possunt: nam aliquæ se tenere possunt ex parte petentis; aliæ ex parte conjugis, à quo, vel à qua petitur; aliæ ex parte utriusque, aliæ ex parte modi utendi Matrimonio, aliæ ex parte loci, vel temporis, quas omnes, & singulas ut exponam.

641. *Causa ex parte petentis.* Resp. 1mò. Causæ ex parte petentis sunt hæ. 1ma: Si vir, dum petit, sit ebrius, vel amens: tunc enim utpote incapax utendi dominio, non petit, ut homo. Potest tamen illi uxor, si aliud non obstet, illi petenti annuere. Si autem sit tantùm semi ebrius, aut semi

semi amens, reddere debitum, per se loquendo, tenetur; quia possessio juris est pro viro. Si verò uxor sit amens, vir reddendo peccat; quia periculum est probabilissimum, ne prolem, fortè conceptam, necet in utero. 2da. Si petens laboret morbo contagioso v. g. Peste, vel Lue, ut vocant, Gallicâ, aut Leprâ, alteri ante non cognita, unde infici facile possit; quia cum tali periculo se non obligavit. Imò, si lepra sepervenires Matrimonio, pars altera cum probabili infectionis periculo non teneretur conjugi infecto cohabitare, nisi fortè charitas ob corporalem, vel spiritualem necessitatem aliud postularet: huic enim in utroque casu aliquid dandum esset, si periculum hic & nunc impediri vel imminui posset. 3tia. Si vir ante, vel post contractum Matrimonium vovisset castitatem, uxor non teneretur viro petenti debitum reddere, quia vir, cùm non petitio debiti stet cum jure uxoris, toties peccaret graviter, quoties peteret. Peccato autem ejus uxor non tenetur cooperari; Uxor tamen petere non prohibetur; quia salvum stat illi jus suum, cui vir vovendo præjudicare non potuit. An autem uxor viro petenti licite id reddere possit, non convenit inter AA. Sanch. & alii contendunt posse, imò & teneri, eò quod cum voto stet jus ad copulam. Negant posse complures alii; quia cooperaretur formaliter peccato viri: nam ad eandem, utrique inseparabiliter communem, actionem, quam vir licite ponere nequit, concurreret, & quamvis jus viri non sit extinctum; est tamen voto vinculatum, & jus ad peccatum non habet. Hæc Sententia videtur probabilior. Si uxor consensisset in votum, nisi esset

omnimodæ, castitatis, non ideo privata foret jure debitum petendi. Quod dixi de viro valet de uxore. 4ta. Si pars una v. g. vir commiserit incestum scienter cum consanguinea uxoris intra secundum gradum, uxor licite negabit debitum, quia vir amisit jus, & licentiam id postulandi: unde & illicite id peteret benevole concedendum; uxor tamen licite peteret; quia innocenti iniquitas alterius nocere non debet: An autem illicite petenti reddere possit iterum dubitatur. Posse quidem negare, posse & reddere, tenet Sanch. & alii, eò quod uxor utatur jure suo, nec censeatur cooperari formaliter peccato viri. Oppositum tenent alii, quia cooperaretur actui, quem vir sine peccato ponere non potest: neque enim peccatum viri per petitionem completum est, sed ultimò compleretur per copulam, quæ, cùm substaret adhuc actuali libertati, non esset merus peccati effectus. Hæc sententia videtur quoque probabilior. In hoc, & priori casu optimè faciet uxor, si differat petitioni obsequi, & dein ipsa petat. Non potest tamen uxor hanc pœnam remittere. Sed quid, si voto, vel incestu prohibitus petere debitum, adverteret uxorem præverecundia non petere, aut Matrimonium illi fieri odiosum, vel prudenter timeret, ne uxor innotitiam, vel fundatam suspicionem incestûs veniat, indeque oriatur aversio animi, aut gravis discordia? R. In hoc casu poterit vir uxori offerre actum conjugalem, ostendendo, se paratum illi gratificari, si ipsa desideret: hæc enim redditio, potiùs foret, quàm petitio debiti. Dixi: *Si commiserit incestum scienter*: nam si legem illam pœnalem ignoraverit, vel putaverit illam, cum

qua

qua rem habuit, esse in remotiore gradu, aut ignoraverit esse consanguineam, pœnam illam non incurrit, etsi inquit Sanchez ignorantia fuisset vincibilis, & crassa, modò non fuerit affectata, & nimis temeraria, quia textus dicit: Si *scienter*, & pœnæ Ecclesiasticæ. Statuuntur contra contumaces earum transgressores: unde docet Layman, & alii, si uxor ex metu respective gravi consensisset in incestum, non affici pœnâ illâ; quia universim metus gravis excusat à transgressione, & contumacia contra leges Ecclesiæ. Quæ dixi de virò iterum, proportionatè intelligenda sunt de uxore. Vide P. 1. N. 225.

5ta. Si petens commiserit adulterium, innocens debitum reddere non tenetur: est enim velut pœna conventionalis, jure naturæ inducta, ut frangenti fidem, eadem licite negetur: unde nocens debitum quoque exigere non potest. Quam diu tamen innocens ignorat crimen, aut dissimulat, nihil opponendo, potest adulter petere debitum, benevole concedendum: non enim tenetur delictum prodere, nec pœnam illam in se primus exequi; sed sicut innocens potest illam remittere, ita quamdiu dissimulat, aut ignorat, nocens non privatur jure suo, nisi conditionate, si nempe altera pars privatum esse indicet. Ita La Croix Cajet. & alii. Si autem innocens remiserit pœnam, negare amplius debitum non potest. Si uterque commiserit adulterium, utrique liceat petere; quia delicta se compensant, secus si uterque commiserit incestum, quia pœna Ecclesiastica non subest eorum voluntati.

6. Si unus vovisset non petere debitum, hoc illicite peteret, reddere tamen posset petenti:

An autem, si obstrictus voto id peteret, pars altera reddere id licite posset, resolvendum est ex jam dictis. Cæterum valet votum illud, nec irritari potest à consorte; quia honestum est se in tantum privare voluptate carnali, nec Matrimonio obest: nam consors petere actum conjugalem potest. Illique eundem tali voto obstrictus offerre potest secundùm dicta.

7. Qui ante Matrimonium emisit votum cœlibatus, vel Sacros Ordines suscipiendi, illicite petit debitum; quia peccavit non tantùm ineundo Matrimonium cum intentione illud consummandi, sed etiam peccaret consummando: per primum enim voluisset se ponere, per secundum se poneret in statu, in quo votum servare non posset; uxori nihilominus suum jus maneret (quæ tamen gnara voti contrahendo peccasset) & Matrimonio consummato, uterque debitum petere etiam posset; quia, stante Matrimonio jam voti observatio est impossibilis; Si tamen per mortem uxoris Matrimonium dissolveretur, vota, quoad fieri posset, essent servanda. Idem dicendum de eo, qui præmisso voto religionis Matrimonium contraxit cum intentione illud consummandi Hic Matrimonio non consummato teneretur ingredi religionem: Sic enim posset servare votum, nec onus subiret aliud, quam voverit. Secus dicendum, si non religionem, sed castitatem vovisset: licet enim & hoc, ineundo religionem, implere posset. hoc tamen medium, utpote valde difficile, excederet id, quod vovisset, foretque altioris Ordinis, ad quod se vovens non obligavit.

8. Qui, stante Matrimonio, extra casum necessitatis scienter contraxit cognationem spiritua-

ritualem cum uxore sua v. g. baptizando suæ, uxoris prolem, probabilius in pœnam ob contractam cognationem amisit jus petendi debitum, secus est de uxore innocente. Dixi 1mò. *Qui scienter:* Nam ignorantia tam juris quam facti excusat ab incursione pœnæ illius. Dixi 2dò. *Extra casum necessitatis:* Nam, si pater in necessitate suam ex uxore sua, aut hujus tantùm prolem baptizaret, etsi contraheret cognationem spiritualem, uti docet Layman, La Croix, & alii, jure tamen petendi debitum non privaretur; quia, uti dicitur Can. ad Limina 30. Q. 1. *Æquum non est, ut qui suæ obligationi satisfacit pœnam subeat.* Hinc tenent multi cum Sancto Thom. pœnam illam quoque non incurrere Patrem, si alio deficiente, Patrinum agat suæ prolis ex uxore sua in Baptismo; quia Patrinus requiritur ex præcepto Ecclesiæ, ut habeatur tota Sacramenti significatio, ad quem pertinet receptio prolis in sinum Ecclesiæ, quæ per Patrini susceptionem significatur; ergo etiam hæc necessitas excusat. Dixi *Probabilius:* tum; quia Gobat probabile dicit, non incurri pœnam illam, etsi extra necessitatem à Patre Baptismus ille esset collatus. Idemque teste La Croix N. 385. defendunt Durandus Cajet. Suar. Con. Hurtado Peretz Dicast. D. 9. Dub. 8. N. 90. Sporer N. 90. & 276. Quia hoc nullâ lege invenitur cautum, quodque olim fuit statutum videtur revocatum Cap. *Si vir* de cognatione spirituali. La Croix L. 6. P. 1. N. 358. Tum quia Durand. Præpos. Côn. Diana. Aversa & alii apud La Croix hic N. 357. dicunt pœnam illam non esse statutam, nisi ratione cognationis spiritualis, ante Matrimonium contractæ,

cùm jura de hac sola loquantur, odiosa autem sint restringenda, hanc sententiam Sanch. dicit valde probabilem. Nihilominus dicendum videtur oppositum, tum quia non apparet, quid lex illa pœnalis operaretur, cum cognatio spiritualis contracta ante Matrimonium, hoc dirimat contrahendum, adeoque contrahentes nullum jus acquisiverunt, quo privari possint. Tum, quia licet id clarè non inveniatur in jure expressum, sufficit communis Theol. & Canonist. consensus, qui Glossam, hic deserunt, nec sic extenduntur odiosa, sed explicantur leges in casibus omnino æqualibus, & æquivalenter iisdem. Universim inquit La Croix N. 381. *Quando lex etiam odiosa exprimit rationem, ob quam lata est, comprehendit casum, in quo adæquata occurrit eadem ratio*: Ubi enim exprimitur ratio, eadem debet esse dispositio juris etiam in aliis casibus: neque hæc est interpretatio legis extensiva, sed comprehensiva: sequenda enim est mens legis, non sola verba. Hanc quoque pœnam non potest remittere uxor, sicut & dixi de pœna incestûs; quia non in favorem ejus, sed in vindictam criminis ob novam cognationem contractam statuta est.

642. *Causa ex parte non petentis.* Resp. 2. Causæ ex parte conjugis, à quo, vel à qua petitur, sunt hæ. 1ma: Si laboret morbo, ob quem ex usu Matrimonii imminet ei grave incommodum: tunc enim licitè differetur usus in aliud tempus, quo cessabit periculum. 2da. Si grave malum etiam temporale inde timeretur. Ordinariè tamen multiplicatio prolium non est causa sufficiens; quia ob periculum incontinentiæ non poterit constanter negari, si autem aliquando debitum reddatur, conceptio prolis

prolis nihilominus sequetur. 3tia. Si constet, quòd uxor non possit prolem parere nisi mortuam. 4ta. Si uxor laboret fluxu menstruo, qui fœminis quot mensibus evenire solet; quia ex multorum opinione periculum est infectionis viri, & prolis monstrosæ gignendæ. Hoc casu differre potest uxor usum Matrimonii, causâ marito redditâ. 5ta. Si petatur ab uxore post partum nondum physicè purgatâ: tunc enim si conciperet, uterus obstructus retineret pessimos humores, in gravissima uxoris incommoda erupturos, si non conciperet, cum maximo ejus periculo omnis vis retentiva solveretur. 6ta. Si alteruter gonorhæâ, seu pro fluvio seminis, sponte provenientis, laboret; quia nisi is sistatur, proximum est periculum labis, vel mortis; per usum Matrimonii autem magis provocaretur.

Resp. 3. Causæ ex parte utriusque conjugis 643. sunt sequentes. 1ma. Si ambo mutuo consensu *Causa* voverint castitatem, tum enim neuter petere, *ex parte* neuter reddere potest debitum. Si hoc casu eve- *utriusque.* niret periculum incontinentiæ, tenerentur vel adhibere media fortiora ad vincendas tentationes, vel petere super voto dispensationem, quæ tamen non duraret, nisi tempore Matrimonii; hinc post mortem unius non posset superstes transire ad secundas nuptias sine nova dispensatione. 2da. Si mutuo consensu vovissent non petere debitum. Hoc casu si unus adverteret alterum indigere ob periculum incontinentiæ, posset, imò deberet reddere, quia votum ad hunc casum se non extendit. Posset quoque advertens in altero periculum offerre illi actum conjugalem secundùm dicta. 3tia. Si mutuo pacto se obligâssent ad non petendum debitum: hoc enim neuter ab altero exigere posset, pe-

tere tamen benevolè concedendum non prohiberetur, quia alteri alter remittere posset obligationem, nisi ex pietate ad cultum Dei juramento pactum confirmassent; tunc enim foret votum; secùs si juramento tantùm voluissent suæ libertati, vel constantiæ consulere. 4ta. Si uxori gravidæ immineret periculum abortûs: hoc tamen si abesset, uti communiter censetur abesse, si actus cum moderamine fiat; licet usus, si adsit periculum incontinentiæ: quod enim tum non sequatur generatio, non est defectu actus, sed per accidens, sicut in sterilibus, & adultis, seu senibus.

644. *Causa ex parte modi.* Resp. 4. Causa ex parte modi est, si petatur usus modo innaturali, insueto, v. g. præpostero exercendus &c. tunc enim altera pars, nisi causa justa, v. g. ob indispositionem corporis actum illum honestet, sic petenti obedire non tenetur; quia actus tali circumstantiâ vestitus illicitus est. Quale autem sit peccatum sic uti Matrimonio, non est eadem omnium sententia. *Sanch.* cum aliis tenet, non esse per se mortale, esse tamen grave veniale, conjugesque esse graviter reprehendendos, posse quoque culpâ vacare, si adsit rationabilis causa, fiantque requisita ad generationem, & sine periculo semen dispergendi. Alii quidam censent esse mortale, si modus sit valde indecens. De quo Confessarius audiet Pœnitentem. Similiter si vir velit abrumpere copulam, & semen dispergere, non tenetur uxor obedire, posse tamen censent aliqui, eò quòd jus habeat ad usum Matrimonii, & peccatum tantum permittat. Idem dicit *Sanch.* si vir petat usum innaturali modo exercendum, quia is potest alio modo petere, & uti juri suo, sicut potest, imò tenetur obsequi, si vir petat solius volupta-

luptatis causâ, quia potest ex alio fine petere. At non est paritas: nam finis ille non tenet se ex parte objecti uti modus innaturalis, qui vestit copulam tanquam partiale objectum.

Resp. 5. Causæ ex parte loci sunt. 1ma: Si petatur usus exercendus extra casum necessitatis in loco sacro. 2da. Si in loco, ubi absque scandalo nequit exerceri: unde peccant parentes, si liberos suos scandali non omninò incapaces in eodem secum cubili de nocte faciant, aut permittant decumbere: licèt enim actu fortè ob defectum usus rationis non scandalizentur, si tamen usui rationis propinqui sint, recordabuntur, & scandalum patiantur. De causis ex parte temporis partim jam dictum est N. 642. Præterea videntur aliqui P. P. dicere illicitum esse Matrimonii usum die Sacræ Communionis, diebus Jejuniorum, Processionum, majoribus Festis, tempore, quo uxor est gravida; sed Doctores passim ajunt, tantum esse consilii, quæ quandoque sub forma præcepti proferuntur. Cæterùm quamvis usus ille ob honestum finem pridie Communionis de se illicitus non sit, cùm honestus esse possit, & quandoque ad alterius incontinentiæ peccatum vitandum necessarius; ordinariè tamen dissuadendus est, ob reverentiam, majoremque in gratiarum actione devotionem, quæ per carnalem voluptatem impeditur, aut imminuitur. Viro autem usum Matrimonii universim prohibere, dum est gravida uxor, esset eum exponere multiplici peccatorum periculo, & remedium incontinentiæ vertere in perniciem animarum: cùm enim uxores sæpè, & longo tempore sint gravidæ, & quibusdam aliis præterea temporibus usus Matrimonii adhiberi nequeat; vix liceret viris medio

645. *Causæ ex parte loci, & temporis.*

filii in Baptismo non solenni patrinum egit; *tractum*
Ratio responsionis est; quia Matrimonium est *cum du-*
certò validum: Ecclesia enim tunc tollit, si ad- *bio juris*
sit impedimentum. Id quod constat ex declaratione ejus: nam in tribunalibus suis sæpè decidit pro valore talium matrimoniorum. *La Croix* N. 42.

Resp. 2. Qui in dubio facti malâ fide contraxit Matrimonium cum contrahente bonâ fide, debitum petere nequit, donec factâ debitâ inquisitione dubium in favorem suum pro valore vicerit; reddere tamen tenetur illi, qui & contraxit, & nunc petit bonâ fide. *Ratio 1mæ partis est*; quia possessio, malâ fide cœpta, jus illi non tribuit: unde conscientiam practicam formare non potest, sed arrogaret sibi usum, ad quem jus non habet, exponeretque se periculo formalis fornicationis. *Ratio 2dæ partis est*; quia, qui, vel quæ bonâ fide contraxit, nec modò de Matrimonii sui valore dubitat, jus certum habet, quo si uti velit, & sine injuria obsisti non potest. Utraque pars decisa est Cap. *Dominus.* de secundis nuptiis. ubi Papa Lucius III. ait: *Super Matrimoniis, quæ quidam ex vobis, nondum habitâ obeuntis conjugis certitudine, contraxerunt, id vobis respondemus, ut nullus amodo ad secundas nuptias migrare præsumat, donec ei constet, quod ex hac vita migraverit conjux: si verò aliquis, vel aliqua id hactenus non servaverit, & de morte prioris conjugis existimat, sibi adhuc dubitandum, ei, quæ sibi nupsit, debitum non deneget postulanti, quod à se tamen noverit nullatenus exigendum: quòd si post hoc de prioris vita conjugis constiterit, relictis adulterinis complexibus, ad priorem conjugem revertatur.* Undè tales adhuc tenentur inquirere,

648. *Vel cum dubio facti;*

si

possessioni pro priori. Constat ex Capite: *Dominus.*

650. *Aut cũ dubio ex meris conjecturis?*

Resp. 3. Qui in dubio facti invincibili, ex meris conjecturis, utrimque probabilibus, resultante, bonâ fide contraxit Matrimonium, petere & reddere potest debitum, quia in eo casu juxta communissimam Doctorum teste *La Croix* N 41. impedimentum, si quod esset, ab Ecclesia tollitur: unde & Matrimonium, contempto tali dubio, contrahi licitè potest; nisi esset possessio pro impedimento, uti si dubium foret de vita prioris conjugis, aut dubium esset vincibile.

QUÆSTIO V.

Quid liceat conjugibus circa usum Matrimonii, si huic contracto superveniat dubium de ejus valore?

651. *Quid, si uni dubium superveniat?*

Resp. 1mò. Si Matrimonio, utrimque bonâ fide contracto, & consummato, dubium de ejus valore superveniat uni conjugum, hic debitum petere nequit priusquam in veritatem debitè inquisiverit; alteri tamen, bonâ fide id postulanti, reddere tenetur. *Ratio 1mæ partis est;* quia sicut dubius, an res, bonâ fide cœpta possideri, sit sua, non potest, stante dubio illâ uti, sed Domino illam tenetur servare integram, donec factâ inquisitione debitâ, dominus sciri nequeat; ità & in præsenti casu; alioquin procederet cum dubio, an ignorantia non sit vincibilis, utaturque alienâ, cùm possessio ante inquisitionem non juvet. *Ratio 2da partis est;* quia pars non dubia de valore Matrimonii, bonâ fide

fide contracti, est in certa possessione juris ad usum illius.

Dixi 1mò: *Uni conjugum:* Si enim uterque dubitaret, neutri liceret petere debitum, priusquam, factâ inquisitione, dubium deponeretur, aut saltem inveniretur esse invincibile. Nam in dubio possessio non confert jus dubitanti, nisi post factam diligentem inquisitionem: hâc enim non positâ, nescitur, an dubium vinci non possit, adeo procederetur cum conscientia dubiè vincibili; nemo autem jus habet cum tali conscientia operandi. Dixi 2. *Et Matrimonio consummato:* Nam si dubium oriretur primo bimestri ante ejus consummationem, dubitans nec petere, nec reddere posset debitum: quod enim possit, & teneatur reddere non dubitanti, oritur ex hujus jure, jus autem non habet ante elapsum à contracto Matrimonio bimestre.

651. *Quid si dubium vinci nequeat* In his facilè convenit inter A.A. An autem, qui bonâ fide contraxit Matrimonium, & de ejus valore postea dubitat, perque diligentem inquisitionem dubium vincere nequit, possit deinde petere debitum, controvertitur. Negant S. Th. S. Bonav. S. Antoninus, Valentia, Vasquez apud La Croix N. 302. eò quòd sic videatur decisum Cap. *Inquisitioni tuæ.* de sententia excommunicationis, ubi dicitur: *Cùm conscientia pulsat animum ex credulitate probabili, & discreta, quamvis non evidenti, & manifesta, debitum quidem reddere, sed postulare non debet, ne in alterutro vel contra legem conjugii, vel contra judicium conscientiæ committat offensam.* Affirmant P. Sot. Victoria, Suar. Layın. Less. Lugo, Sanch. & alii apud La Croix l. c. 1mò, quia videtur satis clarè decisum à Lucio Papa III. Cap. *Dominus.* N. 648. relato: ibi enim supponit

ponit Pontifex, si secundo Matrimonio, bonâ fide contracto ab una parte, superveniat dubium de morte prioris conjugis, posse eum qui bonâ fide contraxit, petere debitum & alterum, etsi malâ fide contraxerit, posse reddere, stante dubio invincibili. 2. Cap. *Laudabilem.* de frigidis & maleficiatis dicitur, si dubium superveniat de impotentia, utrumque posse ad triennium petere, & reddere debitum. Et *Ratio est*; quia sicut generatim, si post possessionem rei, bonâ fide cœptam, oriatur dubium, an non sit res aliena, potest possessor, dubio, post debitam inquisitionem factam, manente rem retinere, & ea pro arbitrio uti; quia jam habet ignorantiam invincibilem, potestque supponere esse suam; ità in præsenti casu conjuges habent ignorantiam invincibilem, de invaliditate sui Matrimonii, possuntque supponere id valere. Ad Caput. Inquisitioni tuæ respondent citati A. A. ibi agi vel de casu, in quo major fieri potuit, & debuit inquisitio veritatis, & facta non est, vel de casu, in quo habebatur judicium probabile de invaliditate, & nullum prudens motivum pro valore, id quod colligitur ex contextu responsi: nam si adfuisset motivum prudens judicandi pro valore, non fuisset periculum offensam committendi in petitione debiti contra judicium conscientiæ. Ità Lugo de Justitia Disp. 17 N. 87.

653. *Quid in dubio utrimque positivo, vel utrimque negativo?*

Resp. 2. Si Matrimonio, utrimque bonâ fide contracto, superveniat dubium utrimque positivum, judiceturque prudenter, Matrimonium esse validum, etsi certitudo non habeatur, debitum peti, & reddi potest; quia & in hac materia juxta communissimam sequi licet opinionem probabilem, nec est periculum, nisi materialis peccati, cui se exponere justá de causa licet, sicut

ſicut licet in aliis materiis, ubi de ſola licentia actionis agitur. Idem dicendum, ſi superveniat dubium utrimque negativum; quia poſſeſſio juris, & bona fides manet inviolata, cùm nullum ſit motivum prudens judicandi, Matrimonium eſſe invalidum.

654. *Quid in dubio mixto?* Reſp. 3. Si Matrimonio utrimque bonâ fide contracto ſuperveniat dubium mixtum, in quo ſit motivum prudens judicandi Matrimonium eſſe nullum, non autem pro valore, ſic dubitans debitum nequit petere, antequam factâ debitâ inquiſitione dubium pro ſe poſſit reſolvere, ſaltem probabiliter. *Ratio eſt*; quia in dubio tali antè non ſuffragatur poſſeſſio, ſed jus redditur dubium, & pro eo prudenter judicari non poteſt, non dubitanti tamen, debitum poſtulanti, reddere tenetur, niſi illi manifeſtâſſet ſuam dubitandi rationem, & is quoque meritò dubitaret. Tum enim contra utrumque eſſet par ratio, ſique dubium vinci non poſſet, cenſeretur adeſſe moralis certitudo de nullitate. Unde petenda foret diſpenſatio, quæ & ſuadenda eſt in aliis caſibus, ſi commodè haberi poſſit.

QUÆSTIO VI.

Quæ Parocho circa prædicta ſint obſervanda?

655. *Obſervanda Parocho.* Reſp. Sequentia. 1mò. Si Matrimonio contracto ſuperveniat dubium, inquirat, quâ fide contrahentes proceſſerint, & conformiter dictis rem peragat. 2dò. Si in Confeſſione advertat, pœnitentem ligari impedimento ipſi ignoto, ſitque ſpes fore, ut abſtineat ab uſu exiſtimati Matrimonii, id illi aperiat, & petatur diſpenſatio, ſi

si autem certò, vel probabiliùs judicet oppositum, permittenda sunt potiùs ad tempus materialia peccata, quàm danda occasio ad formalia, injungendumque, si videatur expediens, etiam pro Sacramentali pœnitentia, ut post tempus, quo judicatur adfore dispensatio, redeat, modò speretur profutura, & sine gravi incommodo impetranda sit. Quomodo autem Matrimonium sit dein validandum, dixi N. 608.

At inquies: si Pœnitens judicetur salutari admonitioni non obtemperaturus, videtur indispositus ad absolutionem. Resp. Id non sequi: nam, quamvis, si voluntatem actualem vel habitualem haberet non obsequendi, indispositus foret; ex eo tamen, quòd eam esset habiturus, si impedimentum illi revelaretur, non infertur esse indispositum: multi enim peccatores pœnitentes non sunt ità dispositi, ut à proposito non peccandi de cætero non essent defecturi, si igne alioquin torquendi essent; & tamen dispositi, & capaces sunt absolutionis, si verè & efficaciter de peccatis commissis doleant, serioque velint deinceps mandata servare. 3. Si, revelato conjugi impedimento, non aliud prævideatur incommodum, quàm divortium, quod alter ægrè laturus esset, non videtur, inquit Gobat, causa sufficiens tacendi; quia multiplicata peccata materialia sunt gravius malum, quàm temporania conjugis putatitii tristitia; si tamen revelatio simul esset in gravem alterius infamiam redundatura, aut conjuncta foret cum valde gravi v. g. prolium incommodo, aut cum gravi scandalo, taceri posset, & relinqui pœnitens in bona fide. 4. Si velint contrahere duo, quorum unius conjux à longo tempore discessit, & non est indubitata certitudo, quòd obierit, non

 sunt

ſunt permittendi contrahere, uti conſtat ex Cap. *Dominus.* Ratio eſt; quia priùs Matrimonium eſt in certa poſſeſſione, exponereturque Sacramentum periculo nullitatis, & populus ſcandalis. 5. Si inter ſponſos occultum, Confeſſario impedimentum detegatur, jubendi ſunt, vel ab intenſione Matrimonii deſiſtere, vel petere diſpenſationem, ſi tamen hæc moram longiorem requireret, & Matrimonii contractus ſine gravi infamia, vel ſcandalo differri non poſſet, permittendum foret, ut quantum in ipſis eſſet, contraherent: hoc enim in tali caſu Eccleſia non prohibet, nec ſimularent Sacramentum ſecundùm dicta N. 33. & 607. & P. 1. in A. N. 145. quia non fingerent contractum, ſed eum ponerent, quantum in ipſis eſt, etſi aliunde nullum. 6. populus muſcitet de impedimento, exploret, ex quo fundamento oriatur; ſi tantùm ſit rumor vulgi, nullo certo auctore ortus, contemnendus eſt; quia plerumque nihil ſubeſt; ſi autem ſit fama communis, huic dandum eſt aliquid, ut tamen probet, & attendi debeat, dum Matrimonium eſt contractum, requiritur, ut non ſit vaga, non levis, non ſibi contraria, ſed ſolida, conſtans, uniformis, à perſonis, fide dignis orta. *La Croix* N. 548. Denique obſervandum eſt univerſim, ut peccata potiùs minuantur, quàm augeantur: aliàs enim non conſuleretur honori Dei, & ſaluti animarum; ſed officeretur. Quare dixit S. Auguſtinus: *Si ſcirem, tibi non prodeſſe, non te monerem, non te terrerem.* Reliqua, quæ pro praxi ad partem hanc pertinent, habentur in inſtructione Neo-Confeſſarii.

F I N I S.

O. A. M. D. G.

INDEX





INDEX UNIVERSALIS.

P. Partem, A. Analysin, Cifra Numerum marginalem designat.

A.

Abbas.

Potest Ordines Minores suis Religiosis conferre. P. 4. N. 449.
Potest eligere sibi Confessarium idoneum, etsi non approbatum ab Episcopo. N. 343. §. 3
Secùs est de Abbatissa. N. 352. in fine.

Abortus.

Abortum fœtûs humani directè procurare nunquam licet. In A. N. 131. & P. 3. N. 375
Quid aliquando indirectè liceat; Ibid. 376

Absolutio à peccatis.

Quibus verbis constat forma Absolutionis Sacramentalis? P. 4. N. 334
Quis sit illorum sensus? N. 335
An danda absolutio rudi, qui nullum in specie peccatum confitetur? P. 4. 303
Absolutio non est danda illi, qui potest, & non vult deserere occasionem proximam peccandi. In A. N. 58.
Nec regulariter illi, qui ignorat Mysteria SSmæ Trinitatis, & Incarnationis. In A. N. 78

Nec dimidiatè confessis ob concursum populi. Ibidem N. 176.

Nec consuetudinario, dum non est spes emendationis. N. 177

Dari tamen potest disposito ante impletam pœnitentiam. N. 174

Quando præterea danda, aut neganda, aut differenda? P. 4. N. 336. & P. 1. à 361

Absolutio à casibus reservatis, & Censuris.

Quis possit absolvere à casibus reservatis extra Jubilæum, & quæ observanda? P. 4. N. 363. 365. 367.

Quis in Jubilæo? N. 419

Quis in articulo mortis? P. 1. N. 303

Quæ monendus, & ad quid teneatur absolvendus in articulo mortis à reservato cum censura? Ibid. & P. 4. N. 343. 365.

Quid, si in necessitate non habeatur potens absolvere à reservatis? N. 368.

An absolutio invalida à peccatis tollat reservationem? N. 369

Quid de absolutione peregrini à reservatis in uno, & non in altero loco? N 371

Qui se geret lapsus in reservatum? N. 363

Facultas absolvendi à reservatis, quomodo intelligenda? N. 366

Quis possit absolvere ab excommunicatione? P. 1. à N. 301.

A suspensione, & interdicto? N. 306. 307. Vide *Reservatio.*

Abstinentia.

Quid sit, & quæ ejus mensura &c. P. 2. à N. 161

Accessio.

Accessione tum naturali, tum industriali, cui, & quomodo dominium accedentis acquiratur? P. 3. N. 77.

Accu-

Accusare, Accusatio.

Quid sit accusatio, quis possit, & teneatur accusare judicialiter? P 3. N. 472

Acedia.

Quid, & quale peccatum? P. 2. N. 126

Actus humanus.

Ejus definitio, divisio, & ordo, quo procedit. P. 1. à N. 1. ad 7.

Debet esse liber libertate indifferentiæ activæ. P. 1. N. 26. in A. N. 33.

Non sufficit libertas in Adamo peccante. In A. N. 34.

Regula illius objectiva, & formalis. P. 1. N. 27. & 28.

Objectum, & Moralitas. N. 30

Circumstantiæ illius objectivæ. N. 34

Ab illo primaria, ab his secundaria descendit moralitas? N. 39

Quomodo actus debeat in illa tendere, ut in eum refundatur moralitas? N. 43

Quomodo debeat voluntati divinæ conformari, ut sit bonus, & quomodo difformari, ut sit malus? N. 45

An possit esse in individuo indifferens? N. 55

An possit esse honestus, si imperetur ab intentione mala; N. 58

An, ut sit honestus, debeat procedere ex motivo charitatis? In A. N. 29

An actus externus simul constituat moralitatem formalem? N. 49

Quando actus externus, indeliberatè factus, retineat malitiam objectivam? N. 52

Unde actus humanus supernaturalis desumat supernaturalitatem? P. 2. N. 5.

Actus meræ facultatis. P. 3. N. 90

Adjuratio.

Quid sit, & quando obliget? P. 3. N. 299

Adoratio.

Quid, & quotuplex sit? P. 2. 247

Advocatus.

Ejus officium, & obligationes. P. 3. N.497

Ad quam diligentiam teneatur in causa sui clientis? P. 3. sub N.317. Cor.3

An licitè possit tueri causam minùs probabilem? P. 1. N. 104. Ref. 4.

Adulterium, Adulter.

Quid sit adulterium, & quotuplex ejus malitia? P. 2. N. 193.

Eam non evacuat consensus mariti. P. 3. N.296 In A. N. 105.

Ad quid teneatur Adulter, & Adultera, si proles sit nata ex adulterio? P. 3. N 391

Ad quid in dubio, ex quo de pluribus proles sit concepta? N. 392

An adultera pro avertendis damnis teneatur spurio suo revelare nativitatem suam illegitimam? N. 394.

Ætas.

Quæ requiratur ad Beneficium Ecclesiasticum? P. 2. sub N. 402.

Quæ ad Ordines? P. 1. N. 314. P. 4. N. 452

Quæ ad Matrimonium validum? P. 4. N. 557

Affabilitas.

Qualis sit virtus, qui illius actus, quæ peccata illi opposita? P. 2. N. 233

Affinitas Personarum.

Unde oriatur, & quousque dirimat Matrimonium? P. 4. N. 552

Regula inveniendi illius gradum. N. 555

Agnus Dei.

Id est cera orbicularis, à Papa benedicta, quos effectus habeat &c. P. 4. N. 82

Altare.

Altare.

An in illo semper, qualis, & quomodo prostare debeat Crucifixus sub Missa? P.4. N.213

Quando exsecretur, seu consecrationem amittat? P.4. N.207. Vide *Ecclesia.*

Amor.

Quid & quotuplex sit, & actus illi oppositi? P.2. N.71.

Amphibologia.

An liceat in juramento? P.2. N.314. & 239

Animalia.

Quotuplicia sint, & quæ fiant primò occupantis? P.3. N.58

Antichrisis.

Quid sit, & quomodo licita esse possit? P.3.269

Apes.

Avolantes quamdiu maneant prioris Domini, & cujus dein fiant? P.3. sub N.60

Approbatio Confessarii.

Quid sit, pro quibus, & quo Episcopo haberi debeat? Vide V. *Confessarius, Episcopus.*

Assecuratio.

Definitio, & requisita ad ejus justitiam. P.3. N.260.

Assessor.

Officium ejus, & obligationes. P.3.N.499

Asylum.

Quid sit? P.2.N.420

Quæ loca, & personæ illo gaudeant, & ab illo excludantur? P.2. N.422.424

Favores, & effectus illius. N.425

Attritio.

Quid sit attritio, & quæ ejus motiva? P.4. N.244.

An ad valorem Sacramenti pœnitentiæ sufficiat attritio naturalis? In A.N.159

An concepta ex metu pœnarum possit esse supernaturalis? In A. N. 82.
An supernaturalis efficax sufficiat ad justificationem in Sacramento? P. 4. N. 262. 263
An eam sufficere, sit moraliter certum? n. 278
An rectè dicatur dolor purè formidolosus? N. 277
An sufficiat concepta ex metu pœnarum hujus vitæ? N. 280

Auctor.

Quis sit auctor omni exceptione major? P. 1 sub N. 93.
An unus modernus faciat opinionem probabilem? P. 1. sub N. 95. In A. N. 44

B.

Baptismus.

Ejus definitio, ut est Sacramentum, materia, forma, necessitas, Minister. P. 4. à N. 85. âd n. 98.
Quis teneatur baptizare? n. 98
Baptismi effectus, Patrini Ceremoniæ, iteratio. à n. 114. ad 127
An conferri possit infantibus, invitis eorum Parentibus infidelibus? n. 109. 110. 111
An abortivo, & monstro? n. 107
An peti possit à ministello hæretico? n. 105. V. A. n. 146. 147

Bellum,

Requisita ad id licitè suscipiendum, & continuandum. p. 2. n. 126. p. n. 382

Benedicta.

Quotuplicia sint. p. 4. n. 81

Beneficium Ecclesiasticum.

Quid, & quotuplex sit? p. 2. n. 385. & 386
Modi illud legitimè obtinendi. n. 388

Requi-

Requisita in promovendo ad beneficium. nu. 403
Quis dicatur dignus, minus dignus, indignus? p. 2. n. 404
Quomodo peccet promovens ad id indignum, aut minus dignum, neglecto digniore? In A. n. 126. p. 2. n. 404
An unus licite habere possit plura simul beneficia? p. 2. n. 403
Quomodo beneficia amittantur, & quando vacent. n. 409
Beneficiatorum obligationes. n. 410
An beneficia non conferre gratis repugnet Justitiæ? In. n. 125. p. 2. 481
Origo beneficiorum. p. 2. n. 387
Quid liceat in lite super beneficiis? p. 2. n. 480

Bestialitas.

Quid, & quale peccatum? p. 2. n. 198

Blasphemia.

Quid, & quotuplex sit? p. 2. 441
Quot modis fiat? ibidem.
Quomodo in Confessione explicanda? n. 442 Cor. 9

Bona.

Bona temporalia cur divisa? p. 3. n. 56
Bona, quæ necessaria vitæ, statui, quæ superflua? p. 2. n. 109
Incerta, vacantia, derelicta cui acquirantur, & quomodo? p. 3. n. 67
Cujus fiant capta jure belli? n. 76
Bona communia quæ, & quotuplicia? n. 4
Bona conjugum, & filiorum familias. n. 46 47. 41

Bulla.

Bulla Papæ est præferenda Doctrinæ Sti Augustini.

ſtini. In A. n. 71
Bulla *In Eminenti* Urbani VIII. non eſt ſubreptitia. In A. n. 72

C.

Cambium.

Contractus Cambii quid, & quotuplex? p. 3 n. 257
Ex quibus titulis liceat? n. 258
An liceat Francofurtenſe? n. 259

Canoneſſæ ſæculares.

An teneantur ad Horas Canonicas? p. 2. n. 419
An earum Præbendæ ſint Beneficia Eccleſiaſtica, & materia Simoniæ. n. 249. & 476

Capellania.

Quænam ſit beneficium Eccleſiaſticum? p. 2. n. 387. p. 3. n. 51

Capitulum.

Quid poſſit ſede vacante? p. 2. n. 395. p. 4 n. 572

Caſtitas.

Quid, & quotuplex? p. 2. n. 188
Peccata illi oppoſita. à n. 190. ad n. 223

Caſus reſervati.

De his vide V. *Reſervatio.*

Cauſa.

Cauſa per ſe, & per accidens effectus. p. 1. n. 14. p. 2. n. 218
Cauſa favorabilis. p. 1. ſub n. 303
Cauſa pia. p. 3. n. 276
Cauſa pia judicanda à judice etiam ſæculari ſecundum Canones. n. 467. vide V. *Judex.*
Cauſæ excuſantes ab obſervatione legis V. *Lex.*

Cenſura.

Quid, & quotuplex ſit cenſura? p. 1, n. 263 264

Ob quam culpam incurratur? n. 265
A quo, & in quos ferri possit. n. 268
Causæ ab ejus incursu excusantes. n. 267
An cesset pro foro conscientiæ Reo correcto?
In A. n. 50

Census.

Quid, & quotuplex sit? p. 2. n. 241
Quæ pacta illi adjici possint? n. 246

Cessatio à divinis.

Quomodo differat à censura? p. 1, n. 300

Cessio fori.

Quid sit, & quatenus liberet à debitis? p. 3. n. 354

Character Sacramentalis.

In quibus Sacramentis imprimatur, & quæ ejus significata? p. 4. n. 77

Charitas.

Illius definitio. p. 2. n. 72
Objectum materiale, formale primarium, & secundarium. n. 73. 75. 78
Fundat amicitiam Deum inter, & homines. n. 79
Ejus perfectio, & actus. n. 80
Præceptum diligendi Deum speciale. n. 87
Quando obliget per se, & quando per accidens? n. 88. 89
Ad quæ universim obliget? n. 90
An obliget, ut omnia fiant ex amore benevolo formali, & perfecto? n. 91
Quomodo in hac vita impleri possit, & facile à timoratis? n. 92. & 93
Quando obliget præceptum diligendi proximum? n. 95
An obliget etiam ad actum dilectionis internum? n. 95. In A. n. 86
An omnis actus honestus supernaturalis sit inchoata

choata Charitas? p. 1. n. 54
Ordo in dilectione servandus tum inter se, & proximum, tum inter proximos. p. 2. n. 113 114. & 120
Peccata charitati specialiter opposita. n. 123

Christus.

Dedit semetipsum oblationem Deo pro omnibus, etiam reprobis, & infidelibus. In A. n. 59
Ab eo influxum habent etiam Judæi, & Pagani. ibid. n. 60

Circumspectio.

Quid sit, & quæ peccata illi opposita? p. 2. n. 227

Circumstantiæ.

Quid, & quotuplex sit circumstantia actûs humani? p. 1. n. 34. 35
Quæ circumstantiæ mutent illius speciem, aut malitiam tantùm aggravent? n. 36. Vide V. *Confessio.*

Clementia.

Quid sit, & quæ peccata illi opposita? p. 2. n. 224

Codicillus.

Quid sit, & quæ ad illum requirantur? p. 3. n. 272
Quos effectus in testamento habeat clausula codicillaris? n. 287

Cognatio triplex.

Quid sit naturalis, & inter quas personas Matrimonium dirimat. p. 4. n. 533. 534
Quomodo inveniendus illius gradus? n. 539
Cognatio spiritualis unde, & quomodo contrahatur? n. 123
Inter quas personas Matrimonium dirimat? n. 540

Unde

Unde oriatur cognatio legalis, & quousque dirimat? n. 541

Collatio.

Collatio beneficii quæ requirat? p. 2. n. 394

Columbarium.

An liceant columbaria, & quæ obſervanda? p. 3. n. 61. Cor. 2.

Commodatum.

Quid ſit, & quomodo differat à precario? p. 3. n. 177

Commodantis, & commodatarii obligationes. n. 178. 179

Communicatio.

An, & in quibus liceat communicare cum hæreticis? p. 2. n. 53

Cum excommunicatis? p. 1. n. 279

Communicatio meritorum, ab ordine Religioſo alteri facta, quid operetur? p. 4. n. 412

Communio Sacra.

Poteſt ſuſcipi ante impletam pœnitentiam, à Confeſſario injunctam, & priusquam adſit amor puriſſimus. In A. n. 150.

Non ſatisfit præcepto Eccleſiæ per ſacrilegam. Ibid. n. 148. vide *Euchar.*

Compenſatio occulta.

An aliquando liceat, & quæ ad id requirantur? p. 3. n. 445. 449

An permittenda famulantibus? n. 450

An liceat condemnato per ſententiam, objectivè certò injuſtam? n. 496

An condemnato ob culpam purè juridicam? n. 318

Complere.

An poſſit aliquando in Confeſſione Sacramentali detegi? p. 2. n. 320

An Sacerdos ſuam in materia venerea complicem

sicut licet in aliis materiis, ubi de sola licentia actionis agitur. Idem dicendum, si superveniat dubium utrimque negativum; quia possessio juris, & bona fides manet inviolata, cùm nullum sit motivum prudens judicandi, Matrimonium esse invalidum.

654. *Quid in dubio mixto?* Resp. 3. Si Matrimonio utrimque bonâ fide contracto superveniat dubium mixtum, in quo sit motivum prudens judicandi Matrimonium esse nullum, non autem pro valore, sic dubitans debitum nequit petere, antequam factâ debitâ inquisitione dubium pro se possit resolvere, saltem probabiliter. *Ratio est*; quia in dubio tali antè non suffragatur possessio, sed jus redditur dubium, & pro eo prudenter judicari non potest, non dubitanti tamen, debitum postulanti, reddere tenetur, nisi illi manifestâsset suam dubitandi rationem, & is quoque meritò dubitaret. Tum enim contra utrumque esset par ratio, sique dubium vinci non posset, censeretur adesse moralis certitudo de nullitate. Unde petenda foret dispensatio, quæ & suadenda est in aliis casibus, si commodè haberi possit.

QUÆSTIO VI.

Quæ Parocho circa prædicta sint observanda?

655. *Observanda Parocho.* Resp. Sequentia. 1mò. Si Matrimonio contracto superveniat dubium, inquirat, quâ fide contrahentes processerint, & conformiter dictis rem peragat. 2dò. Si in Confessione advertat, pœnitentem ligari impedimento ipsi ignoto, sirque spes fore, ut abstineat ab usu existimati Matrimonii, id illi aperiat, & petatur dispensatio, si

si autem certò, vel probabiliùs judicet oppositum, permittenda sunt potiùs ad tempus materialia peccata, quàm danda occasio ad formalia, injungendumque, si videatur expediens, etiam pro Sacramentali pœnitentia, ut post tempus, quo judicatur adfore dispensatio, redeat, modò speretur profutura, & sine gravi incommodo impetranda sit. Quomodo autem Matrimonium sit dein validandum, dixi N. 608.

At inquies: si Pœnitens judicetur salutari admonitioni non obtemperaturus, videtur indispositus ad absolutionem. Resp. Id non sequitur: nam, quamvis, si voluntatem actualem vel habitualem haberet non obsequendi, indispositus foret; ex eo tamen, quòd eam esset habiturus, si impedimentum illi revelaretur, non infertur esse indispositum: multi enim peccatores pœnitentes non sunt ità dispositi, ut à proposito non peccandi de cætero non essent defecturi, si igne alioquin torquendi essent; & tamen dispositi, & capaces sunt absolutionis, si verè & efficaciter de peccatis commissis doleant, serioque velint deinceps mandata servare. 3. Si, revelato conjugi impedimento, non aliud prævideatur incommodum, quàm divortium, quod alter ægrè laturus esset, non videtur, inquit Gobat, causa sufficiens tacendi; quia multiplicata peccata materialia sunt gravius malum, quàm temporania conjugis putatitii tristitia; si tamen revelatio simul esset in gravem alterius infamiam redundatura, aut conjuncta foret cum valde gravi v. g. prolium incommodo, aut cum gravi scandalo, taceri posset, & relinqui pœnitens in bona fide. 4. Si velint contrahere duo, quorum unius conjux à longo tempore discessit, & non est indubitata certitudo, quòd obierit, non

ſunt permittendi contrahere, ùti conſtat ex Cap. *Dominus.* Ratio eſt; quia priùs Matrimonium eſt in certa poſſeſſione, exponereturque Sacramentum periculo nullitatis, & populus ſcandalis. 5. Si inter ſponſos occultum, Confeſſario impedimentum detegatur, jubendi ſunt, vel ab intenſione Matrimonii deſiſtere, vel petere diſpenſationem, ſi tamen hæc moram longiorem requireret, & Matrimonii contractus ſine gravi infamia, vel ſcandalo differri non poſſet, permittendum foret, ut quantum in ipſis eſſet, contraherent: hoc enim in tali caſu Eccleſia non prohibet, nec ſimularent Sacramentum ſecundùm dicta N. 33. & 607. & P. 1. in A. N. 145. quia non fingerent contractum, ſed eum ponerent, quantum in ipſis eſt, etſi aliunde nullum. 6. populus muſcitet de impedimento, exploret, ex quo fundamento oriatur; ſi tantùm ſit rumor vulgi, nullo certo auctore ortus, contemnendus eſt; quia plerumque nihil ſubeſt; ſi autem ſit fama communis, huic dandum eſt aliquid, ut tamen probet, & attendi debeat, dum Matrimonium eſt contractum, requiritur, ut non ſit vaga, non levis, non ſibi contraria, ſed ſolida, conſtans, uniformis, à perſonis, fide dignis orta. *La Croix* N. 548. Denique obſervandum eſt univerſim, ut peccata potiùs minuantur, quàm augeantur: aliàs enim non conſuleretur honori Dei, & ſaluti animarum; ſed officeretur. Quare dixit S. Auguſtinus: *Si ſcirem, tibi non prodeſſe, non te monerem, non te terrerem.* Reliqua, quæ pro praxi ad partem hanc pertinent, habentur in inſtructione Neo-Confeſſarii.

FINIS.

O. A. M. D. G.

INDEX





INDEX UNIVERSALIS.

P. Partem, A. Analysin, Cifra Numerum marginalem designat.

A.

Abbas.

Potest Ordines Minores suis Religiosis conferre. P. 4. N. 449.

Potest eligere sibi Confessarium idoneum, etsi non approbatum ab Episcopo. N. 343. §. 3

Secùs est de Abbatissa. N. 352. in fine.

Abortus.

Abortum fœtûs humani directè procurare nunquam licet. In A. N. 131. & P. 3. N. 375

Quid aliquando indirectè liceat; Ibid. 376

Absolutio à peccatis.

Quibus verbis constat forma Absolutionis Sacramentalis? P. 4. N. 334

Quis sit illorum sensus? N. 335

An danda absolutio rudi, qui nullum in specie peccatum confitetur? P. 4. 303

Absolutio non est danda illi, qui potest, & non vult deserere occasionem proximam peccandi. In A. N. 58.

Nec regulariter illi, qui ignorat Mysteria SSmæ Trinitatis, & Incarnationis. In A. N. 78

Nec dimidiatè confessis ob concursum populi. Ibidem N. 176.

Nec consuetudinario, dum non est spes emendationis. N. 177

Dari tamen potest disposito ante impletam pœnitentiam. N. 174

Quando præterea danda, aut neganda, aut differenda? P. 4. N. 336 & P. 1. à 361

Absolutio à casibus reservatis, & Censuris.

Quis possit absolvere à casibus reservatis extra Jubilæum, & quæ observanda? P. 4. N. 363. 365. 367.

Quis in Jubilæo? N. 419

Quis in articulo mortis? P. 1. N. 303

Quæ monendus, & ad quid teneatur absolvendus in articulo mortis à reservato cum censura? Ibid. & P. 4. N. 343. 365.

Quid, si in necessitate non habeatur potens absolvere à reservatis? N. 368.

An absolutio invalida à peccatis tollat reservationem? N. 369

Quid de absolutione peregrini à reservatis in uno, & non in altero loco? N 371

Qui se geret lapsus in reservatum? N. 363

Facultas absolvendi à reservatis, quomodo intelligenda? N. 366

Quis possit absolvere ab excommunicatione? P. 1. à N. 301.

A suspensione, & interdicto? N. 306. 307. Vide *Reservatio.*

Abstinentia.

Quid sit, & quæ ejus mensura &c. P. 2. à N. 161

Accessio.

Accessione tum naturali, tum industriali, cui, & quomodo dominium accedentis acquiratur? P. 3. N. 77.

Accu-

Accusare, Accusatio.

Quid sit accusatio, quis possit, & teneatur accusare judicialiter? P 3. N. 472

Acedia.

Quid, & quale peccatum? P. 2. N. 126

Actus humanus.

Ejus definitio, divisio, & ordo, quo procedit. P. 1. à N. 1. ad 7.

Debet esse liber libertate indifferentiæ activæ. P. 1. N. 26. in A. N. 33.

Non sufficit libertas in Adamo peccante. In A. N. 34.

Regula illius objectiva, & formalis. P. 1. N. 27. & 28.

Objectum, & Moralitas. N. 30

Circumstantiæ illius objectivæ. N. 34

Ab illo primaria, ab his secundaria descendit moralitas? N. 39

Quomodo actus debeat in illa tendere, ut in eum refundatur moralitas? N. 43

Quomodo debeat voluntati divinæ conformari, ut sit bonus, & quomodo difformari, ut sit malus? N. 45

An possit esse in individuo indifferens? N. 55

An possit esse honestus, si imperetur ab intentione mala; N. 58

An, ut sit honestus, debeat procedere ex motivo charitatis? In A. N. 29

An actus externus simul constituat moralitatem formalem? N. 49

Quando actus externus, indeliberatè factus, retineat malitiam objectivam? N. 52

Unde actus humanus supernaturalis desumat supernaturalitatem? P. 2. N. 5.

Actus meræ facultatis. P. 3. N. 90

Adjuratio.

Quid sit, & quando obliget? P. 3. N. 299

Adoratio.

Quid, & quotuplex sit? P. 2. 247

Advocatus.

Ejus officium, & obligationes. P. 3. N.497

Ad quam diligentiam teneatur in causa sui clientis? P. 3. sub N.317. Cor.3

An licitè possit tueri causam minùs probabilem? P. 1. N. 104. Ref. 4.

Adulterium, Adulter.

Quid sit adulterium, & quotuplex ejus malitia? P. 2. N. 193.

Eam non evacuat consensus mariti. P. 3. N.296 In A. N. 105.

Ad quid teneatur Adulter, & Adultera, si proles sit nata ex adulterio? P. 3. N 391

Ad quid in dubio, ex quo de pluribus proles sit concepta? N. 392

An adultera pro avertendis damnis teneatur spurio suo revelare nativitatem suam illegitimam? N. 394.

Ætas.

Quæ requiratur ad Beneficium Ecclesiasticum? P. 2. sub N. 402.

Quæ ad Ordines? P. 1. N. 314. P. 4. N. 452

Quæ ad Matrimonium validum? P. 4. N. 557

Affabilitas.

Qualis sit virtus, qui illius actus, quæ peccata illi opposita? P. 2. N. 233

Affinitas Personarum.

Unde oriatur, & quousque dirimat Matrimonium? P. 4. N. 552

Regula inveniendi illius gradum. N. 555

Agnus Dei.

Id est cera orbicularis, à Papa benedicta, quos effectus habeat &c. P. 4. N. 82

Altare.

Altare.

An in illo semper, qualis, & quomodo prostare debeat Crucifixus sub Missa? P.4. N.213

Quando exsecretur, seu consecrationem amittat? P. 4. N. 207. Vide *Ecclesia.*

Amor.

Quid & quotuplex sit, & actus illi oppositi? P. 2. N. 71.

Amphibologia.

An liceat in juramento? P. 2. N. 314. & 239

Animalia.

Quotuplicia sint, & quæ fiant primò occupantis? P. 3. N. 58

Antichrisis.

Quid sit, & quomodo licita esse possit? P. 3. 269

Apes.

Avolantes quamdiu maneant prioris Domini, & cujus dein fiant? P. 3. sub N. 60

Approbatio Confessarii.

Quid sit, pro quibus, & quo Episcopo haberi debeat? Vide V. *Confessarius, Episcopus.*

Assecuratio.

Definitio, & requisita ad ejus justitiam. P. 3. N. 260.

Assessor.

Officium ejus, & obligationes. P. 3. N. 499

Asylum.

Quid sit? P. 2. N. 420

Quæ loca, & personæ illo gaudeant, & ab illo excludantur? P. 2. N. 422. 424

Favores, & effectus illius. N. 425

Attritio.

Quid sit attritio, & quæ ejus motiva? P. 4. N. 244.

An ad valorem Sacramenti pœnitentiæ sufficiat attritio naturalis? In A. N. 159

An concepta ex metu pœnarum possit esse supernaturalis? In A. N. 82.
An supernaturalis efficax sufficiat ad justificationem in Sacramento? P. 4. N. 262. 263
An eam sufficere, sit moraliter certum? n. 278
An rectè dicatur dolor purè formidolosus? N. 277
An sufficiat concepta ex metu pœnarum hujus vitæ? N. 280

Auctor.

Quis sit auctor omni exceptione major? P. 1 sub N. 93.
An unus modernus faciat opinionem probabilem? P. 1. sub N. 95. In A. N. 44

B.

Baptismus.

Ejus definitio, ut est Sacramentum, materia, forma, necessitas, Minister. P. 4. à N. 85. ad n. 98.
Quis teneatur baptizare? n. 98
Baptismi effectus, Patrini Ceremoniæ, iteratio. à n. 114. ad 127
An conferri possit infantibus, invitis eorum Parentibus infidelibus? n. 109. 110. 111
An abortivo, & monstro? n. 107
An peti possit à ministello hæretico? n. 105. V. A. n. 146. 147

Bellum.

Requisita ad id licitè suscipiendum, & continuandum. p. 2. n. 126. p. n. 382

Benedicta.

Quotuplicia sint. p. 4. n. 81

Beneficium Ecclesiasticum.

Quid, & quotuplex sit? p. 2. n. 385. & 386
Modi illud legitimè obtinendi. n. 388

Requi-

Requisita in promovendo ad beneficium. nu. 403
Quis dicatur dignus, minus dignus, indignus? p. 2. n. 404
Quomodo peccet promovens ad id indignum, aut minus dignum, neglecto digniore? In A. n. 126. p. 2. n. 404
An unus licite habere possit plura simul beneficia? p. 2. n. 403
Quomodo beneficia amittantur, & quando vacent. n. 409
Beneficiatorum obligationes. n. 410
An beneficia non conferre gratis repugnet Justitiæ? In. n. 125. p. 2. 481
Origo beneficiorum. p. 2. n. 387
Quid liceat in lite super beneficiis? p. 2. n. 480

Bestialitas.

Quid, & quale peccatum? p. 2. n. 198

Blasphemia.

Quid, & quotuplex sit? p. 2. 441
Quot modis fiat? ibidem.
Quomodo in Confessione explicanda? n. 442 Cor. 9

Bona.

Bona temporalia cur divisa? p. 3. n. 56
Bona, quæ necessaria vitæ, statui, quæ superflua? p. 2. n. 109
Incerta, vacantia, derelicta cui acquirantur, & quomodo? p. 3. n. 67
Cujus fiant capta jure belli? n. 76
Bona communia quæ, & quotuplicia? n. 4
Bona conjugum, & filiorum familias. n. 46 47. 41

Bulla.

Bulla Papæ est præferenda Doctrinæ Sti Augustini.

stini. In A. n. 71
Bulla *In Eminenti* Urbani VIII. non est subreptitia. In A. n. 72

C.

Cambium.

Contractus Cambii quid, & quotuplex? p. 3 n. 257
Ex quibus titulis liceat? n. 258
An liceat Francofurtense? n. 259

Canonessæ sæculares.

An teneantur ad Horas Canonicas? p. 2. n. 419
An earum Præbendæ sint Beneficia Ecclesiastica? & materia Simoniæ. n. 249. & 476

Capellania.

Quænam sit beneficium Ecclesiasticum? p. 2. n. 387. p. 3. n. 51

Capitulum.

Quid possit sede vacante? p. 2. n. 395. p. 4 n. 572

Castitas.

Quid, & quotuplex? p. 2. n. 188
Peccata illi opposita. à n. 190. ad n. 223

Casus reservati.

De his vide V. *Reservatio.*

Causa.

Causa per se, & per accidens effectus. p. 1. n. 14. p. 2. n. 218
Causa favorabilis. p. 1. sub n. 303
Causa pia. p. 3. n. 276
Causa pia judicanda à judice etiam sæculari secundum Canones. n. 467. vide V. *Judex.*
Causæ excusantes ab observatione legis V. *Lex.*

Censura.

Quid, & quotuplex sit censura? p. 1, n. 263 264

Ob

Ob quam culpam incurratur? n. 265
A quo, & in quos ferri possit. n. 268
Causæ ab ejus incursu excusantes. n. 267
An cesset pro foro conscientiæ Reo correcto? In A. n. 50

Census.

Quid, & quotuplex sit? p. 2. n. 241
Quæ pacta illi adjici possint? n. 246

Cessatio à divinis.

Quomodo differat à censura? p. 1. n. 300

Cessio fori.

Quid sit, & quatenus liberet à debitis? p. 3. n. 354

Character Sacramentalis.

In quibus Sacramentis imprimatur, & quæ ejus significata? p. 4. n. 77

Charitas.

Illius definitio. p. 2. n. 72
Objectum materiale, formale primarium, & secundarium. n. 73. 75. 78
Fundat amicitiam Deum inter, & homines. n. 79
Ejus perfectio, & actus. n. 80
Præceptum diligendi Deum speciale. n. 87
Quando obliget per se, & quando per accidens? n. 88. 89
Ad quæ universim obliget? n. 90
An obliget, ut omnia fiant ex amore benevolo formali, & perfecto? n. 91
Quomodo in hac vita impleri possit, & facile à timoratis? n. 92. & 93
Quando obliget præceptum diligendi proximum? n. 95
An obliget etiam ad actum dilectionis internum? n. 95. In A. n. 86
An omnis actus honestus supernaturalis sit inchoata

choata Charitas? p. 1. n. 54
Ordo in dilectione servandus tum inter se; & proximum, tum inter proximos. p. 2. n. 113 114. & 120
Peccata charitati specialiter opposita. n. 123

Christus.

Dedit semetipsum oblationem Deo pro omnibus, etiam reprobis, & infidelibus. In A. n. 59
Ab eo influxum habent etiam Judæi, & Pagani. ibid. n. 60

Circumspectio.

Quid sit, & quæ peccata illi opposita? p. 2. n. 227

Circumstantiæ.

Quid, & quotuplex sit circumstantia actûs humani? p. 1. n. 34. 35
Quæ circumstantiæ mutent illius speciem, aut malitiam tantùm aggravent? n. 36. Vide V. *Confessio.*

Clementia.

Quid sit, & quæ peccata illi opposita? p. 2. n. 224

Codicillus.

Quid sit, & quæ ad illum requirantur? p. 3. n. 272
Quos effectus in testamento habeat clausula codicillaris? n. 287

Cognatio triplex.

Quid sit naturalis, & inter quas personas Matrimonium dirimat. p. 4. n. 533. 534
Quomodo inveniendus illius gradus? n. 539
Cognatio spiritualis unde, & quomodo contrahatur? n. 123
Inter quas personas Matrimonium dirimat? n. 540

Unde

Unde oriatur cognatio legalis, & quousque dirimat? n. 541

Collatio.

Collatio beneficii quæ requirat? p. 2. n. 394

Columbarium.

An liceant columbaria, & quæ observanda? p. 3. n. 61. Cor. 2.

Commodatum.

Quid sit, & quomodo differat à precario? p. 3. n. 177

Commodantis, & commodatarii obligationes. n. 178. 179

Communicatio.

An, & in quibus liceat communicare cum hæreticis? p. 2. n. 53

Cum excommunicatis? p. 1. n. 279

Communicatio meritorum, ab ordine Religioso alteri facta, quid operetur? p. 4. n. 412

Communio Sacra.

Potest suscipi ante impletam pœnitentiam, à Confessario injunctam, & priusquam adsit amor purissimus. In A. n. 150.

Non satisfit præcepto Ecclesiæ per sacrilegam. Ibid. n. 148. vide *Euchar.*

Compensatio occulta.

An aliquando liceat, & quæ ad id requirantur? p. 3. n. 445. 449

An permittenda famulantibus? n. 450

An liceat condemnato per sententiam, objectivè certò injustam? n. 496

An condemnato ob culpam purè juridicam? n. 318

Complere.

An possit aliquando in Confessione Sacramentali detegi? p. 2. n. 320

An Sacerdos suam in materia venerea complicem

cem possit absolvere, saltem in articulo mortis? p. 1. n. 303. & p. 4. n. 365. in fine.
An Reus teneatur manifestare judici complices? p. 3. n. 487.

Compositio cum Papa.

Quid sit, & an excuset à restitutione? p. 3. n. 72. & 361

Conditio.

Quid, & quotuplex sit? p. 3. n. 130
An adjectæ Sponsalibus exspectanda impletio? p. 4. n. 475
An licitè impediri possit? n. 477
Quid sit conditio dirimens Matrimonium? n. 530

Concilium.

Quid, & quotuplex? p. 2. n. 27
Requisita ad Oecumenicum, & synopsis Conciliorum. sub n. 27.

Concubinarius.

An absolvi possit priùs, quàm dimiserit Concubinam? In A. N. 57. 58. & P. 1. n. 366.

Confessarius.

Confessarii officium, & obligationes. P. 4. N. 372. 383
Scientia necessaria. N. 383
Approbatio pro audiendis sæcularibus. N. 345
Pro monialibus. N. 352
A quo Episcopo approbatio haberi debeat? N. 347
Quibus modis cesset? N. 356
An aliquando uti possit scientiâ Confessionis? N. 380
Quomodo se geret interrogatus de auditis in Confessione? N. 382. vide V. *Sigillum*, *Reservatio*, *Religiosus*.
Quomodo tractare debeat diversos pœnitentes? vide Neo-Conf.

Con-

Confessio Sacramentalis.

Quid sit, quæ ejus materia? P. 4. N. 296. 297
An sufficiat peccatum in communi? N. 302
An materia necessaria sint peccata dubia? N. 304
An commissa post Baptismum dubium. N. 118
An peccatum dubium dictum, ut dubium, si dein cognoscatur, ut certum? N. 332
An peccatum mortale inculpabiliter omissum? In A. N. 160.
An circumstantiæ solùm aggravantes? N. 314.
Quæ, & qualis debeat esse Confessio? N. 310. & 333
Quæ excusent ab integritate Confessionis? N. 330
Quando, & quomodo Confessio sit repetenda ob defectum commissum? N. 333
Qui actus externus, & cur simul confitendus? P. 1. N. 51. & n. 336
An etiam confitendus effectus peccati? P. 4. N. 318
Confessio, Regularibus mendicantibus facta, immeritò habetur suspecta. In A. n. 162.
Confessio, & Communio in vivente gentiliter non est signum prædestinationis. In A. N. 163
Per Confessionem voluntariè nullam non satisfit præcepto Ecclesiæ. P. 1. In A n. 164.

Confirmatio.

Quid sit Sacramentum Confirmâtionis, quæ ejus materia? P. 4. N. 133
Ejus Minister, & subjectum. N. 136
Effectus, & necessitas. N. 139. & 140
Cæremoniæ. 141

Congregationes Romanæ.

Quot sint, quam vim habeant earum respon-

ſa, & decreta? In A. N. 14
Quid requiratur, ut ſint authentica. Ibid. n. 15.

Conjuges.

Quæ ſint eorum obligationes, & peccata ſpecialia? P. 4. à n. 640. in Neo-Conf. n. 119. & 121.
Quæ, jura illorum quo ad bona communia, & ſingulis propria? p. 3. n. 46

Conſcientia.

Quid, & quotuplex ſit? p. 1. n. 60. 61
Ultimò directiva actûs humani liciti. n. 63
Hæc unde, & quomodo formanda? n. 65
Quando ad hoc ſufficiat opinio probabilis? vide *Opinio*, *poſſeſſio*, *dubium*.
An conſcientia ſit ex obligatione ſequenda? N. 68
Quid, ſi ſit vincibilis erronea? n. 73
Aut perplexa? n. 112
Quomodo dirigenda ſcrupuloſa? n. 113. & 117 in N.C. n. 255.

Conſuetudo.

Quæ conſuetudo vim legis habeat? p. 1. n. 236
Quando cenſeatur rationabilis? ibid. & p. 4. n. 626
Moderna abſolvendi à peccatis non eſt abuſus. In A. n. 175.
Peccator conſuetudinarius quis ſit, & quomodo tractandus? V. N. C. n. 175.

Contentio.

Quid ſit, & quale peccatum? p. 2. n. 126

Contractus.

Quid ſit, & quis conſenſus ad eum neceſſarius? p. 3. n. 106
Illius diviſio, & materia. n. 108. 109
Contractus ſub conditione, & cauſa. n. 130. 132

Sub

Sub modo, & demonstratione. n. 134. 136
Sub pœna, in diem, sub disjunctione. n. 137. 138. 139
Contractus jure positivo irriri. sub n. 122. §. 2.
Ad quid teneatur ficté contrahens? p. 3. N. 140
Qui possint contrahere? 141
An contractus, Jure Civili invalidi, Juramento convalescant. n. 153. Vide V. *Error*, *metus*.
Quid, si fiat contractus sine forma juris? p. 5. n. 229

Contritio perfecta.

An, ut justificet extra Sacramentum, requiratur certa intensio, & duratio? p. 2. n. 82. p. 4. n. 259.
An debeat esse depurata à Spe, & timore, seu, ut vocant, ab amore interessato? p. 2. N. 83
An debeat se extendere ad omnia venialia? p. 4. N. 260

Contumelia.

Quid sit, & quale peccatum? P. 5. n. 399. 404

Cooperatio.

An liceat cooperari ad alterius peccatum; p. 2. n. 135. p. 1. in A. n. 90.
Quot modis fiat cooperatio ad damnum alterius; p. 2. n. 340
Quid requiratur, ut cooperans teneatur ad restitutionem? n. 341
Ad quid teneantur singuli, & quo ordine? n. 343. 344
Quid si unus reparet totum damnum, vel damnificatus uni remittat obligationem? n. 345. Vide V. *Scandalum*, *restitutio*.

Correctio proximi.

Quotuplex sit? p. 2. n. 93
Quando fraterna obliget. n. 99. & n. 100
Quomodo facienda? n. 102
Quid in dubio de fructu? n. 101
Quando præmittenda denuntiationi? p. 3. n. 474
De illa quomodo intelligenda verba Christi? n. 474

Crimen.

Quomodo peccet imponendo alteri falsum crimen? In A. n. 136.
An peccet graviter, qui tormentis victus imponit sibi falsum crimen? p. 3. n. 489
An, & quando liceat revelare alterius verum crimen? n. 413
Quæ sint crimina excepta? sub n. 457.
Crimen dirimens Matrimonium. p. 4. n. 542
An ignorans illud incurrat? n. 543

Culpa.

Quid, & quotuplex sit Theologica, & Juridica? p. 3. n. 315
An purè Juridica inducat obligationem restituendi. n. 316. 318
Quæ culpa Theologica illam inducat? n. 319
Quæ gravem, & quæ levem? n. 321
An graviter damnosa, levis tamen ex inadvertentia? n. 322. 324
Quid, si culpæ leves plenè deliberatæ sint successivè graviter damnosæ? n. 326
Cum culpa levi graviter damnosa rarò infertur damnum grave, si sit plenè deliberata. N. 325

D.

Debitum.

Quid sit debitum Justitiæ, legale, & solius decen-

decentiæ ? P. 3. N. 19.
Quo ordine solvenda sint debita, dum debitor, non est par solvendis omnibus? N. 350
Debitum conjugale quid, & quale sit ? P. 4. n. 640
Quæ causæ ab illo reddendo excusent ? p. 4. à n. 641
An conjugi liceat petere debitum, si Matrimonium contractum sit cum dubio de valore? n. 646
Aut contracto bonâ fide superveniat dubium ? n. 651

Decretum.

Decretum Tridentini, irritans Matrimonium clandestinum, ubi sit promulgatum ? P. 4. n. 564
Decreta Congregationis Cardinalium. Vide: *Congregatio.*

Degradatio, Depositio.

Quid sit, & quos effectus habeat ? P. 1. N. 294

Delectatio morosa.

Quid, & quotuplex sit ? P. 1. n. 383. P. 2. N. 291
De objecto prohibito quale sit peccatum ? P. 1. n. 386
Unde dignoscatur, quod non sit de objecto, sed de modo actionis? n. 390
Delectatio venerea extra conjugium quale peccatum ? P. 2. N. 202
An liceat conjugi absente consorte? n. 204
An prohibita sponsis, sicut solutis? n. 205
An sit obligatio illi, aliunde ortæ, resistendi positive ? n. 206
An ex circumstantiâ personæ, circa quam versatur, contrahat aliam specie malitiam ? n. 207.

An delectationes venereæ differant specie ex objectis ? N. 209
De turpiloquiis &c. Vide V. *Turpitudo.*

Denuntiatio.

Quid, & quotuplex sit ? P. 3. N. 472
An ei præmittenda Secreta monitio ? n. 474
An hæreticus denuntiandus sit, si hæresis probari non possit ? In A. N. 81.
Denuntiationes Sponsorum. P. 4. n. 503

Depositum.

Quid sit, & quæ obligationes depositarii ? P. 3. n. 174. 175

Desiderium.

Desiderium mali quale peccatum ? P. 1. n. 391
Desiderium sub conditione, si liceret actio. n. 394

Detractio.

Quid sit ; P. 3. N. 399
Quale sit peccatum, & quot modis fiat ? N. 403
Quando censeatur gravis ? N. 406. 407
An sit gravis viro prudenti, & taciturno revelare notabilem occultam proximi labem ? N. 408
An liceat occultum proximi delictum alteri revelare consilii, solatii, vel auxilii causâ ? n. 413. 414
An sit detractio labem, vel delictum, in uno loco publicum, in alio loco revelare id ignorantibus ? n. 410. 411
Quid si desierit esse publicum ? n. 412
An, & quando peccet audiens detractiones ? n. 420
An occultè nocens retineat jus ad famam ? Vide V. *Fama.*

Diligentia.

Quæ sit adhibenda ad deponendam ignorantiam, ne sit culpabilis? P. 1. N. 192

Ad quam teneatur pœnitens in examinanda conscientia ante Confessionem? P. 4. N. 311

Quid, si adhibitâ mediocri, certum peccatorum numerum non inveniat? n. 312. 313

Ad quam diligentiam teneantur Advocati, aliique in officiis publicis? Vide V. *Advocatus.*

Discordia.

Quid sit, & quale peccatum? P. n. 126

Disparitas cultûs.

Quæ dirimat Matrimonium? P. 4. n. 545

Dispensatio.

Quid sit? P. 1. N. 238

An dispensari possit directè in lege naturali? N. 135. 137.

Quis possit dispensare in lege humana? N. 245

Cum quibus in ea quis dispensare possit; Ibid.

An Superior possit dispensare secum? N. 247

An quandoque teneatur dispensare; N. 248

Requisita, ut licitè, & validè dispenset? N. 239

An dispensatio cesset, cessante causâ? 249

Quis possit dispensare in votis? P. 2. N. 361

In irregularitate? P. 1. N. 322

In impedimentis Matrimonii? P. 4. à N. 565. ad N. 573.

Quid, si sponsi sint diversæ Diœcesis? N. 573

Requisita, ut validè in iis dispensetur. N. 574

Quæ exprimenda in libello supplici? N. 579

An dispensatus in voto castitatis ad ineundum Matrimonium possit, uxore mortuâ, transire ad secundas nuptias? P. 1. N. 250

Quis possit dispensare in jejunio? P. 2. N. 186

Quis in pœnis Simoniæ? V. *Simonia.*

Divinatio.
Quid, & quotuplex sit? P. 2. à N. 432
Divisio.
Quæ fuerit divisio diei in horas, & noctis in vigilias apud Veteres? P. 2. N. 251
Divisio bonorum quomodo introducta? V. *Bona.*
Dolor de peccatis.
Quid, & quotuplex sit? P. 4. N. 243
Qualis universim requiratur ad Sacramentum Pœnitentiæ? N. 247
An efficax ex motivo universali extendat se ad omnia mortalia? N. 251
An debeat præcedere Confessionem, & ex ejus intentione elici? 285
Quomodo debeat coexistere absolutioni? N. 286
An physicè unicus sufficiat ad duplicem absolutionem? N. 287
Quomodo censeatur revocari N. 288. Vide v. *Attritio*, *Contritio.*
Domicilium.
Domicilium pro Ordinibus suscipiendis requisitum. P 4. N. 456
Pro contrahendo Matrimonio. N. 593
Dominium.
Quid, & quotuplex sit? P. 3. N. 17. 46
Quæ universim cadant sub Dominium hominis? N 28.
Necessaria ad illud acquirendum? N. 57
Modi illud acquirendi. N. 58
Qui sint illius capaces? N. 40
Donatio.
Quid sit, & quotuplex? P. 3. N. 165
Facta absenti quando valeat? N. 167
Quæ donationes sint invalidæ? N. 168
An valeat à patre facta Filio-familias? N. 170
A marito uxori? N. 169

Facta ob finem, si hic omittatur? N. 172
Ex quibus causis revocari possit? N. 171
Donatio mortis causâ. N. 273

Dubium.

Ejus definitio, & divisio. p. 1. n 75. 76
An cum dubio operari liceat? n. 77
Practicum quomodo deponi possit? n. 79
Quando in dubio pars tutior sit eligenda? n. 80
An in dubio factum præsumi possit? n. 88
Quid dicendum in dubio de dispensatione? n. 251.
De Irregularitate? n. 320
De consensu in peccatum? 373
De Jejunio naturali ante Communionem? n. 89
De potestate dispensandi? n. 261. & p. 4. n. 590
De Simonia? p. 2. n. 483
De obligatione restituendi? p. 3. n. 447
De potentia consummandi Matrimonium? p. 4. n. 560.
De impedimento Matrimonii? n. 590
De Jurisdictione? n. 53
De valore Sacramenti? n. 60
De Sacerdotio? n. 56

Duellum.

Quid sit, quando liceat, & quando non? p. 3. n. 377.
An provocatus possit id acceptare? n. 380
An occidens alium in duello teneatur compensare damna, inde secuta? p. 3. n. 386
Quæ sint duellantium pœnæ? n. 381

E.

Ebrietas.

Ebrietas quid, & quale peccatum sit? p. 2. sub n. 163. Neo-Conf. à n. 85.

Ecclesia, Congregatio Fidelium.

Quid sit, & quæ ejus membra? p. 2. n. 23
Ecclesia vera qualis esse debeat? n. 9
Quæ nunc unicè vera? n. 10. 15
Quæ ejus nota? n. 19
Quæ sit ejus potestas in Infideles? n. 49. Vide V. *Suppleo.*

Ecclesia; Ædes Sacra.

Quis eam benedicere, quis consecrare possit? p. 4. n. 202. & 203.
Quis pollutam, aut execratam possit reconciliare? n. 203
Per quæ polluatur vel exsecretur? n. 204. 205
Quid, si factum sit occultum? n. 204. in fine.
An per exsecrationem Ecclesiæ aut pollutionem, patiantur Altaria, & cœmiterium, vel contra? n. 205. in fine.
Quæ veniant nomine Ecclesiæ; n. 206

Ecclesiastici.

Horum obligationes. p. 2. n. 410
Exemptio à jurisdictione sæculari. p. 3. n. 453
Bona, & Dominium. n. 48
Superflua sustentationi ex beneficiis in quæ expendenda? à n. 49
An eorum causæ profanæ acquirant dominium? n. 51. Cor. 2.
An ad has possint condere testamentum? Ibid. Cor. 3.
An Ecclesiastici teneantur legibus civilibus? p. 1. n. 168.
Qui gaudeant privilegio fori? p. 2. 421

Electio.

Electio ad Beneficium Ecclesiasticum, p. 2. n. 392
Ad Officium Sæculare? p. 3. n. 9
An ad hoc eligere minus dignum liceat? n. 10

An

An id per munera obtinens teneatur Judici interroganti fateri? In A. n. 122
Electio Confessarii in Jubilæo. p. 4. sub n. 419
Quis extra illud possit sibi Confessarium eligere? In A. n. 182. p. 4. n. 343. 344. Vide v. *Beneficium.*

Eleemosyna.

Quid sit, & quando ex præcepto danda? p. 2. n. 104. 106. In A. n. 87.
Qui ejus omissione peccent? p. 2. n. 112

Emancipatio.

Quando, & quomodo fiat? p. 3. n. 40

Emphyteusis.

Quid sit? p. 3. n. 247
Emphyteutæ obligationes. n. 248
An jus suum possit vendere? n. 249

Emptio, Emptor.

Quando Emptor acquirat dominium rei emptæ? p. 3. n. 224.
An Emptor, bonâ fide procedens, acquirat dominium rei furtivæ? n. 110, Cor. 4
Res aliena bonâ fide empta, cui sit restituenda? n. 308. V. v. *Venditio.*

Epiikia.

Quid sit, & quando excuset ab observatione legis? p. 1. n. 193

Episcopus.

A quo, & quando accipiat jurisdictionem? p. 4 à n. 341.
In quibus casibus possit dispensare in legibus Papæ? p. 1. n. 246
In votis reservatis? p. 2. n. 365
In impedimentis Matrimonii? p. 4. n. 564
Quæ ei facultas competat: circa beneficium vacans? p. 2. sub n. 396
Quatenus possit approbationem Confessarii limitare,

tare, negare, revocare? In A. n. 167. p. 4. n. 353.

An, si religioso præsentato illam injustè neget, censeatur concessa? In A. n. 166

Quas speciales facultates habeant Episcopi Germaniæ? p. 4. n. 570

Error.

Error circa substantiam, & circa accidens. p. 3. n. 111.

Irritans contractum onerosum. n. 112

Gratuitum. n. 115

Dirimens Matrimonium. p. 4. n. 528

In dispensationis expeditione. n. 578

In ejusdem petitione. p. 4. à n. 579

Eucharistia.

Quid sit, ût Sacramentum? p. 4. n. 143

Quæ ejus materia? n. 144

An aqua vino miscenda? n. 149

Quomodo materia debeat consecranti esse præsens, & determinabilis; à n. 150

An debeat per intentionem determinari? n. 153

Forma consecrationis, & quomodo pronuntianda? n. 156. 158

Quid vi verborum ponatur sub speciebus panis &c. n. 161.

An per eam fiat transsubstantiatio? n. 160

Modus præsentiæ Christi sub speciebus. n. 162

Quàm diu sub illis maneat? n. 163

Quis sit Minister Eucharistiæ? n. 159. 166

Quid, si consecrans non reflectat ad hostias minores? n. 155

Vel consecratis misceantur non consecratæ? n. 152

Quæ sint observanda in Eucharistiæ dispensatione, & asservatione? n. 169

Quomodo peccet ministrans illam in mortali? n. 169.

Qui-

Quibus ministrari possit? n. 170
Quæ in suscipiente requirantur quoad corpus? n. 172.
Quæ quoad animam dispositio? 177
Effectus Eucharistiæ. 171
Necessitas. n. 180

Eutrapelia.

Definitio, & peccata illi opposita. p. 2. n. 227

Examen.

Examen conscientiæ anteConfessionem.p.4.n.311
Pœnitentem quomodo examinabit Confessarius? Vide N. C.
An examen causæ pro dispensatione prærequiratur ad valorem ejus? p. 1. n. 239

Excommunicatio.

Definitio, divisio, ejus effectus. p. 1. n. 272
Quæ sint excommunicationes reservatæ Papæ? n. 282.
Quæ in jure Episcopis? n. 289
Quæ sint non reservata? n. 281
De lata in percussorem Clerici. n. 283
De percussore notorio, & vitando. n. 286
De lata in legentes libros prohibitos &c. n. 287

Expensæ.

An factæ in rem alienam, dum est restituenda, deduci possint? n. 306

F.

Fama.

Quid, & quotuplex sit? p. 3. n. 397
An homo sit Dominus suæ famæ? n. 28
An occultè nocens retineat jus ad eam? 395
Quibus modis fama lædatur? n. 399. 400. 403

Famulus.

Famulantes ad quid teneantur universim? p. 3. n. 239.

Si damna Domini non impediant, an teneantur ad compensationem? n. 443
Quando peccent dominis ad peccatũ cooperantes? p. 2. n. 135. In. A. n. 90. Vide v. *Locatio.*

Festa.

An sub mortali sint servanda? In A. n. 99. & ante N. 117.
Ad quæ in iis obligatio? Vide v. *Missa, Opera.*

Feudum.

Quid sit; & quæ obligationes Feudatarii? p. 3. n. 250. & 21.

Fides Theologica.

Definitio ejus, & divisio. p. 2. n. 1. & 2
Objectum ejus materiale, & formale. n. 3
Ejus actus qualis esse debeat? à n. 4
Quæ requirat, & quando fiat? n. 6. & 7
An possit esse firmior, quàm mereatur pondus rationum, ad eum impellentium? In A. n. 64
An semel habitus prudenter repudiari possit? In A. n. 66.
An stet cum notitia solùm probabili revelationis? In A. n. 67
An esse possit in magnis peccatoribus? In A. n. 80
An sit necessarius ad justificationem adulti? p. 2. n. 32.
Quæ pro ea sint explicitè credenda? n. 34. in A. 75
An sufficiat Fides latè dicta? Ibid. 76
An fides cadat sub præceptum speciale? In A. 77. p. 2. n. 37.
Quando id obliget ad actum internum? In A. 78 p. 2. n. 40.
Quando ad externam ejus professionem? p. 2. n. 71
Formula illius, à Trid. præscripta, in fine habetur.
Fidei regula. p. 2. n. 22
Ultima fidei resolutio. n. 30

An

An articuli fidei Catholicæ sint evidenter credibiles, & unde? p. 2. à n. 9

Peccata fidei opposita. n. 44. Vide v. *Infidelitas, Hæresis.*

Habitus fidei quando amittatur? n. 47. Vide v. *Ecclesia.*

Fides sumpta pro conscientia.

Quid sit bona, & mala fides? p. 3. n. 9

An bona fides possessoris antecedentis prosit, & mala obsit successori? n. 95. 96

Fidei-Commissum.

Definitio, & obligationes Fidei Commissarii

Fide-jussio. p. 3. n. 275

quid sit, & à quibus præstari possit? P. 3. N. 266

Filii Familias.

qui sint, quæ eorum bona, & jura? P. 3. N. 40. 41

Facultas eorum contrahendi, disponendi, &c. p. 3. n. 146.

Finis legis.

Quid, & quotuplex sit? p. 1. n. 146

An, eo cessante, cesset obligatio legis? n. 201

Fœdus.

Fœdera publica an servanda, quando vi armorum sunt extorta? p. 3. n. 510

An possint à Papa relaxari? n. 511

Forma actûs.

quando censeatur esse de substantia actûs? p. 1. n. 25. p. 4. 598.

Fornicatio.

An sit intrinsecè mala? p. 2. n. 192

Ad quid teneatur, qui eam blanditiis, aut fraude obtinuit à muliere? p. 3. à n. 388.

Forum, Forus.

quid sit forum tum in- tum externum? p. 3. n. 451

An internum externo semper conformari possit, vel debeat? p. 1. n. 156

Fortitudo.

quid sit, & quæ peccata illi opposita? p. 2. n. 146

Fraus, Fictio.

Fictè, vel cum impedimento occulto promittens Matrimonium, ad quid teneatur? p. 4. n. 486

Per fraudem impediens alium à consecutione boni quando obligetur ad restitutionem? p. 3. n. 332. n. 336.

Fictio juris quid sit? p. 1. n. 157

quando fraus fiat legi? p. 1. sub n. 177

Fructus.

Fructus quotuplex sit? p. 3. n. 304

quos bonæ, & quos malæ fidei possessor rei alienæ teneatur restituere? n. 301. 304. 329

An bonâ fide consumpti, æquivalenter adhuc existentes, cadant sub obligationem restituendi? n. 310

Furtum.

Definitio ejus, & divisio. p. 3. n. 433

Requisita ad grave. à n. 435

Si ex multis singuli auferant quid leve, unde consurgat damnum grave, quomodo peccent? n. 442

quæ necessitas excuset à furto? n. 444. In A. n. 139.

quando parvis furtis peccetur graviter? 439

quid sit res furtiva? p. 3. n. 104. in fine.

G.

Gaudium, Gloriatio, Gradus.

quando, & quale peccatum sit gaudere de malo, vel tristari de bono proximi? p. 1. 388. In A. n. 88. p. 2. n. 125.

Aut gloriari de peccato commisso? p. 1. n. 388

qui in Matrimonio sint gradus prohibiti? p. 4. n. 587. in fine.

Gra-

Gratia.

Quid, & quotuplex sit? P. 1. N. 391

Etiam purè sufficiens est beneficium Dei. P. 1. in A. N. 62.

Sacramentalis differt à nonSacramentali. P. 4 N. 74

Quando gratia facta, vel facienda cesset? P. 1. N. 209.

Gratitudo.

Illius definitio, actus, peccata opposita illi. P. 2. N. 231.

H.

Habitatio.

Quid sit habitatio, ut est species juris? P. 3. N. 21

Quæ sint obligationes domum alienam inhabitantis? Ibid.

Hæres, hæreditas.

Quomodo hæreditas dividatur? P. 3. N. 284

Hæredes ab intestato. N. 282

Hæredes necessarii, N. 283

Hæredis obligationes, commoda, privilegia. N. 290.

Hæredi observanda circa legata. P. 4. N. 291

Quinam hæredes institui non possint? N. 281

Hæreditatis renuntiatio. N. 292

Hæresis, Hæreticus.

Hæresis formalis positiva P. 2. N. 46

Hæreticus materialis, & formalis. N. 47

An, & cui denuntiandus hæreticus? In A. N. 81

Cui cum hæreticis publicè disputare liceat? P. 2. N. 54.

Quomodo privatim cum iis agendum? Ibid.

Hæresis tolerantia quæ liceat? N. 52

Hæreticorum pœnæ. N. 55

Quomodo agendum cum Hæretico convertendo? Vide N. C.

Homicidium.

An unquam se ipsum occidere, vel mutilare liceat? P. 3. N. 28. 29

An aliquo casu Reip. liceat occidere innocentem? N. 35

Cui liceat occidere nocentes? N. 368

An liceat occidere injustum invasorem vitæ, pudicitiæ, bonorum fortunæ? P. 3. N. 374. In A. N. 129.

Honestas publica.

Unde oriatur dirimens Matrimonium, & quousque dirimat? P. 4. N. 548

Honor.

Quid, & quotuplex sit? P. 3. N. 398

Quomodo per injuriam læsus sit restituendus? N. 431.

Horæ Canonicæ.

Quid, & quot sint? P. 2. N. 250

Qui ad eas teneantur? N. 252

Quo tempore sint recitandæ? N. 257

Quo modo? N. 261

Quâ intentione, attentione, & devotione? N. 263

Quale singulis diebus officium? N. 258

Ex quo Breviario ab eo, qui in diversis Diœcesibus habet beneficia? P. 2. N. 259

qui non potest persolvere totum, an teneatur ad partem? In A. N. 115

quæ causæ excusent? P. 2. N. 271

Ad quid teneatur, qui officium omisit? N. 272

Aut dubitat, an partem omiserit? N. 273

quæ observanda scrupuloso? N. 274

Non satisfacit, qui recitat per alium. In A. N. 112

Nec recitans die Palmarum officium Paschale. N. 113.

Nec satisfit uno officio pro duobus diebus. N. 114.

Hu-

Humilitas.

Definitio ejus, actus, motiva, peccata illi opposita. P. 2. N. 15

Hypotheca.

quid sit, & quotuplex? P. 2. N. 267. & 268

quæ illi possint, & quæ non possint subjici? n. 268

I.

Idololatria.

quid sit, & quot modis fiat? P. 2. N. 43

Jejunium.

quid, & quotuplex sit? P. 2. N. 164

quæ requirantur ad Ecclesiasticum? N. 165

qui ad id teneantur? N. 166

quomodo contra id peccetur? N. 168

Cœnula quæ, & quando liceat? N. 174

An liceant electuaria, potus &c. extra refectionem permissam? 175

An violato semel Jejunio de die, peccetur per iteratas eodem die refectiones contra illud? N. 176.

quæ excusent à Jejunio quoad secundam refectionem? N. 177

quæ quoad abstinentiam à carnibus? N. 184

An, cui licet secunda refectio, liceant per diem plures? N. 185

quid liceat dispensato in lege Jejunii? N. 186

An sæpius per diem Jejunii comedens modica peccet graviter, ubi ad notabilem quantitatem pervenerit? In A. N. 95

An à Jejunio excuset omnis labor Officialium? In A. N. 96.

An quodcunque iter? Ibid. 97

quomodo consuetudo in quadragesima non comedendi ova, ubi viget, obliget? In A. N. 98

An lex Jejunii obliget sub peccato gravi? N. 99. P. 2. N. 167. Fff 2 qui-

quibus violetur Jejunium naturale? P.4. N. 175
quando non prærequiratur ante Communionem? N. 176

Ignorantia.

quæ dicatur ignorantia antecedens, comitans, consequens, quæ vincibilis, invincibilis, gravis, crassa, supina, affectata? P.1. N.22. & 192
quæ diligentia impendenda, ne sit vincibilis, & culpabilis? P.1. N. 192. Reg. 3
Unde dignoscatur, quod fuerit vincibilis, vel non? N. 192
An dari possit ignorantia invincibilis legis naturæ? N. 133
An excuset à peccato? In A. N. 36
quæ excuset à reatu pœnæ humanæ. P. 1. N. 222
quæ à Censura? 267
quæ ab impletione legis? 191

Illegitimus.

quis censeatur illegitimus, spurius, filius naturalis? P. 1. N. 312
quis in dubio censeatur talis, si sit præmaturè natus? In App. N.C. N. 33
An hi possint esse hæredes? P. 3. N. 281

Immunitas Ecclesiastica.

quid, & quotuplex sit. P. 2. N. 420. Vide v. *Privilegium*, *Asylum*.

Impedimentum.

quæ sint impedimenta Matrimonii tum impedientia tantùm, tum simul dirimentia? P. 4. à N. 526. Vide *Error*, *Conditio &c.*
An, sciens impedimentum inter sponsos occultum teneatur illud revelare? P. 4. N. 604
quando impedimentum Matrimonii censeatur notorium? Vide *Notorium*.
quid, si populus muscitet de impedimento? P.4 sub N. 654.

An,

An, & quando peccet, qui ponit, vel non removet impedimentum legis implendæ? P. 1. N. 196.

Imperfectio moralis.

quid sit, & quotuplex? P. 1. N. 31

Impletio Legis.

An ad hanc semper requiratur, actus liber, & honestus? P. 1. N. 180. 181.

An ad eam necessaria sit intentio satisfaciendi? N. 182.

An satisfaciat legi habens intentionem non satisfaciendi? N. 183

An pluribus legibus possit satisfieri eodem actu, vel eodem tempore? N. 184. 185

An, cui probabile est, quod satisfecerit, adhuc teneatur? N. 186

Quæ excusent ab impletione legis? à N. 189

Impotentia.

Impotentia quid, & quotuplex sit? P. 1. ante N. 189.

Quæ excuset ab impletione legis? 189

Quæ à restitutione? P. 3. N. 352

Quæ dirimat Matrimonium? P. 4. N. 558

Incestus.

Quid sit, & quotuplex? P. 2. N. 194

An specie differat secundùm gradus &c. N. 195

Indicia.

Quæ censeantur gravia, levia, vehementissima? P. 3. N. 458. Vide v. *Reus.*

Indigentia.

Indigentia temporalium. P. 2. N. 105

Indulgentia.

Quid sit, & quotuplex? P. 4. N. 409

Quis possit concedere Indulgentias? N. 411

Requisita ad eas lucrandas ex parte operantis? N. 413.

Ex parte operum? N. 414

Ut prosint Defunctis. N.415. In A. N.187
Quando cessent? P.4. N.416
An eodem die possint obtineri diversæ, aut eædem sæpius? N.418
Quomodo intelligenda sit clausula: *Volumus autem &c.* N. 417.
Indulgentiæ Regularium, à Paulo V. revocatæ, non sunt revalidatæ. In A. N. 186.
Quas speciales habeant Regulares? Ibid.

Infidelitas.

Generatim sumpta quotuplex sit? P.2. N.43
Positivæ divisio. N.44
Ab infidelitate an excusetur ductus opinione minùs probabili? In A. N. 68

Injuria.

Quid, & quotuplex sit? P. 3. N. 293
An fieri possit volenti? N. 295

Inquisitio Judicialis.

Quot modis fieri possit, & quæ in ea observanda? P. 3. N. 455

Insula.

Ad quem pertineat recens nata in fluvio? P. 3. N. 85

Intentio.

Quid, & quotuplex sit? P. 4. sub N. 17
Quæ requiratur in Ministro Sacramenti? Ibid.
Quæ in suscipiente Sacramentum? P. 4. N. 63
Quæ in recitante Horas Canonicas? P. 2. 263
Intentio præmittenda operibus. P. 1. N. 56
Quæ illius vitiosæ signa? N. 57

Interdictum.

Definitio, & divisio. P. 1. N. 295
Qui sint illius effectus? Ibid.
Quomodo intelligendi? N. 297

Interpretatio legis.

Quid sit, & quotuplex; P. 1. N. 253
Quomodo lex dubia sit interpretanda? N. 254.

Quomodo privilegium, & facultas dispensandi, ac dispensatio? N. 259
Quomodo Vota? Vide v. *Votum.*

Interrogatio Juridica.

Quid sit? P. 5. N. 481. P. 4. n. 605. in A. n. 121

Intrusus.

Quis dicatur intrusus in beneficium? P. 2. N. 502

Invidia.

Quid, & quale peccatum sit? P. 2. N. 126

Ira.

Quid sit, & quale peccatum? P. 2. N. 223. Vide *Mansuetudo.*

Irregularitas.

Definitio illius, & divisio. P. 1. N. 308
Quæ sint irregularitates ex defectu animi, corporis, & libertatis? N. 310
Ætatis, & lenitatis? N. 314. 315
Ex defectu famæ, & ex debito? N. 317. & 319
Quomodo tollatur? N. 321. Vide v. *Dispensatio, Dubium.*

Jubilaum.

Quæ illius origo, quæ in eo Indulgentiæ, & facultates concedantur, quæ durante Jubilæo Romæ, seu anno sancto suspendantur? P. 4. à N. 419.

Judai.

Quomodo probetur, eorum sectam esse falsam? P. 2. N. 11.
Blasphema eorum doctrina. N. 12

Judex.

Requisita in illo. P. 3. N. 452
Quot modis possit procedere contra crimina? 454
An ei liceat acceptare munera? N. 463
Quæ possit, ac debeat supplere, si à parte litigantium omittantur? N. 464
Quæ illi servanda in ferenda sententia? N. 466

quam sententiam teneatur sequi in criminalibus, & civilibus? P. 1. à N. 103. In A. N. 42. 43
quam in causa favorabili? P. 1. N. 103. §. *Excipe.*
quam in causa pia? P. 3. 467.
An, quem scit privatâ scientiâ innocentem, possit condemnare, si juridicè probetur nocens? N. 471.
quis censeatur Judex in propria causa? N. 454
quid requiratur, ut interroget juridicè? N. 481

Judicium.

Judicium fori externi, ejusque divisio. P. 3. N. 451
Judicium Sacramentale, & sæculare in quo differant? P. 4. N. 239
Judicium temerarium de labe proximi. P. 3. N. 400. 401.

Juramentum.

quid, & quotuplex sit? P. 2. N. 298.
quibus verbis importetur? N. 302
Requisita ad licitum. N. 303
quid, si horum unum desit? N. 305. In A. N. 118
quomodo obliget juramentum promissorium? P. 2. N. 316.
quomodo fictum, & dolosum? N. 322
quomodo vi extortum? N. 324
quas conditiones imbibat? 319
An in eo liceat uti Amphibologiâ, vel fictione? N. 309. In A. 119.
quot modis tollatur obligatio juramenti promissorii? P. 2. N. 325
An transeat ad hæredes? N. 326
Juramenta in foro externo adhiberi solita. P. 3. 502.
quando Reo juramentum in judicio imponi possit? N. 486

Jurisdictio.

quid, & quotuplex sit? P. 4. N. 340. P. 3. N. 452. §. 2.

quot

Quot modis alicui competere possit? p.4. n. 342. p. 3. n. 452
Quando conferatur Confessario? p. 4. n. 341
Quando in eo cesset? n. 356
An liceat Confessario utì dubiâ, vel solùm probabili? n. 357
A quo alicui delegari possit? n. 343
Qui illâ priventur in pœnam? n. 66, 344. Corol. 6.

Jus.

Varia ejus acceptio. p. 3. n. 12
Jus proprietatis. n. 13
Jus in re, Jus ad rem. n. 16
Jus gentium. p. 1. 237
Jus naturæ. n. 129

Justitia.

Multiplex ejus acceptio. p. 3. n. 1
Specialis quid, & quotuplex? n. 2. & 3
Quomodo quævis ejus species obliget? n. 6
An obligatio Justitiæ sit gravior, quàm aliarum virtutum moralium? n. 313.

L.

Laus Laudabilis.

Quid sit Laus? P. 3. N. 398
Qua ratione Deus in omnibus sit aque Laudabilis? p. 1. n. 33

Legatum.

Quid sit, & quotuplex? p. 3. n. 274
An legata pia, in testamento profano invalido, subsistant? n. 276
An etiam aliquando profana? n. 288
An, & quando legata transeant ad hæredes? sub n, 274.
An legatis piis etiam detrahendum sit, si hæreditas

ditas non sufficiat ad omnia simul cum profanis? n. 291. in fine.

Legatum pro anima non extinguitur lapsu decennii. In A. n. 135.

Legitima.

Quæ pars bonorum ex dispositione juris positivi à parentibus debeatur liberis? p. 3. n. 284

Lex in genere.

Quid sit lex in genere? p. 1. n. 122

Quæ ejus proprietates, & conditiones? n. 123

Quomodo differat à simplici præcepto? n. 126

Quomodo lex dividatur? n. 128

Lex naturalis, & divina.

Quid sit lex naturalis, & quæ ejus materia? p. 1. n. 129

Quomodo promulgetur? n. 131

An ignorari possit. V. *Ignorantia.*

De lege Dei positiva. n. 138. V. *Dispensatio.*

Lex humana.

Quid, & quotuplex sit? p. 1. n. 128

Quibus verbis efferantur leges humanæ, obligantes in conscientia? p. 2. n. 151

A quo, & quibus leges humanæ ferri possint? n. 139

An iis præcipi possint quicunque virtutum actus. n. 141

An actus etiam interni? n. 142

An lex humana faciat actionem materiam necessariam virtutis, ex cujus motivo fertur? n. 146

Quæ sit ejus materia gravis, & quæ levis? n. 149

An, & quando obliget sub culpa gravi? N. 151. 153

An possit obligare in gravi materia sub culpa levi,

levi, & contra? n. 151. 153
An fundata in præsumptione obliget, si præsumptio sit falsa? n. 155. 156
An, quando non potest impleri tota, sit obligatio ad partem? n. 163
An, ut obliget, requiratur ejus promulgatio? n. 158
An quoque acceptatio populi? n. 161. In A. n. 45
Quinam teneantur legibus humanis? P. 1. n. 166
Quæ sit lex favorabilis, & quæ odiosa? n. 203
Quæ pœnalis? n. 214
An pœnalis obliget in conscientia? n. 215
Quæ sit lex irritans? n. 219
Quando lex humana cesset? n. 201
Quæ excusent ab observatione legis? à n. 159
Quando fieri possit legis extensio? n. 256
An vagi, & peregrini &c. Vide *Vagus peregrinus.*
An lex justa in foro externo obliget semper in foro interno? p. 1. n. 156. p. 3. n. 395

Libri, Libellus.

Libri prohibiti. p. 1. n. 287. In A. n. 52
An retineri possint, donec expurgentur? p. 1. In A. n. 53.
Quid de usu in Germania? n. 54
Libellus species juris. p. 3. n. 252
Libellus famosus. p. 3. n. 399. Coroll. 7

Liberalitas.

Definitio ejus, actus, peccata opposita. p. 2. n. 232

Lignatio.

Ubi, & quando liceat? p. 3. n. 73

Litera.

Literæ dimissoriæ pro ordinibus à quo petendæ? p. 4. n. 457

Alienas legere quando liceat. Vide *Secretum.*

Locatio, Conductio.

Quid sit locatio, quid conductio? p. 3. n. 235
Locatoris, & conductoris obligationes. n. 236 237. 238

Locus Sacer, & Originis.

Quis sit locus sacer relatè ad sepulturam? p. 1. n. 325
Relatè ad sacrilegium venereum ? p. 2. n. 197. in fine.
Ad furtum sacrilegum. p. 1. n. 347
Locus originis. p. 4. n. 347

Lucrum turpe.

Quando sit restituendum? p. 3. n. 336. V. *Simonia, judex.*

Lusus.

Requisita ad lusum licitum. p. 3. n. 262
Qui sint lusus prohibiti? n. 264
Fraudes in lusu. n. 263

M.

Magia Diabolica.

Quid sit, & quæ illius species? p. 2. n. 438

Magnanimitas.

Definitio, actus, peccata opposita. p. 2. n. 147

Mahometani.

Origo Mahometismi & errores? p. 2. à n. 13

Maleficium.

Definitio, divisio, modi id tollendi. p. 2. n. 439. 440

Malum.

Quæ sint intrinsece mala, & quotuplicia? p. 1. n. 31. 32
Mala precari proximo, vel sibi quando, & quale peccatum ? In A. n. 88.

Manda-

Mandatum.

An exſpiret morte mandantis? p. 1. n 126

. Quid ſit contractus mandati, quæ mandantis, & mandatarii obligationes? p. 3. n. 180

Manſuetudo.

Definitio, actus, peccata illi oppoſita. p. 2. n. 223

Maria Deipara.

Non eguit purificatione præceptâ. In A. n. 108

Laus Mariæ, ut Mariæ non eſt vana. n. 110

Martyrium.

Quid ad illud requiratur? p. 4. n. 84

Materia.

Quæ ſit materia gravis in genere morum? p. 1. n. 149

Quæ in jejunio Eccleſiaſtico? p. 2. n. 167

Quæ in furto? p. 3. n. 435

Matrimonium.

Definitio illius, diviſio, iuſtitutio, finis. p. 4. à n. 500. ad n. 504.

Materia, forma, & Miniſter illius, ut eſt Sacramentum n. 504. 505

Quis conſenſus ſit neceſſarius? n. 507

In quid ferri debeat? n. 513

An poſſit eſſe conditionatus? n. 509

An contrahi poſſit per Procuratorem? n. 515

An valide ſine conſenſu parentum? n. 508

An diſſolvi poſſit quoad vinculum? n. 516

Quando quoad torum? n. 522

Quando clandeſtinum ſit irritum? n. 562

Matrimonii ſolennitas. n. 591

Quis Parochus, qui, & quot teſtes asſiſtere debeant? n. 592

Quis asſiſtere posſit loco Parochi? n. 597

Quis Matrimonio militum, & vagorum? n. 600

Quomodo Matrimonium, invalidè contractum, fit

ſit revalidandum? n. 608. & p. 2. n. 503
Impedimenta Matrimonii vide ſub nominibus propriis de uſu ut debito. V. *uſus, debitum.*

Matrimonium Hæreticorum tam inter ſe, tum cum Catholicis.

An ejusmodi Matrimonia, contracta ſine forma Tridentini valeant? p. 4. n. 613
An contracta cum alio impedimento Canonico? n. 632
An inita cum intentione diſſolvendi? n. 633
An inita cum pacto, ut pars prolium educetur in ſecta parentis Acatholici? n. 634
An ſine tali pacto inita ſint licita? n. 635

Mendacium.

Definitio illius, diviſio, & malitia. p. 2. n. 235

Meritum.

Quid, & quotuplex ſit? p. 1. n. 400. 401
Requiſita ad ſupernaturale de condigno, & congruo? n. 402
Quid homo juſtus ſibi de condigno mereri poſſit? n. 405
Quid ſibi peccator de congruo? 409
Quid homo peccator alteri? 411

Merx.

Quanti vendi poſſit merx peregrina ignoti pretii? p. 3. n. 205
Quæ vitia mercis emptori detegenda? n. 215
Mixta quomodo vendi poſſit? n. 220. V. *Pretium.*

Metus.

Quis gravis ſit, & quis levis? p. 3. n. 118
Quis irritum, vel irritabilem reddat contractum? à n. 20. ad 126
Quid, ſi à tertio, aut non ad extorquendum conſenſum ſit incuſſus? n. 126. 127. aut dubium,

bium, an sit injustè incussus? n. 129
Quis metus irritet Matrimonium? p. 4. n. 546

Misericordia.

Definitio; actus, peccata illi opposita. p. 2. n. 245

Missa.

Quid sit, & quæ ejus partes principales? p. 2. n. 277
Missarum fundatarum reductio. p. 2. n. 235

Missa legenda.

Quæ Missa quotidie dici possit? p. 4. n. 224
Missa votiva. n. 228
Missa specialis pro defunctis. n. 229
De sancto ob Reliquias. n. 229
Quæ ante, & post Missam observanda? n. 218
Quomodo defectus in illa sint corrigendi? n. 230. Vide V. Sacrificium

Missa audienda.

Quinam diebus festis teneantur interesse Missæ? p. 2. n. 278
Quæ requirantur, ut satisfiat præcepro? N. 279
An satisfiat extra Parochialem Ecclesiam? N. 285
An, in Oratorio Privato? n. 286
Vel audiendo partes non successivè? n. 284
Aut partes à diversis Sacerdotibus celebratas? n. 284. In A. N. 117.
Quæ excusent ab audienda Missa? n. 288

Modestia.

Quid sit, qui illius actus, & peccata illi opposita? p. 2. n. 225

Mohatra.

Qualis eo nomine veniat contractus, & an licitus? In A. n. 133.

Monopolium.

Quid sit, & an liceat? p. 3. 223

Motivum.

Quodnam sit principale, intrinsecum, secundarium, extrinsecum? p. 2. n. 467. p. 3. n. 133

Motiva omnia in Deum referendi. p. 1. n. 56

Mutatio status.

Quando eveniens post contractum det causam resiliendi? p. 3. n. 163. 164

Mutuum.

Quid sit contractus mutui? p. 3. N. 183

Obligationes mutuantis, & mutuatarii. N. 184

Quibus titulis possit mutuans aliquid exigere supra sortem? N. 191

An id possit titulo gratitudinis, vel obligationis intra certum tempus sortem non repetendi, aut carentiæ præsentis pecuniæ? In A. N. 134

Mutua pecunia in qua specie vel valore sit restituenda. N. 185.

An filius-familias, pupillus, minor, accipiens pecuniam mutuam sine consensu patris, tutoris, vel curatoris teneatur eam restituere? p. 3. N. 151.

N.

Necessitas, Necessarium.

Necessitas medii, & præcepti. p. 2. N. 31

Necessitas gravis, extrema, quasi extrema tum corporalis, tum spiritualis. p. 2. N. 105

Necessitas Missam celebrandi. In A. N. 171

Necessaria vitæ, statui, & superflua. p. 2. N. 107

Notarius.

Illius officium, & obligationes. p. 3. N. 501

Notorium.

Quid, & quot modis aliquid dicatur notorium? p. 1. N, 286. p. 3. N. 409. p. 4. 568.

Novi-

Novitius.

An teneatur legibus, & præceptis Ordinis? p. 2. N. 383.

A quo possit absolvi à reservato, si Ordo sit exemptus? Ibid.

O.

Obedientia.

Illius definitio actus, & peccata illi specialiter opposita? p. 2. N. 230.

Observantia.

quid sit virtus observantiæ, qui illius actus, quæ peccata illi opposita? p. 2. N. 229

quid sit vana observantia, quæ illius dignoscendæ regulæ? N. 435. 436

Occasio.

Occasio peccandi quid, & quotuplex? p. 1. N. 361

Proximæ se exponere quale peccatum? N. 362

Quomodo agendum Confessario cum constitutis in proxima occasione peccandi? 368. In A. N. 57. 58. In N. C. N. 169.

Occisio.

An, & quando liceat privatis occidere iniquum aggressorem vitæ, pudicitiæ, vel bonorum fortunæ? p. 3. à N. 370. ad 375

Odium.

Quid, & quotuplex sit odium Dei, & proximi, & quale peccatum? P. 2. N. 124

Officium sæculare.

Ad id promovere indignum, vel minus dignum quale sit peccatum? p. 3. n. 9. & 10. V. *Venditio.*

Opera.

Opera servilia, & forensia diebus festis prohibita. p. 2. N. 291. 295

Quando peccet illa imponens aliis? N. 296

Quæ excusent ab illorum exercitio? N. 295

Monopolium.

Quid sit, & an liceat? p. 3. 223

Motivum.

Quodnam sit principale, intrinsecum, secundarium, extrinsecum? p. 2. n. 467. p. 3. n. 133

Motiva omnia in Deum referendi. p. 1. n. 56

Mutatio status.

Quando eveniens post contractum det causam resiliendi? p. 3. n. 163. 164

Mutuum.

Quid sit contractus mutui? p. 3. N. 183

Obligationes mutuantis, & mutuatarii. N. 184

Quibus titulis possit mutuans aliquid exigere supra sortem? N. 191

An id possit titulo gratitudinis, vel obligationis intra certum tempus sortem non repetendi, aut carentiæ præsentis pecuniæ? In A. N. 134

Mutua pecunia in qua specie vel valore sit restituenda. N. 185.

An filius-familias, pupillus, minor, accipiens pecuniam mutuam sine consensu patris, tutoris, vel curatoris teneatur eam restituere? p. 3. N. 151.

N.

Necessitas, Necessarium.

Necessitas medii, & præcepti. p. 2. N. 31

Necessitas gravis, extrema, quasi extrema tum corporalis, tum spiritualis. p. 2. N. 105

Necessitas Missam celebrandi. In A. N. 171

Necessaria vitæ, statui, & superflua. p. 2. N. 107

Notarius.

Illius officium, & obligationes. p. 3. N. 501

Notorium.

Quid, & quot modis aliquid dicatur notorium? p. 1. N. 286. p. 3. N. 409. p. 4. 568.

Novitius.

An teneatur legibus, & præceptis Ordinis? p. 2. N. 383.

A quo possit absolvi à reservato, si Ordo sit exemptus? Ibid.

O.

Obedientia.

Illius definitio actus, & peccata illi specialiter opposita? p. 2. N. 230.

Observantia.

quid sit virtus observantiæ, qui illius actus, quæ peccata illi opposita? p. 2. N. 229

quid sit vana observantia, quæ illius dignoscendæ regulæ? N. 435. 436

Occasio.

Occasio peccandi quid, & quotuplex? p. 1. N. 361

Proximæ se exponere quale peccatum? N. 362

Quomodo agendum Confessario cum constitutis in proxima occasione peccandi? 368. In A. N. 57. 58. In N. C. N. 169.

Occisio.

An, & quando liceat privatis occidere iniquum aggressorem vitæ, pudicitiæ, vel bonorum fortunæ? p. 3. à N. 370. ad 375

Odium.

Quid, & quotuplex sit odium Dei, & proximi, & quale peccatum? P. 2. N. 124

Officium seculare.

Ad id promovere indignum, vel minus dignum quale sit peccatum? p. 3. n. 9. & 10. V. *Venditio.*

Opera.

Opera servilia, & forensia diebus festis prohibita. p. 2. N. 291. 293

Quando peccet illa imponens aliis? N. 296

Quæ excusent ab illorum exercitio? N. 295

Opera misericordiæ. P. 2. N. 104. 145

Opinio.

Quid sit, & quotuplex? p. 1. n. 90
Quæ sit moraliter certa? p. 1. sub n. 91
Quæ tuta, quæ tutior? sub n. 92. §. 6
Quæ speculative probabilis maneat practice talis? n. 92. §. Porro.
Quis judicare possit, an opinio aliqua sit probabilis, aut probabilior? n. 93
Quando sit obligatio sequendi probabilem tutiorem? n. 96
Quando liceat sequi probabilem materialiter minus tutam? n. 99
Quando solide, minus tamen directe probabilem, faventem libertati? n. 102
An liceat sequi tantum probabiliter probabilem? n. 105
Quam teneatur sequi Medicus, Minister Sacramenti judex? n. 103. Vide V. *Judex.*

Oratio, Oratorium.

Quid, & quotuplex sit oratio? p. 2. n. 248
Quid, sit oratorium privatum, & quæ circa illud observanda? p. 2. n. 286. p. 4. n. 202

Ordo, ordinandus.

Ordinis varia acceptio. p. 4. n. 439
Ordo quà Sacramentum quid, & quotuplex? n. 440
An singuli sint Sacramentum? n. 441
Materia ordinum Majorum. n. 444
Minorum. n. 447
An Ordo Episcopi Distinguatur à Sacerdotio? n. 443
Minister ordinum. n. 449
Minister ordinis Episcopalis. n. 450
Requisita in ordinando. n. 451. 452
A quo Episcopo ordinandi sint Sæculares, & Regu-

Regulares? N. 456
Sub qua culpa teneatur ordinatus ad preces, & Missas, ab Episcopo injunctas? n. 458
A quo tempore teneatur ad Horas Canonicas vi ordinis? p. 2. n. 256
An satisfaciat præveniendo? ibid.

Ordo Juris.

Quid sit ordo juris? p. 3. n. 451
A indispensabiliter servandus? n. 466
Ordo necessarius in Republica humana hominis erga Deum, erga se, & erga proximum. p. 1. n. 29

Osculum.

Quando oscula, amplexus, tactus sint, & qualia peccata? p. 2. n. 210. In A. n. 103

P.

A Papa.

A quo, & quando accipiat Jurisdictionem in universam Ecclesiam? p. 4. n. 341
Quando censeatur loqui ex Cathedra? In A. n. 3
Regulæ discernendi an loquatur ex Cathedra. ibid. n. 9
An loquens ex Cathedra sit infallibilis in materia fidei, morum, & facti dogmatici? n. 4. & 10
An etiam in quæstionibus meri facti, & ut doctor privatus? n. 3
An Papa sit supra Concilium? n. 69
An Dispensare possit in votis Religiosæ professionis? p. 2. n. 381
An fœdera publica relaxare. V. *Fœdus.*
Paparum successio. p. 2. n. 28

Parentes.

Parentum obligationes erga proles. p. 2. n. 130 Cor. 4. & n. 39. p. 4. n. 634. V. N.C. n. 134. 137

Si parens infidelis convertatur ad fidem Catholicam, an ad illum pertineant proles? p. 4. n. 110. & n. 634. ſub finem.

Parochus.

Parochi obligationes. p. 2. n. 39. n. 411. p. 4. ſub n. 57. 99. 237.

An cenſeatur approbatus pro tota Eccleſia? p. 4. n. 350

An poſſit aſſiſtere Matrimonio Hæreticorum? p. 4. n. 636

Ad quid teneatur, ſi poſt proclamationes pro Matrimonio detegatur inter Sponſos impedimentum dirimens? n. 606. Vide N.C. n. 154

Quomodo ſe gerere debeat, ſi Matrimonium ſit contractum cum dubio de impedimento, vel dubium contracto ſuperveniat? p. 4. n. 655

Paſcua.

In quibus licite paſcantur pecora? p. 3. n. 73

Patientia.

Illius definitio, gradus, incitamenta, peccata illi oppoſita. p. 2. n. 155

Patres Eccleſiæ.

Quomodo legendi, quæ illorum Authoritas, Catalogus Chronologicus? p. 2. n. 29

Patronus, Patronatus.

Quid ſit Jus Patronatus? p. 2. n. 389

Intra quod tempus Patronus præſentare debeat ad beneficium? n. 390

An variare poſſit? ibid. §. 4

Pauper.

Qui veniant nomine Pauperum? p. 2. n. 105. p. 3. ſub n. 291. §. 4

Quis cenſeatur Pauper Canonicè? p. 4. n. 589

Peccatum.

Definitio illius, diviſio, turpitudo. p. 1. à n. 329

Requi-

Requisita ad peccatum formale. n. 332
Illius complementum externum. n. 334
Distinctio specifica peccatorum. n. 339
Regulæ illam agnoscendi. n. 340
Distinctio numerica. n. 348
Quæ peccata sint graviora? n. 359
Requisita ad peccatum mortale. n. 369
Ad veniale. n. 371
Quâ ratione possit mortale per accidens fieri veniale, & hoc mortale? n. 378
Quæ peccata sint tantùm ex genere mortalia? n. 375
Quæ mortalia ex toto genere? n. 376
An venialia multiplicata possint constituere mortale? n. 381
Quæ sint venialia ex toto genere? n. 377
Quomodo disponant ad mortale? n. 382
Peccata dubia. p. 4. n. 304.
Reatus culpæ, & pœnæ. p. 1. n. 397
Peccata aliena. p. 2. n. 127. In N. C. n. 56.
Peccata capitalia. Vide V. Superbia, & In N. C. à n. 56.
Quæ excusent à peccato? p. 1. n. 338.

Pensio.

Pensio Ecclesiastica quid, & qualis sit? p. 2. n. 417
Pensionarii obligatio. Ibid. An redimi possit? n. 418

Percussor, Percussio, Clerici.

Percussor Clerici quando censeatur notorius? p. 1. n. 286
Quæ percussio censeatur enormis? n. 285

Peregrini.

An teneantur legibus specialibus, sui territorii, quando ab illo absunt? p. 1. n. 171
An territorii alieni legibus, dum in eo existunt? n. 178

An excuſentur, ſi exeant ad tempus ex ſuo, ut non teneantur? n. 177

Perfectum.

Quid ſit perfectum, pulchrum, bonum? p. 2. n. 74
quid ſit moraliter perfectum? p. 1. n. 33

Periculum.

Quid, & quotuplex ſit periculum peccati? p. 1. n. 361
Quomodo peccet illud adeundo, aut non deſerendo? n. 362

Perjurium.

quid ſit, & quotuplex? p. 2. n. 451

Permutatio.

Quæ requirantur ad beneficii permutationem? p. 2. n. 400

Perſeverantia, ſeu Conſtantia.

Definitio, & peccata illi oppoſita. n. 159

Pietas.

Illius definitio, & peccata illi oppoſita. p. 2. n. 228

Pœna.

Quæ ponæ incurrantur ante, & poſt judicis ſententiam? p. 1. à n. 218. ad n. 222

Pœnitentia.

Definitio illius, & diviſio. p. 4. n. 236
Quid ſit, quà virtus eſt? ibid.
Quid, quà Sacramentum? n. 24
Quando hoc ſit inſtitutum? n. 237
Quæ ejus materia proxima? n. 241
Quæ forma? n. 334
Miniſter, & illi neceſſaria, ut agat validè, & licitè. n. 337. 338
Neceſſitas pœnitentiæ. n. 420
Quando præceptum ejus per ſe obliget? n. 421
Neceſſitas Sacramenti Pœnitentiæ? n. 423
Effectus. n. 427

An

An agenda Pœnitentia pro peccato originali? In A. n. 157. Vide V. *Contritio*, *Confessio*, *Satisfactio*, *Confessarius*.

Pollutio, seu mollities.

Repugnat juri naturæ. p. 2. n. 199

Specie differt à Sodomia, & bestialitate. n. 198

Quomodo peccet ponens illius causam? n. 218

Quid de pollutione nocturnâ? n. 221

Possessio.

Quid, & quotuplex sit? p. 3. n. 24

Quomodo acquiratur, & amittatur? n. 26

Quæ sint ejus emolumenta? n. 25

Unde cognoscatur, an stet pro lege, vel libertate? p. 1. n. 83

An in dubio sit sufficiens titulus se resolvendi pro libertate? n. 81. 82

Postulatio.

Quæ requirat legitima ad beneficium postulatio? p. 2. n. 393

Praceptum.

Affirmativum, negativum. p. 1. n. 334

Rigorosum, & purè directivum. n. 121

Præcipiendi potestas duplex. p. 1. n. 119. V. *Mandatum.*

Præsentatio.

Quid requirat legitima ad beneficium præsentatio? p. 2. n. 389. 390

Quid præsentati institutio? n. 391. 404

Præscriptio, seu usucapio.

Quid sit præscriptio, & usucapio? p. 3. n. 86

An pro foro conscientiæ Dominium transferat? n. 87

Quæ requirantur ad legitimam. n. 89

Quo tempore præscribantur mobilia, & immobilia? n. 98

Quo servitutes, & actiones? n. 102

Quo debita pecuniaria? ibid.
Quo beneficium Ecclesiasticum? n. 101
Quando præscriptio non procedat, dormiat, interrumpatur? n. 103
Quæ præscribi non possint? p. 3. n. 87. 104

Præsumptio.

Quid sit, & quotuplex? p. 1. n. 155. p. 3. sub n. 458
Illius fundamenta. p. 3. n. 450
An præsumptio licentiæ excuset ab observatione legis? p. 1. n. 195
Præsumptio Spei opposita. p. 2. n. 67

Preces pretium.

Preces primariæ Imperatoris. p. 2. sub n. 390. §. 6
Quid, & quotuplex sit pretium justum? p. 3. n. 203
In quo consistat ratio pretii; p. 2. n. 455

Privilegium.

Quid, & quotuplex sit? p. 1. 205
Illius usus. n. 208
An hic aliquando cadat sub præceptum? ibid.
A quo, & quibus privilegia concedi possint? n. 207
Quando privilegia cessent? n. 209. 211
Privilegium Canonis, & fori. p. 2. n. 420
Quomodo privilegia interpretanda? V. *Interpretatio.*

Procurator judicialis.

Illius officium, & obligationes. p. 3. n. 498

Prodigus.

An validè possit contrahere? p. 3. n. 150

Proles.

An teneantur sequi Religionem parentum? p. 4. n. 634

Promissio.

Quid, & quotuplex sit? p. 3. n. 156
Requisita ad ejus valorem. n. 157
Ejus obligatio? n. 159
Quas conditiones imbibat? n. 163. & p. 2. n. 320

Quando cesset, vel revocari possit? P. 3. N. 165

Propositio damnata.

Propositiones damnatæ quomodo exponendæ? In A. N. 19.

quid sentiendum de contentis, vel deductis ex illis? Ibid. N. 22

Propositum.

quomodo differat à voto? p. 2. N. 328

An sit peccatum, bonum de re non præcepta propositum, sine rationabili causa mutare? p. 2. N. 159.

quale requiratur ad Sacramentum pœnitentiæ? p. 4. N. 289.

quomodo concipi possit de vitandis omnibus venialibus? N. 293

Prudentia.

Illius definitio, actus, munus, peccata illi opposita. p. 2. à N. 141. ad 146

Pupillus.

qui sit infantiæ, & qui pubertati proximus? p. 3. N. 142.

An possit cum, & sine authoritate tutoris obligari contractu? N. 143. Vide *Mutuum.*

Publicum.

quid, & quot modis aliquid dicatur publicum? p. 3. N. 409.

Q.

Quæstio.

quæ sit quæstio juris, quæ facti puri, quæ facti dogmatici? In A. N. 10. p. 1. N. 76

R.

Raptus.

quid sit? p. 2. N. 196

qui dirimat Matrimonium? p. 4. N. 547

Referens.

Illius officium, & obligationes. p. 3. N. 500

Religio.

Varia ejus acceptio. p. 2. N. 246
Illius, quà virtutis, definitio, objectum, actus &c. Ibid.

Religiosi, seu Regulares.

An, & quatenus sint capaces dominii rerum temporalium? p. 3. N. 52
quomodo dispositione, & usu illarum sine licentia Superioris peccent? N. 54.
An teneantur legibus civilibus? p. 1. N. 168
An Episcopalibus? p. 1. N. 166. Cor. 5. p. 2. N. 187. Cor. 10.
An possint uti facultatibus, à Tridentino non expressè revocatis? In A. N. 46
An possint absolvere à reservatis Episcopo sine facultate, ab ipso obtenta? Ibid. N. 178
An ab hæresi occulta sine speciali facultate? N. 181. in A.
An Religiosus Episcopo præsentatus, si injustè rejiciatur, censeatur approbatus? Ibid. N. 165
Quid, sit approbatus in una Diœcesi, & non in altera; An poterit absolvere subditum prioris Diœcesis in alia, in qua existens non est approbatus; p. 4. N. 349.
An Religiosi exempti teneantur interdicto locali? p. 1. N. 297.
In quibus sint Episcopo loci subjecti? p. 2. N. 384
A quo Episcopo ad Ordines sint promovendi? p. 4. N. 456.

Reservatio peccatorum.

Quid sit casuum reservatio? p. 4. N. 358
Requisita, ut peccatum sit reservatum. N. 359
An incurratur ab ignorante illam? N. 360
An valeat facta sine causa? N. 362
Qui casus Papæ, qui Episcopis reserventur? N. 363
Facultas absolvendi à reservatis delegata quomodo

do sit intelligenda? N. 366. Vide v. *Absolutio, Excommunicatio.*

Resignatio.

Quæ sint necessaria ad legitimam beneficii resignationem? p. 2. N. 398

Restitutio.

Illius definitio. p. 3. N. 297
Necessitas. N. 298
Radices. N. 300
Mensura. N. 301
Ad quam teneatur, qui bonâ fide possedit rem alienam? N. 302
Ad quam malæ fidei possessor? N. 301. N. 329
An hic teneatur sub mortali ad integram rei gravis restitutionem? N. 328
Ad quam teneatur injustus damnificator? N. 329
Ad quam malæ fidei possessor, si rei, apud ipsum existentis, valor mutetur? N. 330
Ad quam, & sub qua culpa, qui per parva furta successivè grave damnum intulit? N. 326
Ad quam, qui exemplo induxit ad nocendum proximo? N. 343. N. 442. §. *Si dicas.* 2
Ad quam, qui alium impedivit à consecutione boni? N. 331
Ad quam, qui alium læsit in bonis animi? N. 366
In bonis corporis extra duellum. n. 383
Aut læsit vel occidit alium in duello. n. 386
Qui stuprum intulit? n. 388
Qui Horas Canonicas omisit? In A. n. 143. p. 2. n. 272.
Cui, ubi, quando, & cujus sumptibus facienda sit restitutio? p. 3. n. 346.
Quæ ab ea ad tempus, vel in perpetuum excusent? n. 351.
An causa, excusans ad tempus, excuset à damni compensatione, interea domino secuti? n. 364

An excuset mortui ex injusta vulneratione antecedens remissio? n. 385. Vide v. *Cooperatio*, *Dubium*, *Debitum*.

Restitutio famæ, & honoris.

Quando, & quomodo facienda? p. 3. n. 422

Quid, si læsio facta sit sine culpa Theologica? n. 424.

Quæ excusent à restitutione famæ? n. 425. V. v. *Fama*, *honor*.

Restitutio in integrum.

Cui contra præscriptionem conveniat? p. 3. n. 105

Retractus.

Quæ requirantur ad validum, & licitum retractum rei venditæ? p. 3. n. 234

Restrictio mentalis.

Quid sit, & quo quotuplex? p. 2. n. 239

Quæ, & quando sit illicita? n. 240. 241

Quæ, & quando licita, quotque modis fieri possit? à n. 243. 244. In A. n. 120. 121.

Reus.

Quando à Judice interrogatus teneatur fateri veritatem? p. 3. n. 481. In A. n. 121

An licitè fugere possit, & effringere carcerem? n. 490.

Ejus obligatio parendi sententiæ Judicis. p. 492. p. 1. n. 221.

Quæ indicia requirantur ad ejus capturam? p. 2. n. 459.

Quæ probatio ad torturam? n. 460

Quando possit, vel debeat manifestare socios criminis? n. 487. Vide v. *Juramentum.*

Rixa.

Quid sit, & quale peccatum? p. 2. n. 126

S.

Sacerdos.

An vi ordinis teneatur aliquando celebrare Missam? p. 4. n. 198

Si mortale non confessus, celebraverit contritus, quando dein teneatur confiteri? p. 4. sub n. 177. §. *Porro.* In A. n. 168.

Quid de Sacellano, seu Capellano, sit notandum? p. 2. n. 387. & p. 3. n. 51. §. 7.

Sacramentum.

Sacramentum veteris legis. p. 4. In Prolegomenis. pag. 8.

Quid, & quotuplex sit Sacramentum novæ legis? p. 4. n. 1

Cur septem Sacramenta? p. n. 3

Quibus perficiantur? n. 5

Quæ eorum materia & forma? n. 6

Quæ necessaria unio inter eas? n. 10

Quæ materiæ & formæ mutatio invalidet Sacramentum? n. 11

Quæ administrationem reddat illicitam? n. 14

Quis sit Sacramentorum Minister? n. 15

Quomodo peccet administrando indignè? n. 24

Vel indigno, aut simulando? n. 30. 34

Vel sine ritu Ecclesiæ? n. 41

Quando teneatur Sacramenta ministrare? n. 57

Quæ requiratur intentio, & status? n. 16. & 23

Quæ, & quando iterare debeat? n. 59

Quas sententias debeat in iis sequi? n. 43

Quis sit subjectum capax Sacramenti? n. 61

Quæ in illo dispositio requiratur? n. 63. 64

An peti possit à Ministro indigno? n. 66

Effectus Sacramentorum. n. 72

quæ characterem imprimant? n. 76

quid sint Sacramentalia, & qui illorum effectus? n. 79

Sacrificium.

quid sit Sacrificium in genere? p. 4. n. 185

An in Missa offeratur Deo verum, propriéque dictum Sacrificium? n. 186

quid sit Sacrificium Missæ? n. 187

quan-

quantus sit ejus valor? n. 188
qui effectus, & fructus? n. 190
qui fructum majorem participent? n. 194
quis sit illius Minister principalis, quis secundarius? n. 186
Pro quibus offerri possit? n. 193
quando, & quoties? n. 199
In quo loco? n. 202
Requisita ad illud. à n. 207
Applicatio Sacrificii, & stipendium celebrantis. n. 231
Reliqua requisita ad Sacrificium. n. 207. V. *Missa.*

Sacrilegium.

quid, & quotuplex sit? p. 2. n. 445. 446
quot modis fiat? n. 447
quale sit peccatum? n. 450
Sacrilegium in materia veneria. n. 197

Saltus, seu Choreæ.

qui saltus, seu choreæ liceant? p. 2. n. 217. In N. C. 112. Ad. 5.

Satisfactio.

Quid sit, & quotuplex? P. 4. N. 385
Requisita ad opus satisfactorium. N. 386
An aliquam teneatur Confessarius injungere, & pœnitens acceptare? N. 388
Qualis sit injungenda? N. 390
Quæ opera injungi possint? N. 392
An aliquando imponi possit publica? N. 395
Quem effectum habeat ex opere operato? N. 397
Quomodo, & quâ intentione sit implenda? N. 399. 401.
An impleri possit per alium? N. 404
A quo mutari possit? N. 404. & in A. N. 185.

Scandalum.

Quid, & quotuplex? P. 2. N. 127. 128
An sit speciale peccatum? N. 129

Va-

Varia peccata ſcandali. N. 130
An peccet peccato ſcandali ponens actionem adiaphoram, quam prævidet, alteri fore occaſionem peccati? N. 131
An ſic ponens opus bonum? N. 132
Vel ſi petat actionem, quâ putat alterum peccaturum. N. 133
Vel ſubminiſtret materiam, aut operam. N. 135
Qui hoc modo peccent, vel non peccent. N. 138

Schiſma, Seditio.

Quid ſit, & quale peccatum? P. 2. N. 126

Scriptura Sacra.

Qui libri ſint Canonici, quæ editio authentica? P. 2. N. 24.
Quid libri ſinguli contineant? Ibid. à §. 1. ad §. 7
Senſus Scripturæ multiplex. Ibid. §. 7
Ad quem pertineat ejus interpretatio, & quæ in ea obſervanda? Ibid. §. 8
An omnia in ea ſint dictata à Spiritu S. Ibid. §. 9

Scrupulus, ſcrupuloſus.

Quid ſit ſcrupulus? P. 1. N. 113
Scrupulorum cauſæ, & damna. N. 115
Media generalia. N. 117
Specialia contra omne genus ſcrupulorum. In N. C. à N. 255.

Secretum.

Quid, & quotuplex ſit? P. 3. N. 416
An, & quando id revelare liceat? N. 417
An legere alienas literas? N. 419

Sententia.

Quid, & quotuplex ſit? P. 3. N. 503
Requiſita ad juſtam, & validam. N. 504
Ejus effectus. N. 505
Quando tranſeat in rem judicatam? N. 506
Quibus caſibus non tranſeat; N. 507
An tranſitus ſententiæ materialiter injuſtæ locum ha-

habeat in foro conſcientiæ? n.508. V.v. *Judex.*

Sepultura Eccleſiaſtica.

quibus danda,& quibus neganda? P.1.n.323.324
Ubi ſepeliendi fideles, qui eâ gaudent? N. 326
Non inducendi à Religioſis, ut negligant Eccleſiam Parochialem. N.428

Servi, ſeu Mancipia.

An careant omni temporalium dominio? P.3.n.55
An poſſint validè contrahere? N. 149

Servitus.

Quid,& quotuplex ſit? P.3. à n.22. V. *Præſcriptio.*

Sigillum Sacramentale.

Quid ſit? P.4. N.372
Quo jure inductum? N.374
Quæ cadant ſub illud? N.377
Qui præter Confeſſarium ad id teneantur? N.379
An aliquando liceat Confeſſario uti ſcientiâ ex Confeſſione? N. 380

Simonia.

Illius definitio, & diviſio. P.2.N.452.453
Pretium Simoniacum, & merx. N.455.456
Quale pactum ad eam requiratur? N.463
An, & quando ſit Simonia dare, vel facere ſpirituale pro temporali, vel contra, ut motivo? n.467
Quibus caſibus committatur Simonia in materia beneficiali? N. 474
An ſit Simonia redimere vexam, vel cum patrono hæretico tranſigere pro pecunia? N 477
An Simonia repugnet juſtitiæ? N.481
An per conſuetudinem evacuari poſſit? N.482
Quid in dubio, an ſit admiſſa? N.483
Quæ ſint pœnæ Simoniacis ſtatutæ? à N.485
Cui reſtituenda ſimoniacè accepta? à N. 493. ad N. 500.
Quis abſolvere à pœnis, aut in iis diſpenſare poſſit? à N. 500. In A. N. 127

An

An obtenta dispensatione opus sit novâ collatione? n. 501.

Simulatio.

Quid, & quotuplex sit? P. 4. n. 30

In nullo casu licet simulare Sacramenti administrationem. n. 31. in A. n. 145

An simulans, se velle accusare, possit retinere pretium acceptum, ne accuset. P. 3. n. 120

An simulans, se velle refundere capitale, justè alium inducat ad pensionem minuendã? p. 3. n. 121

Sobrietas.

quid sit, & quæ peccata illi opposita? P. 2. n. 163

Sodomia.

quid, & quotuplex? P. 2. n. 198

Societas.

quid sit contractus societatis? P. 3. n. 253

Requisita ad ejus justitiam. n. 254

Societatis contractus triplex. n. 255

Solemnitas Matrimonii.

quotuplex sit, & quæ requirat? P. 4. n. 591

Sollicitatio ad turpia occasione Confessionis.

quis censeatur occasione Confessionis sollicitare pœnitentem ad turpia: ideoque sit denuntiandus! P. 2. n. 197. §. 3

An talis censeatur, qui mulieri in Confessione præbet schedulam provocatoriam ad turpia, postea legendam. In A. n. 183

An modus declinandi denuntiationem sit Confessio sollicitanti facta? n. 184. Ibid.

Sors, Sortilegium,

quid sit contractus sortis? P. 3. n. 265

quando liceant sortes? P. 2. n. 434

Species.

quid sit species moralis actûs humani? P. 1. n. 38 339. Vide *Circumstantia.*

Spes.

quid sit spes Theologica? P. 2. n. 56

quid ejus objectum materiale? n. 57

Formale quoad actus primarios? n. 59
Quoad actus secundarios? n. 60
Qui sint actus ejus primarii, qui secundarii? n. 58
Quæ proprietates? n. 62
Illius necessitas. n. 63
Speciale præceptum illius quando obliget? n. 64
Peccata illi opposita. n. 65
Habitus quando amittatur. n. 70

Sponsalia, Sponsi.

Quid sint sponsalia, & quid requiratur, ut valeant? P. 4. à n. 459
Quibus verbis perficiantur? n. 478
An valeant contracta ab Hæretico cum Catholica? n. 465
An contracta sine consensu parentum? n. 466
Vel gravi metu extorta? n. 468
An laborans defectu, vel impedimento teneatur id aperire ignoranti? n. 469.
qui validè possint contrahere? n. 470
An iis adjici possit conditio, & ad quid tunc obligent? n. 475. 477
An arrha, pœna conventionalis &c. n. 473
qui sint effectus, & obligatio sponsalium? n. 482
quando sint implenda? n. 484
Ad quid teneatur fictè contrahens? n. 486
Vel cum impedimento alteri occulto? n. 488
Ex quibus causis dissolvi possint? n. 489
An sponsi interrogati de impedimento occulto à Parocho &c. teneantur id aperire? n. 605

Sponsio

quid sit contractus sponsionis? p. 3. n. 261
quæ requirantur ad ejus justitiam? Ibid.

Status Religiosus.

quid sit, ex quibus votis constet? P. 2. n. 376. 377
Requisita ad validam Professionem? n. 379
Hujus effectus. n. 380
Religiosorum obligationes. n. 382
Ad

Ad quæ Superiores eos possint obligare? n. 383.
V. *Regulares*, *Novitius.*

Stipendium.

Datum ad celebrandum Missam. P.4. n.232
An, qui accipit duo, satisfaciat celebrando unam Missam? n. 233. §. 5
An, qui accipit majus ad celebrandam Missam, possit alteri dare minus? n. 233. §. 4
quomodo peccet, qui accepto stipendio omittit Missam? n. 232. In A.152
An minus dare possit, qui habet Missas fundatas legendas? n. 233. §. 4. in fine.

Studiositas.

quid sit, & quæ peccata illi opposita? P. 2. n. 226

Stuprum.

quid sit, quotuplex ejus malitia? P. 2. n. 193

Superbia.

quid sit, & quotuplex? P. 2. n. 254

Superficies.

quid sit jus superficiei? P. 3. n. 21

Superstitio.

quid sit, & quotuplex. P. 2. n. 427

Suppleo.

quando Ecclesia suppleat defectum jurisdictionis, vel inhabilitatem ad matrimonium? p. 4 n. 47. 49

Suspensio.

quid, & quotuplex sit? P. 1. N. 290
qui sint ejus effectus? n. 291
qui illam incurrant ante sententiam Judicis? n. 292. V. v. *Absolutio.*

Suspicio.

quid sit, & quæ temeraria? P. 3. n. 402

Susurratio.

quid, & quale sit peccatum? P. 3. n. 399. p 2. n. 116

T.

Temperantia.

Temperantia generatim accepta P. 2. n. 160

Cibi, & potûs. n. 161. Illorum mensura. n.162
Peccata illi opposita. n. 167
Temperantia voluptatis venereæ. V. v. *Castitas.*
Tempus ætatis quomodo computandum; P.2. n. 399.402. p.4. n. 452. n. 557.

Tentatio Dei.

Quid sit, & quale peccatum? P. 2. n. 443

Testamentum.

Quid, & quotuplex? P. 3. n.271
Quid solenne jure civili requirat? Ibid.
An pium valeat sine solennitate civili? n. 276
An sine illa valeat profanum in foro conscientiæ? n. 278.
Qui possint testamentum facere? n. 280
Qui possint per id hæredes institui. n. 281
Qui succedant ab intestato? n. 282
Qui sint hæredes necessarii? n. 283
A quo testamentum mutari possit? n. 289
Qui sint effectus clausulæ codicillaris? n. 287
Obligationes, commoda, & privilegia hæredis. n. 290.
Quæ hæredi observanda In solutione legatorum? n. 291. Vide v. *Legatum, Hæreditas.*

Testes.

Quot, & quales requirantur ad judicium fori externi? P. 3. n. 475
Qui non sint legitimi? Ibid.
Qui, & quot requirantur ad contractum Matrimonii? P. 4. n. 596
An testis legitimè interrogatus testari semper debeat? P. 3. n. 476
Quæ causæ à testando excusent? n. 477
An peccet, qui, ne testari debeat, se occultat, vel citatus non comparet? n. 478. 479

Thesaurus.

Cui per inventionem acquiratur? P. 3. n. 63
Quid dicendum in dubio, an sit thesaurus? n. 65
Aut

Aut ſi Reges & Principes theſauros inventos ſibi appropient? n. 64. §. 5
Timor.
Quid, & quotuplex ſit? P. 2. n. 61
Qui à ſpe Theologica procedat. Ibid.
An timor gehennæ ſit ſupernaturalis? In A. n. 82
Titulus.
Quid ſit, & quotuplex? p. 4. n. 47. p. 2. n. 51
Titulus ordinationis. p. 4. n. 453
Titulus Patrimonii an licite emi poſſit? p. 2. n. 462
An permutari poſſit cum beneficio? n. 400. §. 7
Tortura.
Quam prærequirat probationem, & quæ illi præmittenda? p. 3. n. 460.
Traditio Sacra.
Quid, & quotuplex ſit? p. 2. n. 25
Quæ pertineat ad Regulam fidei. n. 26
Regulæ diſcernendi, quæ ſit divina, quæ Apoſtolica, quæ Eccleſiaſtica. p. 2. n. 26
Tranſactio.
Quid ſit, & quam vim habeat? p. 327
An liceat in materia beneficiali. p. 2. n. 480
Turpe, Turpitudo.
Quotuplex ſit? p. 2. n. 201
Turpitudo peccati. p. 1. n. 331
Turpes cogitationes non excludere, turpes miſcere ſermones quale peccatum? p. 2. n. 213
V.
Vicarius Generalis.
An poſſit diſpenſare in impedimentis Matrimonii? p. 4. n. 572
Vagi.
An teneantur ſpecialibus legibus loci, in quo hoſpitantur? p. 1. n. 178
Coram quo Parocho poſſint contrahere Matrimonium? p. 4. n. 600
Vectigalia.
An, & ſub quo peccato ſint pendenda? p. 1. n. 227
Venæ auri argenti &c.
Venæ

Venæ metallicæ, & fodinæ cui per inventionem acquirantur? *Venatio.* p. 3. n.66
Quomodo à Principe prohiberi possit? p. 3. n. 58
Prohibitam exercere, an, & quando sit peccatum? n. 62
Quæ sit Clericis prohibita? p. 2. n.415

Venditio.

Quid sit venditio, & emptio? p. 3. n. 202
An venditio supra, & emptio infra justum pretium aliquando liceat. n. 208
An in venditione ad creditum liceat exigere aliquid ultra pretium currens? n.212
Quid liceat, si pretium mercis, vel valor pecuniæ brevi sit minuendus? n. 213
Si venditor ignoret pretium justum, an teneatur emptor illum monere? n. 211
Quid de vendendis sub hasta servandum? n.207
Quæ pacta venditioni adjici possint? n. 227
An liceat vendere officia sæcularia? n. 11
Venditionis rescissio, evictio, rei venditæ. n. 234. V. *Emptio, pretium, merx.*

Veritas, seu veracitas.

Quid sit, qui ejus actus, quæ peccata illi opposita?

Viaticum Sacrum. p. 2. n. 234
Quibus, & quando dandum. p. 4. n. 184

Virginitas.

Quid sit, & quotuplex? p. 2. n. 189

Virtus.

Quid sit, & quotuplex? Vide p. 2. in Prolegomenis, & Tr. 1. ibid n. 139. *Vita.*
An homo sit Dominus suæ vitæ, & membrorum? p. 3. n. 28
Quomodo teneatur eam conservare? n. 33
An possit objici periculo mortis? n. 31

Voluntarium, involuntarium.

Quid, & quotuplex sit voluntarium? p. 1. n. 7. & 9

Quando omissio sit voluntaria? n 10
Quando effectus ex ea, vel causa positiva secutus? n. 11. & 14
Quando voluntaria, vel involuntaria, quæ fiunt ex metu? n. 18
Ex concupiscentia, vel ignorantia? n. 21. 22
Quid sit involuntarium, coactum, violentum. n. 17

Voluptas.

Non licet frui voluptate sensuum: hinc comedere, bibere, opus conjugii exercere ob solam voluptatem culpâ non vacat. In A. n. 93. 94.

Votum.

quid, & quotuplex sit? p. 2. n. 307
Requisita ad ejus valorem. n. 328
Quanta, & qualis sit ejus obligatio? n. 336
Quomodo, & quando implendum? n. 342
Quomodo vota absoluta, conditionata, pœnalia, dubia sint interpretanda à n. 344.
Quomodo tollatur voti obligatio? n. 350
Quis vota irritare possit? n. 353
Quis in iis dispensare? n. 360
Quis ea commutare? n. 367
Exempla commutationis. n. Ibid. V. p. 4. n. 419
Quomodo vota, de materiis levibus multiplicata, sint intelligenda? p. 2. n. 345. Cor. 10.
Quæ vota sint Papæ reservata? n. 360
Quale votum dirimat Matrimonium? p. 4. n. 531
An votum obliget hæredes voventis? p. 2. n. 340
De votis Religiosis vide V. *Status.*

S. *Unctio extrema.*

Quid sit, quæ ejus materia, & forma? p. 4. n. 429
An de ejus essentia sit unctio 5. sensuum? n. 430
A quo, quibus, & quando conferenda? n 432
Illius effectus. n. 435. 436
Obligatio suscipiendi illam. n. 437

Usura, usurarius.

Quid

Quid sit usura, & contractus usurarius? p. 3. n. 187
Quo jure prohibeatur? n. 189
An usurarius acquirat dominium usurarum. n. 196
Cui, & quibus usuræ sint restituendæ? n. 198
An liceat pecuniam mutuam accipere sub usura? n. 199
Quæ pœnæ statutæ sint publico usurario? n. 200
An excusetur ab usura vigens in Germania praxis exigendi aliquid supra sortem, absque allegatione tituli? n. 201

Usus Usufructus.

Quid sit usus, & usufructus? p. 3. n. 19. 20
Quando cesset? n. 20
Usufructuarii obligationes. ibid.

Usus Matrimonii.

Ex quo fine sit licitus? p. 4. n. 638
An & quando liceat si Matrimonium sit contractum cum dubio de impedimento dirimente, vel contracto dubium de eo superveniat. p. 4. à n. 646. ad n. 655
In quibus aliis circumstantiis non liceat eum exigere, aut concedere? à n. 641. Vide V. *Debitum. Parochus.* *Usus rationis.*
Quid sit, & quotuplex. p. 1. n. 25

Uxor.

An validè possit contrahere sine consensu mariti. p. 3. n. 147
An possit fide jubere, & renuntiare S. C. Vellejano. p. 3. n. 266. in fine.
An teneatur concurrere ad debita solvenda, à marito contracta? n. 47
Quid, si maritus moriatur, debitis ultra vires gravatus? n. 350. §. *Notandum.*
Quando peccet expendendo de bonis communibus, inscio marito? p. 3. n. 47

F I N I S.

O. A. M. D. G.

Emen-

Emendanda in IV. Parte.

Pag. 65. lin. 10. à fine. conteri pro *confiteri*.
Pag. 75. lin. 3. baptiſmalis pro *baptiſmatis*.
Pag. 105. lin. 3. denique, gratiam ut.
Pag. 196. lin. 14. à fine. ſolvit pro *ſolivit*.
Pag. 208. lin. 4. à fine. Communionis pro *Confeſſionis*.
Pag. 214. lin. 4. ultimatè pro *ultimata*.
Pag. 241. lin. ult. per quam.
Pag. 267. lin. 7. qui pro *quia*.
Pag. 407. lin. 14. ægrè pro *æquè*.
Pag. 488. lin. 4. illa ponens pro *pœnitens*.
Pag. 489. lin. 9. in reſponſione partem impleat pro *implere*.
Pag. 523. lin. 14. à fine. præcipi pro *præcepti*.
Pag. 548. lin. 15. audito pro *erudito*.
Pag. 557. lin. 9. vel cancellario pro *&*.
Pag. 584. lin. 5. à fine. in reſp. pro *ſuſp*.
Pag. 623. lin. 18. licet pro *liceat*.
Pag. 626. lin. ult. ſed tantùm pro *etiam*.
Pag. 628. lin. 19. cum alia conjuge.
Pag. 631. lin. 10. à fine. eſſet pro *eſſe*.
Pag. 666. lin. 7. à fine. quia pro *qui*.
Pag. 667. lin. 16. frigidis. pro *frigidus*.
Pag. 673. lin. 7. à fine. promulgatum non eſt.
Pag. 738. lin. 26. Tranſiſſalania pro *Tranſilvania*.
Pag. 745. lin. 14. & 20. Turano pro *Durando*.
Pag. 756. lin. 5. à fine. fit pro *fiat*.
Pag. 771. lin. 10. ſuperveniret.
Pag. 788. lin. 7. intentione pro *intenſione*.
Ibid. lin. 17. 6. Si populus.